
DE BENEFICIO CRUCIS, CEU [!] ARTICULI DISPUTATI DE GRATIA...

Louis Bail





BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
27 M
41

DE BENEFICIO CRVCIS, CEV ARTICVLI DISPVTATI DE GRATIA.

AVCTORE M. LVDOVICO BAIL,
Doctore Theologo ac Propœnitentiario Parisiensi.





PARISIIS,
Apud. IOANNEM POCQVET, In
viâ D. Iacobi ad insigne S. Petri,
M. DC. LIII.

Cum Priuilegio, & Approbatione,





PRÆFATIO.



VT crucis beneficium præ omnibus Dei beneficijs excellentiſſimum ſemper habui : ſic eius ſcientiam omnibus vtiliſſimam ſemper arbitratus ſum. Hinc eſt quod ante viginti annos fructus illius varios in principijs doctrinæ Chriſtianæ, ſeu Catechiſmo mandatorum diuinorum, ipſis etiam pueris explanare operæ pretium ducebam : & à paucioribus annis ſcripſeram in examine Subdiaconorum triplicem eſſe gradum redēptionis humani generis per Chriſti Domini mortem.

Primus erat ab impotentia ſalutem conſequendi per gratiam ſufficientem, aut media alia, quibus fit vt nullus mortalium degat amplius in illo ſtatu corruptæ naturæ, qui ſequebatur ex Adami peccato. Secundus erat redemptio

ab ipſomet peccato, per iuſtificationem actualem aut infuſionem gratiæ habitualis ac ſanctificantis. Tertius gradus erat ab omni miſeria per ipſam beatitudinem ceu animæ, ceu corporis, ceu vtriuſque.

Legit hoc quiſpiam ſacerdos ex ijs qui Ianſenij doctrinæ nomen dederunt, ac cum incommodam ſententiæ quam imbiberat diſtinctionem præſentiret, multaque obſcura elucidari ac difficilia ſolui poſſe auguraretur, obſtupuit primum: tum contra me excanduit, ſciſcitatuſque eſt ab eo, quem modeſtiæ cauſa non nomino, vbi nam diſtinctionem triplicis gradus redemptionis inueniſſem.

Homini ſatisfaciendum putaui. Ac quoniam ex tribus gradibus à me aſſignatis, ſecundus & tertius ſunt extra omnem controuerſiam, apud eos qui fide & mente deſtituti pœnitus non ſunt, tantumque primus gradus reuocari poſſit in dubium à R. Iprenſis ſequacibus, vt nihil dicam aſperius, abundè ipſi ſatisfactum putabo, ſi quibus in Locis patrum ac ſcripturarum inueniatur, patefaciam.

Ad id animum addidit Apologia nu-

per edita, quam tertiam numerant pro Ianſenio, quâ quidam conati ſunt oſtendere non inueniri ſapientiam illam in abyſſis patrum, qui per reliqua ſæcula à D. Auguſtini ſæculo ad hoc præſens, floruerunt laude aliquâ ſcientiæ. At contra in iiſdem reperiri contra ipſos contendo: & vt aliquid maius preſtem, etiam in ijs qui in retroante actis ſæculis à D. Auguſtino ad Chriſtum, addo etiam in omnibus Scripturæ Sacræ libris ceu veteris ceu Noui Teſtamenti, ſi eos ad ſuas claſſes reducamus.

Non expectabant hoc à me pluribus alijs diſtento. Et forſan ſcommatibus ac rixis ad rem non pertinentibus cupient iniuriam hanc prætenſam vlciſci. Sed cõtemnendum iſtud vindictæ genus, modo malum quod ſerpit in Eccleſia, aliqua ex parte ſiſtere valeamus, cum integrum curare, ſupra vires noſtras poſitum ſit.

Vt vero rem iſtam vtilius tractemus, tripartitum erit hoc opus. Prima eius pars erit de Bulla Summorum Pontificum contra Baium ac Ianſenium, in qua quæ ad eam generatim ſpectant expendemus, variaſque obiectiones quas in Gallia aut Belgio aut in tractu Treuirenſi contra illam propoſuerunt, re-

fellemus. Secunda pars erit de articulis 78. in ea Bulla damnatis, qui omnes ita ſigilatim ventilabuntur ac breuiter agitabuntur, aliquibus momentis hinc & inde adductis, vt patere poſſit error in ijs aſſertus; nec longiori ſermone vtendum eſſe putaui, tum ne prolixitas diſputationis tædio eſſet pleriſque quibus magis arrident breuiores tractatus, tum quia Nouantiũ errores propalaſſe, ſuperaſſe eſt: denique quædam ex his fuſius alibi à nobis ſunt explicata. Tertia denique pars ſolutionem obiectionum earum dabit, quas ipſi congeſſerunt in grandi illa Apologia, quam inuictam eſſe neſcioqua præſumptione confidunt qui eam ex omni parte non penetrauerunt. Vt idcirco eam partem inſcripſerimus, liberationem ſanctorum patrum ab Apologia pro ſanctis patribus &c. Quod ſanctos patres ab ijs laudatos, ipſiſmet aduerſarios eſſe demonſtrare conemur, omiſſis pluribus controuerſiarum particularium capitibus, ijs maximè quibus clariſſimi ac doctiſſimi Theologiæ profeſſoris diſtinctionibus inſultant, parum memores infeliciter ceſſiſſe Doctori Baio atauo ſuo, quod vſitatas quaſdam ſcolæ diſtinctiones explo-

dendas censuisset: magisque solliciti quærere quid ijs responderent, vt manerent in errore; quam quantum essent salubres, vt carerent errore.

Etsi vero multi hactenus vt Ecclesiæ laboranti adessent, doctè ac eruditè omnino argumentum hoc versauerint: non debemus eorum multitudine deterreri ab euulgatione præsentis tractatus, quem forsan Deus suâ benedictione donabit, sicut alia nostra scripta, (quantumuis ea ipsi suggillent) vt fructu illo non careat, quem singulariter intendimus, ad auertendas Iuniorum Theologorum mentes ab istâ viâ suspectâ & parum tutâ doctrinâ, quam eius defensores tanto animi ardore disseminant, distractis idiomate vulgari libris suis ad varia loca, vt plures in sententiam suam inducant, cum detrimento vnitatis ac pacis Ecclesiæ.

Ex quo iam licitum sit, cessante prohibitionis Apostolicæ de huiusmodi controuersijs agitandis, obligatione, ob eorum inobedientiam, libros ijs oppositos in lucem emittere, ne ijs in publica commotione arma non deponentibus, status reipublicæ Christianæ vehementius côcuteretur, si inermes ac inde-

fensi manerẽt antiquæ ac veræ doctrinæ quã à maioribus acceperunt, adſertores, Sed quo animo hæc à me ſcripta ſunt, amoto procul omni erga eos prauo affectu, ſolius veritatis ac eorũ ſalutis ſtudio, eodem vt accipiant, etiam atque etiam rogo.



INDEX
LIBRI
De Beneficio Crucis,
CEV
ARTICVLORVM,
disputatorum de gratia.
PARS PRIMA.

Defensio Bullæ Pianæ & Vrbanianæ

ARTICVLVS I.

HISTORICA *quædam de Michaele Baio & Cornelio Iansenio. p. 1.*
ART. 2. *De notis & qualitatibus censuræ in propositiones Michaelis Baij. p. 7.*
ART. 3. *Quod omnes propositiones in Bulla expressæ, sint damnatæ. p. 9.*
ART. 4. *Quod damnatio Baij non cadat in D. Augustinum. p. 13.*
ART. 5. *Quod propositiones Baij damnatæ sint propter ipsam doctrinam quam continent. p. 16.*
ART. 6. *De prohibitione libri Cornelij Iansenij, cui nomen Augustinus, p. 18*

ART. 7. *De data Bullæ Vrbanianæ* p. 20.
ART. 8. *De authoritate Summi Pontificis, in prohibendis libris ac damnandis* p. 21.
ART. 9. *Baij propositiones infusæ in librum Iansenij.* p. 24.
ART. 10. *Iansenius loquitur asserendo, non tantum referendo sensa D. Augustini* p. 26
ART. 11. *An omnia communia inter D. Augustinum & Iansenium, & de Methodo conuincendi Iansenij Gregales.* p. 29.
ART. 12. *Author propter celebritatem nominis non est immunis ab errore.* p. 38.
ART. 13. *An humilitas & pietas in libro Iansenij doceantur.* p. 40.
ART. 14. *An licitum sit impugnare propositiones Michaelis Baij.* p. 46.
ART. 15. *An in hac prima parte quidquam acerbius scriptum.* p. 49.

PARS SECVNDA.

Damnatio iusta 78. Propositionum Michaelis Baij.

ARTICVLVS I.

NEC *Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia.* p. 53.

6

ART. 2. *Sicut opus malum natura sua est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium.* p. 55.

ART. 3. *Et bonis Angelis & primo homini, si in statu illo perseuerasset vsque ad mortem ad vltimum vitæ, fœlicitas esset merces, & non gratia.* p. 57.

ART. 4. *Vita æterna homini integro & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt* p. 59.

ART. 5. *In promissione facta Angelo & primo homini continetur naturalis iustitiæ constitutio, qua pro bonis operibus sine alio respectu, vita æterna iustis promittitur.* p. 61.

ART. 6. *Naturali lege constitutum fuit homini, vt si in obedientia perseueraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.* p. 63.

ART. 7. *Primi hominis merità fuerunt primæ creationis munera, sed iuxta modum loquendi Scripturæ Sacræ, non rectè vocantur gratia, quò fit vt tantum merita, non etiam gratia debeant nuncupari.* p. 64.

ART. 8. *In redemptis per gratiam Christi, nullum inueniri potest bonum meritum,*

quod non ſit gratis indigno collatum. p. 66.

ART. 9. *Dona conceſſæ homini integro & Angelo, forſitan non improbanda ratione, poſſunt dici gratia, ſed quia ſecundum vſum Sacræ Scripturæ nomine gratiæ ea tantum munera intelliguntur quæ per Ieſum Chriſtum malè merentibus & indignis conferuntur, ideo neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.* p. 68.

ART. 10. *Solutio pœnæ temporalis, quæ peccato dimiſſo ſæpè remanet, & corporis reſurrectio, propriè non niſi meritis Chriſti adſcribenda eſt.* p. 70.

ART. 11. *Quod piè ac iuſtè in hac via conuerſati vitam conſequantur æternam, id non propriè gratiæ Dei, ſed ordinationi naturali ſtatim initio creationis conſtitutæ iuſto Dei iudicio deputandum eſt, neque in hac retributione bonorum ad Chriſti meritum reſpicitur, ſed tantum ad primam inſtitutionem generis humani, in qua lege naturali conſtitutum eſt, vt iuſto Dei iudicio, obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.* p. 72.

ART. 12. *Pelagij ſententia eſt: opus bonum citra gratiam adoptionis factum non eſt regni cœleſtis meritorium.* p. 74.

ART. 13. *Opera bona à filijs adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per ſpiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, ſed tantum ex eo quod ſunt conformia legi, quodque per ea præſtatur obedientia legi.* p.76.

ART. 14. *Opera bona iuſtorum non accipient in die Iudicij extremi, ampliorem mercedem, quam iuſto Dei iudicio mereantur accipere.* p.78.

ART. 15. *Ratio meriti non conſiſtit in eo quod qui bene operatur, habeat gratiam & inhabitantem Spiritum Sanctum, ſed in eo ſolum quod obedit diuinæ legi.* p.80.

ART. 16. *Non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine charitate.* p.82.

ART. 17. *Sentiunt cum Pelagio qui dicunt eſſe neceſſarium ad rationem meriti, vt homo per gratiam adoptionis ſublimetur ad ſtatum Deificum.* p.84.

ART. 18. *Opera Catechumenorum vt fides & Pœnitentia ante remiſſionem peccatorum facta, ſunt vitæ æternæ merita, quam vitam ipſi non conſequentur, niſi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur.* p.86.

ART. 19. *Opera iuſtitiæ & temperantiæ quæ Chriſtus fecit, ex dignitate perſonæ operantis, non contraxerunt maiorem valo-*

rem. p. 88.

ART. 20. *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur mortem æternam.* p. 90.

ART. 21. *Humanæ naturæ sublimatio & exaltatio in consortium diuinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est & non supernaturalis.* p. 92.

ART. 22. *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom. 2. Gentes quæ legem non habent naturaliter quæ legis sunt faciunt, intelligunt de gentibus Fidei gratiam non habentibus.* p. 94.

ART. 23. *Absurda est eorum sententia qui dicunt hominem ab initio dono quodam supernaturali & gratuito, supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, vt fide, spe & charitate, Deum coleret.* p. 96.

ART. 24. *A vanis & ociosis hominibus secundum insipientiam Philosophorum excogitata est sententia quæ ad Pelagianismum reiicienda est, hominem sic ab initio constitutum, vt per dona naturæ superaddita, fuerit largitate conditoris sublimatus & in Dei Filium adoptatus* p. 98.

ART. 25. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia* p. 100.

ART. 26. *Integritas primæ Creationis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis eius conditio.* p. 102.
ART. 27. *Liberum Arbitrium sine gratiæ Dei adiutorio, non nisi ad peccandum valet.* p. 104.
ART. 28. *Pelagianus est error dicere quod Liberum Arbitrium valet ad vllum peccatum vitandum.* p. 107.
ART. 29. *Non soli fures ij sunt & latrones, qui Christum viam & ostium veritatis, & vitæ negant, sed etiam quicumque aliunde quam per ipsum in viam iustitiæ, hoc est ad aliquam iustitiam conscendi posse docent.* p. 109.
ART. 30. *Aut tentationi vlli sine gratiæ ipsius adiutorio resistere hominem posse, sic vt in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.* p. 111.
ART. 31. *Charitas perfecta & sincera quæ est ex corde puro & conscientia bona & fide non ficta, tam in Cathecumenis quam in Pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.* p. 114.
ART. 32. *Charitas illa quæ est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum.* p. 116.
ART. 33. *Cathecumenus, iustè, sanctè, & rectè viuit, & mandata Dei obseruat &*

legem implet per charitatem ante obtentam remißionem peccatorum, quæ in Baptiſmi lauacro demum percipitur. p. 118.

ART. 34. *Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur vt author naturæ: & gratuiti, quo Deus amatur vt beatificator, vana eſt & commentitia & ad illudendum ſacris litteris, & plurimis veterum teſtimonijs excogitata.* p. 120.

ART. 35. *Omne quod agit peccator, vel ſeruus peccati, peccatum eſt.* p. 123.

ART. 36. *Amor naturalis qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola Philoſophia per elationem præſumptionis humanæ, cum iniuria crucis Chriſti, defenditur à nonnullis Doctoribus.* p. 125.

ART. 37. *Cum Pelagio ſentit qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit.* p. 127.

ART. 38. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa, Deus diligitur.* p. 130.

ART. 39. *Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit:* p. 132.

ART.

ART. 40. *In omnibus ſuis actibus peccator ſeruit dominanti cupiditati.* p. 135.

ART. 41. *Is libertatis modus qui eſt à neceßitate, ſub libertatis nomine non reperitur in ſcripturis, ſed ſolum nomen libertatis à peccato.* p. 137.

ART. 42. *Iuſtitia qua iuſtificatur per fidem impius, conſiſtit formaliter in obedientia mandatorum, quæ eſt operum iuſtitia, non autem in gratia aliqua animæ infuſa, qua adoptatur homo in Filium Dei, & ſecundùm interiorem hominem renouatur, ac diuinæ naturæ conſors efficitur, vt ſic per ſpiritum renouatus, deinceps bene viuere & mandatis Dei obedire poßit.* p. 139.

ART. 43. *In omnibus pœnitentibus ante ſacramentum abſolutionis, & in Catechumenis, eſt vera iuſtificatio, ſeparata tamen à remißione peccatorum.* p. 141.

ART. 44. *Operibus pleriſque, quæ à fidelibus fiunt, ſolum vt mandatis Dei pareant, cuiuſmodi ſunt obedire parentibus, depoſitum reddere, ad homicidio, à furto, à fornicatione abſtinere, iuſtificantur quidem homines, quia ſunt legis obedientia, & vice legis iuſtitia non tamen ijs obtinent incrementa virtutum.* p. 143.

ART. 45. *Sacrificium Miſſæ, non alia ratio-*

ne est sacrificium, quàm generali illa, qua omne opus bonum quod fit vt sancta societate Deo homo inhæreat. p. 145.

ART. 46. *Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quæstio est, sed causæ & originis, vtrum omne peccatum debeat esse voluntarium.* p. 156. alias. 148.

ART. 47. *Vnde peccatum originis habet verè rationem peccati sine vlla relatione & respectu ad voluntatem à quo originem habuit.* p. 150.

ART. 48. *Peccatum originis est habituali paruuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur paruulo, eò quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium, & ex habituali voluntate dominante, fit vt paruulus discedens sine regenerationis sacramento, quando vsum rationis consequutus fuerit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet & legi Dei repugnet.* p. 151.

ART. 49. *Praua desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo inuitus patitur, sunt prohibita præcepto, non concupisces.* p. 154.

ART. 50 *Concupiscentia, siue lex membrorum, & praua eius desideria, quæ inuiti sentiunt homines sunt vera legis inobedien-*

tia. p. 164. alias. 156.

ART. 51. *Omne scelus est eius conditionis, vt suum authorem & omnes posteros, eo modo inficere poßit, quo infecit prima transgreßio.* p. 158.

ART. 52. *Quantum est ex vi transgreßionis, tantum meritorum à generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitijs, quam qui cum maioribus.* p. 160.

ART. 53. *Diffinitiua hæc sententia Deum homini nihil impoßibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cùm Pelagij sit.* p. 163.

ART. 54. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.* p. 165.

ART. 55. *In peccato duo sunt: actus & reatus: Transeunte autem actu nihil manet nisi reatus, siue obligatio ad pœnam.* p. 167.

ART. 56. *Vnde in Sacramento Baptismi aut Sacerdotis absolutione, proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, & ministerium Sacerdotum solum liberat à reatu.* p. 168.

ART. 57. *Peccator pœnitens non viuificatur ministerio Sacerdotis absoluentis, sed à solo Deo, qui pœnitentiam suggerens, & inspirans, viuificat eum & resuscitat,*

ministerio autem sacerdotis solum reatus tollitur. p. 170.

ART. 58. *Quando per Eleemosynas aliaque Pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant, nam alioqui essemus aliqua ex parte redemptores, sed iquid facimus, cuius intuitu Christi satisfactio nobis applicatur & communicatur.* p. 173.

ART. 59. *Per passiones sanctorum in Indulgentijs communicatas non propriè rediimuntur nostra delicta, sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impertiuntur, vt digni simus qui pretio Sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur.* p. 175.

ART. 60. *Illa Doctorum distinctio, diuina le[illegible]s mandata bifariam impleri: alter[illegible]o, quantum ad præceptorum operum [illegible]stantiam tantum; altero quantum ad [illegible]tum quemdam modum, videlicet, se[illegible]ndum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum, hoc est ad modum meritorum, commentitia est & explodenda.* p. 177.

ART. 61. *Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex ob-*

iecto & omnibus circumstantijs rectum est & bonum, quod moraliter appellare bonum consueuerunt, vel quia est meritorium regni æterni, eò quod fit à viuo Christi membro, per spiritum charitatis, reijcienda est. p. 179.

ART. 62. Sed & illa distinctio duplicis iustitiæ, alterius quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis al & in eo charitatem diffundentis, q diuinæ legis iustificatio impleatur, similiter reijcitur. p. 181.

ART. 63. Item & illa distinctio duplicis viuificationis, alterius, qua viuificatur peccator, dum ei, pœnitentia, & vitæ nouæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur: alterius, qua viuificatur qui verè iustificatur, & palmes viuus in vite Christi efficitur, pariter commentitia est, & scripturis minimè congruens. p. 183.

ART. 64. Nonnisi Pelagiano errore admitti potest vsus aliquis Liberi Arbitrij bonus, siue non malus, & gratiæ Christi iniuriam facit, qui ita sentit & docet. p. 185.

ART. 65. Sola violentia repugnat homini libertati naturali. p. 187

ART. 66. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessariò facit.* p. 190.
ART 67. *Infidelitas purè negatiua, in his in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* p. 192.
ART. 68. *Iustificatio impij fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem & inspirationem gratiæ, quæ per eam faciat iustificatos implere legem.* p. 194.
ART. 69. *Homo existens in peccato mortali, siue in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem: & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.* p. 196.
ART. 70. *Per contritiònem etiam cum charitate perfecta, & cum vero voto suscipiendi sacramentum coniunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrij, sine actuali susceptione sacramenti.* p. 198.
ART. 71. *Omnes omnino iustorum afflictiones sunt vltiones peccatorum ipsorum: Vnde & Iob & Martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt.* p. 200.
ART. 72. *Nemo præter Christum est absque peccato originali: hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque eius afflictiones in*

hac vita, fuerunt vltiones peccati originalis, vel actualis. p. 202.

ART. 73. *Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus iam dominatur, peccatum est sicut & alij habitus praui.* p. 205.

ART. 74. *Motus praui concupiscentiæ sunt pro statu homines vitiati prohibiti præcepto,* Non concupisces, *vnde homo eos sentiẽs, & non consentiens transgreditur præceptum,* Non concupisces *quamuis transgreßio in peccatum non deputetur.* p. 207.

ART. 75. *Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est non facit præceptum,* Diliges Dominum Deum tuum *&c.* p. 209.

ART. 76. *Satisfactiones laboriosæ iustificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.* p. 211.

ART. 77. *Immortalitas primi hominis non est gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.* p. 213.

ART. 78. *Falsa est Doctorum sententia primum hominem potuisse à Deo creari & institui sine iustitia naturali.* p. 216.

ART. 79. *Quæ censurarum nota propositionibus singulis Michaelis Baij affigi possint.* p. 21[illegible]

TERTIA PARS.

LIBERATIO SANCTORVM Patrum ab Apologiâ pro ſanctis Patribus &c.

ARTICVLVS I.

Prælvdia & præſupponenda quædam. *p.* 227.

ART. 2. *An cœptum opus cenſuræ an.* 1649. *Calendis* Iulij *in facultate Pariſienſi, ſit maximè irregulare, iniuſtum, & violentia pluſquam tyrannica.* *p.* 235.

Prima Propoſitio. Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus, & conantibus ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque iis gratia, qua poßibilia fiant. *p.* 237.

Iudicium deputatorum. *ibid.*

2. *Propoſ. Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur. iud. dep. p.* 241.

3. *Propoſ. Ad merendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceßitate, ſed ſufficit libertas à coactione. iud.dep.* *p.* 243.

4. *Propoſ. Semi-pelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris neceßitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, &*

in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare. iud. dep. p.245.

5. *Propos. Semi-pelagianorum error est, dicere Christum pro omnibus omnino hominibus, mortuum esse, aut sanguinem fudisse. iud. dep.* p. 254.

ART. 3. *diluuntur obiectiones duorum priorum Arti. puncti secundi tertiæ partis Apologiæ, circa mortem Christi pro omnibus.* p. 259.

ART. 4. *An Christus omnes amauerit homines.* p. 264.

ART. 5. *Satisfit obiectionibus articulorum sequentium. 4. & 5.* p. 266.

ART. 6. *Quomodò Christus Saluator omnium maximè fidelium.* p. 269.

ART. 7. *An solidis rationibus probent Baiani crucis beneficium non esse pro omnibus.* p. 271.

ART. 8. *An in mente D. Prosperi gratia sufficiens sit Semipelagiana.* p. 276.

ART. 9. *An non sit doctrina Concilij Tridentini, Christum mortuum fuisse pro omnibus cum fructu & effectu.* p. 279.

ART. 10. *De concursu simultaneo liberi Arbitrij cum gratia.* p. 281.

ART. 11. *An ex mente D. Augustini, gratia, quæ non omnibus datur, sit sufficiens,*

an gratia iustificans. p. 287.

ART. 12. *An magis prosperè cedat Apologistæ citatio versuum D. Prosperi, quàm Ripaldæ.* p. 289.

ART. 13. *Excutiuntur probationes ex libro de vocatione gentium.* p. 295.

ART. 14. *An euertatur funditus gratia sufficiens per principia quædam D. Augustini, & de iracundia Baianorum contra illam.* p. 300.

ART. 15. *Excutitur secundum principium ex Augustino petitum, quo gratia sufficiens destrui putatur, & de admiratione D. Augustini.* p. 307.

ART. 16. *An desint in D. Augustino principia ad adstruendam gratiam Sufficientem.* p. 315.

ART. 17. *An Patres qui D. Augustinum secuti sunt, Iansenij mentem confirment.* p. 317.

ART. 18. *An Patres aliqui in sexto sæculo faueant Baianis.* p. 322.

ART. 19. *Discutitur mens Patrum septimi & octaui sæculi.* p. 325.

ART. 20. *De sententia venerabilis Bedæ, & Alcuini.* p. 330.

ART. 21. *De Patribus noni sæculi.* p. 333.

ART. 22. *An nonum sæculum multum faueat dogmatibus Iansenij.* p. 335.

ART. 23. *An sæculum decimum nullos habuerit gratiæ sufficientis defensores & de D. Anselmo.* p. 343.
ART. 24. *An Hildebertus Episcopus, & D. Bernardus Abbas conspirent pro Iansenio.* p. 346.
ART. 25. *An Ricardus à S. Victore, & Magister Sententiarum stent à partibus Baianorum.* p. 350.
ART. 26. *An D. Thomas recensendus sit inter aduersarios gratiæ sufficientis.* p. 356.
ART. 27. *Quid censendum de Ægydio Romano, Heruæo Britone, Petro de Alliaco, & Dionysio Carthusiano.* p. 365.
ART. 28. *An vltima tempora fæliciora sint pro Baianis.* p 374.
ART. 29. *Afferuntur sententiæ Patrum qui D. Augustinum præcesserunt.* p. 377.
ART. 30. *Probatur gratia sufficiens ex libris noui Testamenti.* p. 383.
ART. 31. *Probatur gratia sufficiens ex libris veteris Testamenti.* p. 389.
ART. 32. *An argumentum ductum ab experientia destruat gratiam sufficientem.* p. 400.
Quæstio an fides adhibenda dæmonibus propter exorcismos. p. 411.

FINIS.

Extraict du priuilege du Roy.

PAR grace & Priuilege du Roy, est permis à Maistre Louys Bail Docteur en Theologie, de faire imprimer vn liure intitulé. *De beneficio Crucis, ceu Articuli disputati de Gratia*, par te's Libraires qu'il voudra durant le temps de d x ans, & defenses à touts autres, sur peine de m lle liures damende, &c.

PAR LE ROY EN SON CONSEIL, & Signé de MONCEAVX.

Acheué l'imprimer le 8. de Feurier 1653. & les exemplair es ont esté four-nis.

Approbatio Doctorum.

NOS infra scripti Theologiæ Parisiensis Doctores fidem facimus diligenter legisse & examinasse libellum cui titulus est, De Beneficio Crucis, ceu Articuli disputati de gratiâ, *compositum à S. M N.* Ludouico Bail, *Doctore Theologo, Ecclesiæ Parisiensis Propœnitentiario, & sancti Petri montis Martyrum Pastore; in quo quidem libro nihil de prehendimus doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ-Apostolicæ & Rom. nec non bonis moribus contrarium. Datum die 3. Decembris. anni* 1652.

C. PATV.

IOANNES DE CAVMONT.



ARTICVLI DISPVTATI DE GRATIA.

PRIMA PARS.

DEFENSIO BVLLÆ Pianæ & Vrbanianæ.

Articulus I. *Historica quædam de Michaele Baio, & Cornelio Iansenio.*



ROPOSITIONES, Quæ hîc breuiter discutiuntur, damnatæ sunt per Bullam Pij V. an. 1570. promulgatam, suntque primum assertæ à Magistro Michaele Baio Doctore Louaniensi, Sacrarum litterarum Professore, Decano Ecclesiæ Sancti Petri Louanij, qui tum temporis nomen vsurpabat Cancellarij & conseruatoris priuilegiorum vniuersitatis Louaniensis. Maiorque earum pars inuenitur in varijs eius scriptis ac opusculis: Quæ autem in his non

inueniuntur, nihilominùs ab ipso traditæ ferũtur, vel in publicis prælectionibus, vel viuâ voce prolatæ ac propugnatæ, vt omniũ auctor habeatur.

Cùm autem per primam Bullæ Pij V. promulgationem Louanij factam anno præindicato, controuersia de illarum propositionum censura omnino sopita non esset, Gregorius decimus tertius aliâ bullâ anno 1579. easdem propositiones iterato damnauit, ac Franciscum Toletum Societatis Iesu, qui tum erat à Concionibus summo pontifici, Louanium misit ad sedandas Academię turbas, eiusque studio ac industria factum est, vt Michael Baius prædictos articulos publicè, sed submissè retractaret, statueretque Academia, vt ad gradum Doctoratus promouendi, prius iurarent, se prædictas propositiones nunquam defensuros. Sicque laudem amplissimam meritus est Michael Baius ex humili suæ doctrinæ post duorum Pontificum Bullas retractatione: nihilque amplius conquestus est, nisi quod plures ex iis propositionibus essent Augustinianæ. Apologiam idcirco parauerat in huius rei probationem quæ typis mandata non est, peregitque reliquum vitæ tempus in silentio, his de rebus, ac morum pietate vsque ad annum 1589. in quo obiit: est autem hæc formula reuocationis quam emisit.

Ego Michael de Baÿ Cancellarius Vniuersitatis Louaniensis agnosco & profiteor me ex variis colloquiis & communicationibus habitis cum R. P. D. Francisco Toleto concionatore suæ Sanctitatis, & ad hanc rem specialiter missô, super diuersis sententiis & propositionibus iam olim à

sanctissimo Domino nostro Pio V. fœlicis recordationis sub datâ calendarum Octobris anno M.D L.XVII. & nuper à Gregorio XIII. moderno Pontifice Maximo sub datâ quarto Kalendas Februarij anno M.DLXXIX. iterato damnatis & prohibitis, ita motum & eo perductum esse, vt plane mihi habeam persuasum earum omnium sententiarum damnationem atque prohibitionem, iure meritoque ac non nisi maturo iudicio ac diligentissimâ excussione præmissis factam atque decretam esse. Fateor insuper plurimas ex iisdem sententiis in nonnullis libellis à me olim & ante emanatam sedis Apostolicæ super iis censuram conscriptis & in lucem editis contineri & defendi, in eo sensu in quo reprobantur. Denique declaro me in præsentiarum ab iis omnibus recedere & damnationi à sanctâ sede factæ acquiescere, neque post hac vllas docere, asserere, aut defendere velle. Actum die 24. Iulij M. D L. X X X.

Michael de Baij.

Nihilominus vt accidit Berengario post multas retractationes, quod discipulos suæ doctrinæ reliquerit, quos ingemuit in proximâ morte, se non posse reuocare ab errore, quem illos docuerat, vt ex Guillelmo Malmesburiensi in Chronicis referunt Vincentius Beluacensis L. 25. *Speculi Historialis* Cap. 30. & Baronius ad annum 1088. Sic accidit Michaeli Baio, quod plures suæ Doctrinæ adsertores ac defensores nactus sit, qui eum ita errantem sequuti sunt, vt pœnitentem & retractantem se, sequi recusent. Ex quibus, inter cæteros, emersit Cornelius Iansenius Doctor Louaniensis & Yprensis Episcopus,

qui magno volumine plures ex Baij propositionibus fulcire conatus, quadam mole testimoniorum D. Augustini, contrarium opinantes opprimere molitus est, additis quibusdam alijs propositionibus ex antiquâ prædestinatorum Scola desumptis, quas D. Augustini Auctoritatibus sic fulciuit, vt plures Theologos, Libro post mortem eius edito, in suam sententiam traxerit. Vnde orta est dissentio ingẽs, his adstipulantibus Iansenio, illis contradicentibus; vt propterea summus Pontifex Vrbanus, VIII. prædictum librum Iansenij prohibuerit tanquam continentem propositiones damnatas, cui prohibitioni plures adquieuerunt, plures etiam restiterunt: ita vt propterea contentio maior adhuc fuerit. Qua contentione feruescente, facultas Parisiensis an Domini 1644. die Ianuarij decima quinta in extraordinariis comitiis in quibus aderam, in aulâ Collegij Sorbonæ, prohibuit tam Doctoribus quàm Baccalaureis, ne probent vel sustineant prædictas propositiones per Bullas Pij V. & Gregorij XIII. & Vrbani VIII. summorum Pontificum prohibitas. Sed nec illa prohibitio ita continere potuit quosdam, quin pium ac religiosum habuerint plures ex iisdem propositionibus palam ac publicè tueri. Cui malo adhiberi posse remedium, quidam spectatæ virtutis Theologi putauerunt, si facultas ipsa Parisiensis suam mentem aperiret, super quibusdam propositionibus ex Libro Iansenij, cui nomen Augustinus, depromptis: ex decreto enim facultatis & declaratione suæ sententiæ super his propositionibus, futu-

rum, vt qui variis doctrinæ ventis circumferebantur Baccalaurei, desinerent amplius mouere istas quæstiones, quemadmodum fieri solet in litigantibus non malæ fidei, qui vbi controuersia per senatum iudicata est, inter se pacem & concordiam ineunt ob honorem rei iudicatæ debitum. Propositæ sunt igitur Sacræ Facultati per Venerandum Dominũ Scindicum quinque propositiones ex prædicto Libro excerptæ cum aliâ quæ spectabat ad materiam Pœnitentiæ, de quâ tunc etiam maxima erat disceptatio, de quibus si facultas vellet deliberare ac mentem suam aperire, maximas Theologorum dissentiones sopitas iri, existimabat. Placuit consilium Facultati Calendis Iulij anni 1649. selectique pro rei grauitate nouem aut decem Magistri, qui in priuatis comitiis toto mense prius propositiones ipsas discuterent, vt moris est, ac sententias suas super iisdem propositionibus prima die mensis proximi aperirent, vt ipsa pro authoritate suâ probaret vel improbaret, adderet vel imminueret & demum quid sentiendum aut non sentiendum statueret. Deputati à pluribus annis in istis quæstionibus exercitati pluries conuenerunt, contulerunt ac disputauerunt de iisdem, tandemque decreuerunt de quibusdam censurarum notis, quibus propositiones afficiendas esse putabant. Sed vbi accessit dies comitiorum mensis sequentis, Iansenianæ Doctrinæ propugnatores, eam haud ignari multo maiori numero Doctorum damnandam ac proscribendam fore, ne præcepta matris suæ cogerentur auscultare, os illio ccluserunt clamoribus ac tumultibus suis,

motâ per ipsos aliâ nouâ & inauditâ à memoriâ hominum & inexpectatâ controuersiâ, de eo qui præsideret comitiis Facultatis, & quamuis numero longè impares, id assequuti sunt, vt ne quidem legi posset conclusio mensis præteriti, per quam statutum erat vt de istis propositionibus deliberaretur. Accessit ad eorum votum Curiæ supremæ arrestum, quo ad sedandas turbas interdicitur facultati in istis discernere. Vt his sic astu & tumultu peractis, sola restent antiquiora Facultatis decreta contra Lutherum, Caluinum, eorumque quosdam discipulos ad mentem eius explorandam: donec accedat summi Pontificis expressius iudicium, sub quo iudice ac Doctorum Doctore lis ista pendet. Et tamen, quæ est hominum inconstantia, si ante tres annos eædem propositiones expositæ iudicio facultatis fuissent, nescio si duo inter centum, hiscere ausi publicè fuissent. Vt ex hoc palam sit cordato cuique diiudicare, quibus medijs, Iansenij Doctrina propagatur, & quo spiritu impellente, nondum manifestè icta sit, censorio facultatis fulmine. Interim vero quia fons & origo istius Doctrinæ est in Baij propositionibus per Pium quintum, Gregorium decimum tertium aliosque summos Pontifices damnatis, ex quibus nec obscurâ nec difficili consequentia inferuntur, has breuiter discutere propositum est, tum quod in illâ discussione, profundiores Theologiæ quæstiones agitantur; tum quod in earumdem damnatione præiudicata ac prædãnata eiusdem Iãsenij Iprensis Episcopi Doctrina, quæ hodie controuertitur appareat. Tum vero maximè quod religiosum

ſit Theologos ſubnaſcentibus quotidie nouis erroribus, quibus paulatim ad ſchiſma & hæreſim paratur aditus, etſi non ſit intentio authorum, contradicere verbis & ſcriptis, ne errorem cui non contradixerint approbare videantur. Vt propterea ad ſe dictum putent iſtud Pſal. 136. Exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea, filia Babylonis miſera beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram. Eſt quippe nouitas errorum filia Babylonis & confuſionis, cuius fundamenta euellenda ſunt & primordia deſtruenda, ne creſcentibus eius paruulis, velut ab vnâ ſcintillâ augeatur ignis, qui ſiluàm ingentem abſumere poſſit.

ARTICVLVS II.

De notis & qualitatibus cenſuræ in propoſitiones Michaelis Baij.

QVæritur quibus notis Summus Pontifex Pius infamet prædictas ſententias Michaelis Baij.

Reſpondetur eas notas exprimi in his verbis immediatè præcedentibus earum enumerationem. Magno enim mœrore afficimur, inquit Pius Pontifex, quod plerique ſpectatæ alioqui probitatis & doctrinæ *in varias ſententias offenſionis & periculi plenas* tum verbo tum ſcriptis prorumpunt, & in iſtis ſubſequentibus earumdem Catalogum. *Quas quidem ſententias ſtricto coram nobis examine ponderatas quamquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent, in rigore &*

proprio verborum sensu ab assertoribus intento, haereticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas & in pias aures offensionem immitentes respectiue, ac quaecumque super iis verbo scriptoque emissa, praesentium auctoritate damnamus, circumscribimus & abolemus, deque eisdem & similibus post haec quoquo pacto loquendi, scribendi & disputandi facultatem quibuscumque interdicimus.

Quibus verbis Summus Pontifex intendit omnes istas propositiones damnare tanquam falsas, & singulas afficere non quidem omnibus notis ibi expressis, sed aliquâ ex illis;itaut aliquæ sint hæreticæ, aliæ temerariæ, aliæ scandalosæ; aliæ vel aliæ ex his in pias aures offensionem immittentes. *&c.* Probatur vtrumque, & primò quod intendat omnes damnare tanquamfalsas, quia discrimen est inter propositionem damnatam & prohibitam: quod propositio prohibita possit esse vera, licet vetitum sit illam propugnare ob aliquam rationabilem causam. Quemadmodum aliqui censent de conceptione Beatæ Virginis in Peccato Originali, assertio enim hæc tantum est prohibita: vnde nec dum declarata est falsa: at propositio damnata falsa est & veritati repugnans. Secundo quod non intendat omnibus & singulis propositionibus notas omnes singulas censurarum infligere, probatur ex isto termino addito his notis (*Respectiuè*) Quo significatur has propositiones, affici his notis non omnibus omnes, sed his illis notis respectiuè & in ordine ad hanc aut illam ad has aut illas propositiones: itaut præter notam falsitatis expres-

ſam in verbo (*damnamus*) aliqua adhuc ex his notis illis conueniat. Vt hæc & illa ſit hæretica, hæc tantum temeraria. *&c.* Sint inſuper omnes ſententiæ offenſionis & periculi plenæ & mærore afficientes ſummum Eccleſiæ Paſtorem dum à viris doctis propugnantur.

ARTICVLVS III.

Quod omnes propoſitiones in Bulla expreſſæ, ſint damnatæ.

OBjicies non videri omnes damnatas tanquã falſas, ac veritati repugnantes: quia Pontifex Pius piè ac benignè addit. Quamquamnonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento.

Reſpondetur ſi hæc obiectio locum haberet, nec Luterani nec Caluiniſtæ Bullæ iſti ſe opponerent, libenter enim ſuſciperent ea lege vt nullus Articulus in ea eſſet damnatus falſitatis, erroris ac hæreſis in ſenſu ab aſſertoribus intento. Etiam fruſtra Bullam hanc poſt multum laborem examinis, edidiſſet ſummus Pontifex & inutilis foret; cum enim nullam deſignet in particulari, ſic liceret omnes defendere: vnde dicendum eſt omnes, nullâ exceptâ, damnari in terminis quibus exprimuntur, quia quantumuis ab aſſertoribus poſſit illis aliquis verus ſenſus adaptari qui etiam verbis ipſis conueniret & quem ſe intendiſſe affirmarent ob verborum amphibologiam; attamen quia cum verus & falſus ſenſus latent in cortice verborum alicuius propo-

sitionis, damnari potest ob falsum sensum, non-obstante vero alio sensu: ideo propositiones istæ omnes, quia falsum aliquem sensum continent sub cortice verborum, quem præ se ferunt & exhibent & si verus aliquis sensus iis affingi possit ab authoribus, iure merito omnes damnantur abolentur ac circumscribuntur à summo Pontifice. Quare non est hic opus disputare de commate, vtrum repositum fuerit in Originali Bullæ post verbum *Possent*, an post alia verba, itaut verba ista (*in rigore & proprio Verborum sensu*) referantur, non ad (*sustineri possent*) sed ad (*damnamus*) vt vult Martines Ripalda To.3. de *Ente supernaturali* disp.1.l 1.in Procemio, cum vbicumque reponatur istud coma, quod in originalibus Bullarum nullum solet extare, sufficienter exprimatur damnatio istarum propositionum: Quamuis manifestius adhuc exprimatur, reposito illo commate post verbum (*possent*) sicut idem Ripalda extitisse testatur in Originali à se viso & perspecto, quod emanauerat à Gregorio XIII. qui easdem propositiones damnauit post Pium V. Quod originale Romæ impressum erat anno 1579. Febr. 4. traditumque erat Cardinali Toleto, vt Bullam vulgari curaret. Quod autem dicunt aduersarij missum fuisse Romæ exemplar Bullæ in quo coma illud non erat, vnde ansam arripiunt conquerendi vitiatam esse Bullam summi Pontificis, in qua coma istud reperitur post (*possent*) hoc nihil est, quia exemplar Bullæ ad Baium missæ, erat manuscriptum, ideoque sine vllis interpunctionibus: Exemplar autem Bullæ Cardinali Toleto tra-

ditæ erat impressum cum illo commate, quo Pontifex Gregorius manifestauit suam mentem. Sed quocumque loco reponatur interpunctio, semper vrgent Baiani summum Pontificem asseruisse, nonnullas ex propositionibus *in rigore & in proprio verborum sensu* defendi posse: vnde concludunt non omnes damnatas esse, & incertas esse illas quæ damnantur: vnde vlterius quærunt vt Summus Pontifex velit aperire quænam illæ sint quæ sustineri possint & quænam aliæ. Ideo standum est primæ solutioni quam affert Michael Paludanus Doctor Louaniensis ex ordine D. Augustini in *Apologiâ constitutionis Vrbanianæ* P. 1. c. 14. Esto enim, inquit, sensus propositionis sit eius anima & cor & medulla, non ideo ad propositionem vndequaque irreprehensibilem suffecerit habere verum aliquem sensum: sed oportet vt & ipse cortex, id est verba quibus vti corpore anima ipsa vestitur & in publicum prodit, sint irreprehēsibilia. Eodem fere modo quo ad salutem non sufficit nos fidem corde confiteri, sed eam oportet nos etiam ore profiteri. Quid enim si sub vnâ propositione, ob verborum ambiguitatem, lateant sensus & verus & falsus, nonne consultius illa prohibebitur ob sensum falsum, quam admittetur ob sensum verum?

Instabis: ergo propositiones nonnullæ tantum damnabiles sunt in sensu ab authoribus extorto & qui præter Baij mentem: sic autem vix vlla est propositio ab authoribus Catholicis asserta quæ à damnatione immunis esset; cum in alieno aliquo sensu, proscribi possit. Respondetur nul-

las propositiones hic damnari in sensu ab authoribus non intento: nam sunt quædam ambiguæ quibus duplicem sensum affingere posset Baius aut eius sectatores, quarum vnus esset vtcumque probabilis, alter falsus, propter quem vltimum sensum damnatæ sunt. Exemplum sit in ista propositione quæ est 27. *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adiutorio non nisi ad peccandum valet.* Potest enim istud intelligi, & de adiutorio gratiæ cuiusdam præuenientis, & de adiutorio gratiæ efficacis ac iustificationem propriam inferentis: vterque sensus ab authoribus intendi potuit, secundùm autem primum sensum propositio est probabilis, & defenditur à Doctoribus quibusdam. At iuxta sensum secundum, est falsa, & in hoc sensu damnatur, licet in primo, aliquo pacto sustineri possit, Bonum enim ex integrâ causâ malum est ex quocumque defectu, ideò propositio reprehensibilis est in quâ assertores intenderunt falsum aliquem sensum, licet alium etiam intenderint, qui probabiliter aliquo pacto sustineri possit. Sic autem propositiones aliæ Catholicorum Doctorum damnari non possunt, quia nullus sensus ab iis intentus in illis continetur qui falsus sit, sicut in propositionibus omnibus Baij: vnde si aliquæ propositiones ex Baianis defenduntur à Scolasticis vt opiniones probabiles, & quæ hoc titulo liberæ esse debent à censurâ, defenduntur tamen in alio sensu, & si in eodem sensu, à tam paucis tamen defenduntur, & à tam multis impugnantur, vt verè probabiles non sint. Sensit hoc satis Michael Baius: ac propterea hoc ef-

fugio posse se euadere immunem non putauit,sed hoc non obstante, propositiones sibi ipsi attributas credidit esse damnatas per Bullam Summi Pontificis: ideoque vt conscientiæ satis faceret declarauit se earum damnationi acquiescere, ab iis recedere, nunquam se velle eas tueri. Cur discipuli Magistrum non imitantur? nunquid est in eorum Scola discipulus supra Magistrum?

ARTICVLVS IV.

Quod damnatio Baij non cadat in D. Augustinum.

OBiicies non potuisse damnari has propositiones à Summis Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. quin simul damnetur doctrina D. Augustini, quæ ab antiquis Pontificibus approbata, à nouis Pontificibus notari non potest, quin appareat contradictio manifesta inter summos Pontifices, quorum vnus destruat in materia doctrinæ quod alter adstruxit & ædificauit. Vnde consequitur frustra iactari infaillibilitatem Summorum Pontificum in materiâ fidei & doctrinæ si se inuicem mordeant & ab inuicem consummantur, vno probante doctrinam aliquam, altero vero improbante.

Respondeo multas inuolui difficultates in ista obiectione, quibus sigillatim respondere opus est, ne infirmi Scolastici earum pondere ita opprimantur, vt nullam obedientiam Bullæ Pianæ exhibere se posse existiment saluâ animâ & con-

ſcientiâ, quæ tamen non mediocriter periclitatur in contemptu iſtius Bullæ doctrinalis, quæque à Summo Pontifice lata eſt vt iudice doctrinæ & fidei Catholicorum, nec ſolum ad componendas turbas & ſedanda ſcandala infirmorum. Reſpondeo igitur primò ſatis apparere ex breui diſcuſſione harum propoſitionum, maiorem earum partem euidenter D Auguſtino contrariam eſſe, vt fruſtrà prætendatur à nonnullis idemtitas doctrinæ cum ſancto Doctore Auguſtino. Quod vero doctrina D. Auguſtini probata ſit ab aliquot antiquioribus Pontificibus, id verum eſt de aliquâ parte doctrinæ D. Auguſtini, non de omnibus eius dictis & operibus. Quod annotare operæ pretium ad continendos quorumdam ſpiritus qui ita loquuntur de omnibus ſententiis D. Auguſtini, ac ſi confirmatæ eſſent omnes authoritate Summorum Pontificum non ſecus ac decreta Conciliorum generalium in rebus fidei, quibus ideo aduerſari nefas eſt. Probauit tantum poſt Innocentium & Zoſimum Cœleſtinus Papa nouem articulos, ſeu nouem capita doctrinæ D. Auguſtini, contra Pelagianos ac ſemi-Pelagianos, proteſtans in fine epiſtolæ, ſe alias profundiores & difficiliores incurrentium quæſtionum partes, nolle adſtruere. Horum autem capitum vel articulorum ne vnus quidem in propoſitionibus damnatis Baij continetur: hos videre eſt in Epiſtola Cæleſtini Papæ pro Proſpero & Hilario *de Gratiâ Dei ad quoſdam Epiſcopos Galliæ*, quæ Epiſtola & inter opera D. Proſperi Aquitanici reperitur & in tomis Conciliorum. An non miſerandum eſt nouæ doctrinæ ſectatores ad ſin-

gulos errores Baij obtrudere doctrinam esse D. Augustini à Summis Pontificibus approbatam, cum nec constet vllum caput doctrinæ Baianæ à Summis Pontificibus Pio & Gregorio damnatæ esse in terminis doctrinam D. Augustini; & si istud constaret, quod tamen non admittimus, certissimum sit ex ipsâ lectione & inspectione, non esse ex illis capitibus doctrinæ D. Augustini quæ à Summis Pontificibus Innocentio, Zozimo & Cœlestino approbata est, vt inuiolabilis aliqua sanctio & Ecclæsiastica regula ac sumpta ex authoritate diuinâ documenta, quibus contradicere nefarium ac illicitum. Vnde nulla est contradictio inter Summos Pontifices qui doctrinam D. Augustini contra Pelagianos & Semipelagianos probauerunt & qui articulos 78. Baij improbauerunt ac damnauerunt, vt illi & hi infaillibiles esse potuerint absque vllâ à se inuicem dissonantia. Legant Epistolam hanc; conferant omnes articulos ibidem probatos, cum articulis Baij improbatis, ipsi iudices esse possunt, non nisi ad fallendum, nuperos quosdam doctores, tam sæpe obloqui, doctrinam omnem quam tradunt de Gratiâ & libero arbitrio & esse doctrinam D. Augustini, & eo ipso doctrinam esse Ecclesiæ Catholicæ ad fidemque pertinere, quasi eam antiqui Pontifices probauerint Quod vbi animaduerterint, sciant se nihil habere in decretis antiquiorum Ecclesiæ Pontificum quo sibi formare tutam possint conscientiam ad obluctandum bullæ Pij V. & Gregorij XIII. contra Michaelem Baium.

ARTICVLVS V.

Quod propositiones Baij damnatæ sint propter ipsam doctrinam quam continent.

PRætendunt proſcriptionem propoſitionum Michaelis Baij ſibi nihil officere, quia ſummus Pontifex Pius has prohibuit non ob earum vitium & falſitatem, ſed ob hominum huius temporis ſeu infirmitatem, ſeu ignorantiam, qui cum in libris D. Auguſtini verſati non ſint & tam ſublimis ac cæleſtis doctrinæ capaces non ſint, ob Moliniſticæ doctrinæ principia quibus præuenti ſunt, ex hinc turbantur ac commouentur vehementius. Atque hanc inſtantiam tanti faciunt Ianſeniani Baianæ doctrinæ propugnatores maiori ex parte, vt hanc non niſi diuino quodam ingenio excogitatam arbitrentur, ad conciliandos Summos Pontifices Baio aduerſarios cum doctrina D. Auguſtini ac cum Summis Pontificibus antiquioribus, qui aliquot eius doctrinæ capita probauerunt. Sicque videntur ſibi inueniſſe modum quo & doctrinam D. Auguſtini in Baio contentam, & Summos Pontifices Pium & Gregorium ſimul tueantur, etſi articulos doctrinæ Auguſtinianæ improbauerint, quia non ob falſitatem ſed ob hominum præſentis ſæculi imbecillitatem illos proſcripſerunt. Verum ſi ita eſt, cur ita impotenter in hanc Bullam debaccahantur, vt vulgatis eorum libellis conſtat. Si errores ſuos non eſſe hac Bullâ propalatos

palatos ac manifestos, arbitrentur, cur eam tam hostiliter impetunt, Vt per eam D. Augustini doctrinam pessumdari tam altè inclament? Sed quis non videat, non tantum prohiberi articulos istos, sed etiam damnari? Quod non nisi falsæ doctrinæ competere potest. Sed quis ferat homines istos tantum sibi spiritus arrogare, vt cæteros mortalium qui eorum menti repugnant bardos ac stupidos existiment, quasi vero cum illis & nata sit & mori debeat sapientia? A quo ista tanta sui ingenij præfidentia, vt cæteros cæcos, se solos oculatos estiment? Et tamen videmus in quotidianis colloquiis hoc eorum esse genium. A qua mente Deus eos auertat.

Obiicies iterum· saltem non omnes Baij propositiones in Bullâ expressas censeri debere damnatas propter sententias quas continent, sed solum propter felleam quandam amaritudinem, quâ oppositas sententias damnant, ita vt non propter dictum improbentur, sed propter modum dicti, quia insimulant Pelagianismi aut erroris contrarium opinantes. Non secus ac improbantur ij qui asserunt hæresim esse, asserere Beatissimæ Virginis Conceptionem esse Immaculatam. Sicque magnæ authoritatis scriptores opinantur, Suares, Vasques, Cardinalis Toletus & alij.

Respõdetur quod etsi ita visum fuerit aliquibus, nihilominus longè probabilius esse omnes damnari ob doctrinam falsam quam continent, & non tantum ob censuram immodicam quâ contrariam sententiam feriunt. Quia Summi

Pontifices non reuocant in authoris audaciam rationem suæ condemnationis, vt deberet fieri, si tantum propter acerbitatem dicendi illas propositiones damnassent. Nec tam sententiæ istæ indigerent damnatione quam prohibitione ad consulendum paci fidelium, quæ læditur mordacioribus quorumdam dictis. At nón prohibentur modo, sed quod plus est, damnantur. Est autem damnatio, declaratio & pronunciatio falsitatis sententiæ. Demum Summus Pontifex vtitur hoc modo damnationis. *Quas quidem sententias strictoq coram nobis examine ponderatas.* Quæ verba substantiam ipsarum propositionum denotant, non ipsarum modum quo enuntiantur. Atque ita censet Ripalda lib. citato sect. 4. Accedit quod non omnes Baij propositiones cõpositæ ex sintilla dicendi asperitate & acrimoniâ cum plures ex iis sint simplices, vt vocant Dialectici, quas ideo Summus Pontifex intactas reliquisset, cum nihilominus illas damnauerit.

ARTICVLVS VI.

De prohibitione Libri Cornelij Iansenij cui nomen Augustinus.

PОrro ex damnatione prædictarum Propositionum à Pio V. & Gregorio XIII. quarum damnationem confirmauit Vrbanus VIII. aliâ Bullâ data anno 1641. Idem Vrbanus VIII. inductus est ad prohibendum librum Cornelij Iansenij Iprensis Episcopi, cui titulus

Augustinus, ſub hac prohibitionis formulâ. Motu proprio & ex certâ ſcientiâ noſtrâ, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac perpetuô valiturâ conſtitutione eiuſdem Pij & Gregorij prædeceſſorum huiuſmodi, conſtitutiones prædictas, omniaque & ſingula in ijs contenta Apoſtolica authoritate, tenore præſentium *confirmamus & approbamus, librumque prædictum cui titulus eſt Auguſtinus articulos, opiniones & ſententias in dictis conſtitutionibus reprobatas atque damnatas, vt à nobis compertum eſt, continentem & renouantem*, aliaque omnia opera, præſentibus noſtris literis, ſubinſerta eadem authoritate per præſentes omnino prohibemus, ac pro vetitis & prohibitis haberi volumus & mandamus *&c.* Quæ conſtitutio Vrbani VIII. ad Valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ atque in acie campi Floræ publicata fuit an 1643 Iunij 19. & deinde in omnibus parochijs Pariſienſis vrbis in miſſis ſolemnioribus, ex mandato illuſtr. ac R. Archiepiſcopi Pariſiienſis Ioannis Franciſci de Gondy, publicè proclamata eſt anno 1643. die Decembris 11. cum prohibitione ſub pœnâ anathematis ne quiſpiam auſu temerario damnatas in ea conſtitution: propoſitiones, vllo pacto propugnet. Quibus non obſtantibus, non infimæ notæ Theologi ac ſacerdotes non indocti, maximæ parti harum propoſitionum reprobatarum ac damnatarum, ita adhærent, eaſque tam mordicùs tuentur ac aliis omni viâ perſuadere conantur, ac ſi articuli eſſent ſimboli

Apostolorum, variisque prætextibus sibi his constitutionibus resistere ita licitum arbitrantur, vt nequidem veniali noxâ se inquinari propterea existiment, de quibus timendum est, ne qui teste D. Augustino l. 1. *Confess.* c. 18. infatigabili lege spargit *pœnales cæcitates* super illicitas cupiditates hominum, de occultis judiciorum suorum nubibus, aliquid pœnalis cœcitatis stillauerit in ipsos, cum tot modis huic constitutioni supplantandæ, & Pontificum Iussioni conculcandæ incumbunt, vt Bullam hanc informem, abortiuam, plenam falsitatum ac nullitatum circumforaneis suis libellis in plebem distributis appellare, non erubescant.

Quoniam vero in doctoris Paludani Apologia satis exactè plura tela Iansenianorum contra hanc Bullam Vrbanianam retunduntur, aliqua breuiter ex eâ delibabimus, quibus etiam alia adiungemus quibus hæc sarta tecta seruetur contra hominum ingeniosas quasdam inuentiones, quibus illius Bullæ vim eludere conantur eamque carpere ac arrodere aggrediuntur.

ARTICVLVS VII.

De datâ Bullæ Vrbanianæ.

AC primo quibusdam suspecta est Bulla propter illius datam quæ est pridie nonas Martij anno 164 . quo die nondum prodierant nec Romam appulerant Theses, libelli & tractatus quidam alij cum libro Iansenij in eadem Bullâ prohibiti.

Respondetur Romanos in computatione anni ab incarnatione Domini, illum incipere tribus mensibus serius, quam fieri soleat in his regionibus, quod scilicet dies Incarnationis fuerit vigesima quinta Martij: cuius rei testis est Couarruuias l. 1. *Var. resolut* c. 12. nu. 2. vnde fit vt aliqua computent in anno 1641. quæ nos in anno 1642. computamus, quia mensis Martius est apud illos finis anni 1641. qui est apud nos tertius Mensis anni 1642. hoc autem posito, satis est spatij vt libelli & tractatus prædicti potuerint mitti Romam & examinari.

ARTICVLVS VIII.

De authoritate Summi Pontificis in prohibendis libris ac damnandis.

OBiiciunt non pertinere ad infaillibilitatem Pontificis dijudicare, an liber Iansenij contineat propositiones damnatas, quia ista quæstio est potius facti quam iuris. Iudicium autem Summi Pontificis non est infaillibile nisi in quæstionibus fidei ad confirmandos populos ne decipiantur in fide.

Respondetur authoritatem Summi Pontificis in determinandis controuersiis fidei, maximè fundari in illo loco Ioan. 21. *pasce oues meas*, ad quod officium spectat, discernere pascua salubria à noxijs, & vitalia à lethiferis, id est, libros quibus vera dogmata docentur ab ijs in quibus falsa, quibus plerumque reguntur ho-

minum ingenia in religione eligendâ: vt nihil pernitiosius sit libris, qui sub prætextu pietatis ad errorem flectunt animos, qui intermixtus est veris quibusdam propositionibus, sicut dantur venena melle circumlita: nam si sola falsa & mala in iis docerentur, omnes eos repellerent. Sed omnia in iis miscentur vt ex malis bona inficiantur, & ex veris mala abscondantur. Vnde etsi vera plurima contineant, tolerandi tamen non sunt, ne ex illis quæ vera sunt fides acquiratur iis quæ falsa sunt. Qua causa mouebatur Christus ne sineret dæmonia loqui (Luc 4.) etsi ipsum filium Dei esse palam faterentur. Quare spectat ad iudicium Summi Pontificis eiusmodi libros internoscere, ac oues suas ab ijs arcere, ne malè pereant: namque infaillibilitas eius versatur circa ea omnia, quorum determinatio necessaria est, ne plebs Christiana erret in fide, aliter enim non satis prouisum esset Ecclesiæ, dum concilia generalia opus sunt sæculi integri, & tot lupi scatent vndique in vestibus ouium vt eas aut mactent aut disperdant. Vsus autem potestatis illius tum maximè debet vigére, cum errores illos docent quos Cardinalis Bellarminus libro 3. *de membris Ecclesiæ*, capite 20. vocat viuos, quod pertinaciter defendantur, propugnentur ac propagentur, vt distinguantur ab aliis antiquis & antiquatis erroribus mortuis propter quos hodie non controuertitur.

Obiiciunt Summum Pontificem non esse infaillibilem, nisi adhibeat certa quædam media & conditiones, quibus positis & non aliter, Spiritus

Sanctus ei assistit : at Summus Pontifex Vrbanus existimatur non adhibuisse illa media, cum parte inauditâ iudicauerit, cum animo præuento & præoccupato, & aliis defectibus quos ad nauseam vsque inculcant.

Hæc est obiectio quorumdam Theologorum Treuirensium, in quâ multa difficilia inuoluuntur, quorum discussio & determinatio minimè nũc necessaria est ad illius dissolutionem. Cum sufficiat Summum Pontificem, quatenus publica persona est & Vniuersam Ecclesiam docet loquens ex Cathedrâ, id est, iubens cum auctoritate sibi datâ à Christo; vt omnes Christiani aliquam doctrinam teneant (hoc quippe significat loqui è Cathedrâ) debere sic audiri ab omnibus Christianis, vt illius iudicio ac determinationi cum obedientiâ ac humilitate se summittant, illi enim datum est vt in fide titubantes fratres suos confirmaret, vt dicit Innocentius III. in Epistolâ ad *Episcopum Arelatensem* habeturque c. *maiores*, extra. de baptismo. *Maiores Ecclesiæ causas præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri fidem referendas intelligit, qui nouit pro eo dominum exorasse ne deficiat fides eius*. Qua de re plura D. Hieronymus ad *Damasum*, D. Thomas de *erroribus Græcorum* c. 7. & 72. Turrecremata in Summâ de *Ecclesiâ* l. 2. cap. 109. & 110. & Stapleton *in Relect. Scolasticâ* controuersiâ 3. q. 4.

Nec morari quemquam debet difficultas de adhibitis mediis prærequisitis ad tradendum aliquod dogma Ecclesiæ, cum Deus dandò finem, prouideat de mediis & eius prouidentia

permissura non sit, vt Summus Pontifex ex officio agens tradat hæreticum dogma & temerè definiat. Vnde & dist. 19. c. *Si Roman. Romanorum Pontificum Decreto cæterorum Opuscula tractatorum approbantur vel reprobantur.* quippe illius auctoritas inutilis esset, nisi ita se res haberet, cum tanta sit proteruorum multitudo.

Quod autem vrgent de parte inaudita. Certè liber ipse Iansenij Romę lectus est; quod sufficit, ne alias libri anonymi prohiberi aut dānati nusquam possint. Nec opus fuit post prohibitionem libri, alias partes audire. Finito enim iudicio & pronunciatâ sententiâ, frustra petunt partes adhuc audiri, cum sic lites interminabiles essent.

Quod vero addũt de præoccupato animo Summi Pontificis, id prodit quàm cæcâ animâ depereunt authorem illum, cui consultum esse volunt etiam per calcatum patrem & pessumdatum honorem Summi Pontificis, cuius tuendo honori potius prospicere deberent, quā Episcopi Iprensis Quem fateri vt hominem in aliquo errare ac decipi potuisse, magis ęquum est, quam accusare Summum Ecclesiæ Doctorē ac Ecclesiæ totius Pontificem; de tot vitijs ac defectibus.

ARTICVLVS IX.

Baij propositiones infusæ in librum Iansenij.

OPponunt Iansenij librum nullas continere propositiones à Pio V. damnatas, quia in alio sensu scriptæ sunt ab ipso quam à Baio.

Sed Anti-iansenij antistatera secunda vtriusq; æquilibrium probabit, nec potest dubium mo-

uere qui Ianſenium inſpexerit, quin Ianſenius has ſequentes propoſitiones doceat. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod neceſſario facit* to. 2. l 4. de ſtatu naturæ lapſæ c. 25. deinde iſtam. *Liberum Arbitrium nonniſi ad peccandum valet* eodem tomo & l. c. 17. item illam. *Omnis amor creaturæ rationalis aut eſt vitioſa cupiditas .... aut laudabilis illa charitas.* Item iſtas ſequentes de quibus agit to. 2. l. 4. de ſtatu naturæ lapſæ c. 26. & 27. & l. 3. de ſtatu puræ naturæ c. 22. ſcilicet *omnia opera infidelium ſunt peccata. Pelagianus eſt error dicere quod Liberum Arbitrium valet ad vllum peccatum vitandum. Non ſolum fures ſunt & latrones, qui Chriſtum viam & oſtium veritatis & vitæ negant; ſed etiam quicumque aliunde quam per ipſum in viam iuſtitiæ* &c. *cum Pelagio ſentit qui boni aliquid naturalis, id eſt, quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit: non niſi Pelagiano errore admitti poteſt vſus aliquis Liberi Arbitrij bonus ſiue non malus & gratiæ Chriſti iniuriam facit qui ita ſentit & docet.* Item *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem qualis nunc naſcitur* Quas propoſitiones cum ſibi præuideret Ianſenius obiici poſſe damnatas in Bullâ Pij V. variis artibus id conatur à ſe amoliri, ne pondere authoritatis Pontificiæ obruatur, vt in iis ſe confitentem reum agnoſcat, præter iudicium ea de re Summi Pontificis. Sed & l. 4. de naturâ lapsâ c. vlt. agnoſcit illam propoſitionem. *Omnia infidelium opera ſunt peccata*, in eodem ſenſu traditam eſſe à Baio & à D. Auguſtino, cuius ipſe mentem ſe ſectari profitetur.

Quæ omnia notat Paludanus parte 1. *Apol.* cap. 15.

ARTICVLVS X.

Iansenius loquitur asserendo, non tantum referendo sensa D. Augustini.

OBiiciunt Iansenium nihil ex se asserere, sed tantum sensa D. Augustini proferre ac recitare.

Respondetur etiam Iansenium Doctrinam suam efficacissimè asserere. Quod ex his rationibus conuincit idem Palud. c. 16. Primo quia cum eas refert sententias, dicit esse fundamentales contra Hæresim Pelagianam doctrinas, quas in controuersiam reuocare nihil aliud sit quam Pelagianos cineres suscitare rediuiuos. to. 2. l. 3. *de statu puræ naturæ* c. vlt. Item Pelagianamq; causam superesse integerrimam: omnia eorum argumenta mansisse insoluta, nisi illæ quas refert sententiæ verę sint. to. 2 de statu *naturæ lapsæ* c. 12. Item contrarias sententias iis quas refert, reuocat ad Pelagianismum & semi-Pelagianismum, vocat deliria, nugas, insaniam, errorem, impietatem contrariam Christianorum sensui, Scripturis & fidei to. 2 l. 4. *de statu naturæ lapsæ* c. 17. Item pluribus in locis doctrinam illam prętensam Augustini referens, vocat illam doctrinam Ecclesiæ: sic l. 3. *de naturâ lapsâ* c. 3. *illa doctrina Augustini* inquit, *per sanctiones Ecclesiasticas tanquam Ecclesiæ dogma definita est*. ibid. c. 12.

Nemo doctrinam illam in Augustino exploratissimam, in veritate certissimam, in scripturis Cathocaque fide fundatissimam, suspectam habeat. Sic libro 2. *de Gratia* c. 25. quod nulla omnino medicinalis gratia Christi effectu suo careat, quamuis permirum videatur; *veritas tamen est in scripturis sacris & Augustini scriptis explorata.* Sed & ostendit luculentissimo testimonio, se non historicum ac alienæ sententiæ buccinatorem, sed propriæ assertorem ac defensorem, dum proclamat, si quis vobis annunciauerit præter id quod ex Augustino accepistis, anathema sit, vt conciliari non possint quæ ipse protestatur in libro procemiali c. 29. se non quærere an vera sint vel falsa quæ tanquam Augustini sensa proferuntur, sed an Augustini sint, & quæ scribit tom. 3. l. 3. *de gratia saluatoris* c. 1. Sibi propositum esse non tam ex suo sensu patefacere quid sit ex parte rei de diuinæ gratiæ adiutorio, quam quid statuerit Augustinus, cum reliquo operis decursu.

In quo non leuem maculam infert vniuersis Doctoribus secum in eodem luto doctrinæ non inhærentibus, cùm eos tam manifestè Pelagianismi fuligine deturpatos ac peccati eius conscios asserit: cuius peccati grauitatem, si quis inter mortales, dilucidè exaggerat Thomas Branduardinus Anglus, qui anno 1350. scripsit contra Pelagianos sui temporis, qui reiecta prorsus diuinæ gratiæ necessitate *soli* Libero Arbitrio *omni gratiâ destituto*, salutaria omnia opera vindicabant. Quot insuper, Domine, scribit Author ille, sui libertatem arbitrij extollentes,

tuam refugiunt seruitutem? vel si te cooperari cum eis saltem labiis fateantur, cum illis superbis & odibilibus ciuibus tuis quibusdam, te super eos regnare defugiunt. Imò & superbiores Lucifero, æqualitate tui nequaquam contenti, super te, Rex regum, impudentissimè gestiunt se regnare. Non enim verentur assumere suam voluntatem in actione, *& præire vt dominam, te subsequi sicut seruum*, & quibusdam interiectis; Primo nāque horum Hæresiarcha Lucifero, nolēte Deo subesse, è cœlo per Michaelem deiecto, surrexit Cain, existimans peccatorem nequaquam gratis iustificari à Deo per gratiam gratis datam, sed per meritum antecedens, quo diuinâ vltione prostrato, surrexit Nemroth, qui Iosepho recitante, suadebat hominibus, vt nequaquam Deo adscriberent, quod eis feliciter accidebat, sed quod eis hoc virtute propria tribueretur. Surrexerunt deinde illi vaniloqui & magniloqui arbitrantes labia & sermones à se esse. Horum filij Saducæi (teste Iosepho) affirmarunt in homine esse bonum vel malum eligere sine Deo. Quibus per Prophetam correptis, surrexerunt quidam Hebræi, Græci & Romani Christiani, qui dixerunt, se meritis suis fidei gratiam suscepisse, quibus & per Apostolum redargutis, surrexit Pelagius, qui contra Dei gratiam superba bella commouit, quo per patres Catholicos condemnato, Iulianus & Cœlestius eamdem hæresim renouarunt, &c. Ex quibus inferri potest, quam graui iniuriâ Catholicos Doctores afficiat cum Pelagianismi insimulat.

ARTICVLVS XI.

An omnia communia inter D. Augustinum & Iansenium & de Methodo conuincendi Iansenij Gregales.

OBIICIVNT & vrgent maximè ac si in hoc solo capite tota cõtrouersia versaretur, non posse prohiberi librum Iansenij, sine iniuria doctrinæ Augustinianæ toties a Summis Pontificibus approbatæ, cùm Iansenius sit Augustinus rediuiuus & liber eius nihil contineat præter sensa D. Augustini, cuius ipse interpres est, in quo libro solus loquatur D. Augustinus, & alia multa addunt cum verborum pompâ & exaggeratione nimiâ, quibus volunt confodi D. Augustinum per latus Iansenij, propter identitatem doctrinæ ac spiritus, quasi per Metempsicosim Pythagoricam D. Augustini anima in corpus Iansenij transmigrasset.

Respondetur hæc falsò iactari, magisque concordare Iansenium in rebus controuersis in hoc sæculo cum Baio, Caluino & antiquis Prędestinatianis Lucido, & Goteschalco, quam cum D. Augustino. Vnde sicut Virgilio-Centones Probæ Falconiæ quos ipsa excerpsit hinc & inde ex libris Virgilij, nunc integris versibus, nunc Hemistichiis & Hemistichiorum particulis velut pretiosis pannis in opus illud insutis, non sunt tamen Virgilius, & sicut non faciunt plumæ ex Cornicula Aquilam: ita neque verba Augustini ex Cornelio Iansenio Augustinum; & opus

illud tantopere laudatum à Diſcipulis & à Magiſtro ac Doctore fidei prohibitum, etſi opus ſit ingenioſæ artis ac laboris improbi, verius tamen Caluinianis, quam Auguſtinianis ſplendoribus refulget. Etſi enim in quibuſdam mentem eius & verba ſit aſſequutus, at non in his quæ hodie controuertuntur de Gratia, & Libero Arbitrio de Morte Chriſti pro ſolis prædeſtinatis, & alijs huiuſmodi, in quibus tractandis quamuis plura congerat D Auguſtini teſtimonia, at mentem eius parum attingit, prætermittens interim quæ eius inſtituto manifeſtè aduerſantur, vel ita torquens alienis interpretationibus à mente ſancti Doctoris, vt parum ſatisfaciat ijs qui vera & genuina ſancti Auguſtini doctrina imbuti ſunt.

Atque vt rem iſtam in vniuerſum primo agitemus, iuuat hic attexere quæ non abs re edidit Franciſcus Veronus in Ianſenij *pratenſum Auguſtinum* &c. Qui Author in puſillo, ſed non rebus exili libello, eadem methodo qua Caluiniſtas nullo ſcripturæ textu adiuuari in erroribus ſuis oſtendebat, eadem methodo doctrinam Ianſenij nullo D. Auguſtini textu fulciri, in his quæ hodie controuertuntur, demonſtrat. Summa huius Methodi hæc eſt, vt D. Auguſtinus *l. de Vnitate Eccleſiæ*, cap. 13. & 19. dicebat Donatiſtis: *In ſcripturis ſanctis, hoc nobis legant, ſi autem non poteſtis quod tam iuſte à vobis flagitamus oſtendere, conticeſcite, obdormiſcite, à furore expergiſcimini in ſalutem.* Sic dicendum Ianſenio & eius aſſeclis, Oſtendite in D. Auguſtino de verbo ad verbum propoſitiones

illas controuerſas, remotis expoſitionibus, conſequentiis & diſcurſibus, de quibus poſtea. Ianſenius ſcribit, Chriſtum vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro iuſtorum non perſeuerantium æterna ſalute non eſſe mortuum non magis patrem pro æterna liberatione ipſorum, quàm pro diaboli, deprecatum fuiſſe. Item ſcribit nullum dari poſt lapſum adiutorium ſufficiens quin ſimul ſit efficax. Oſtendant hoc Ianſenij fautores in D. Auguſtino in terminis: atque cum non poſſint, quod etiam de reliquis propoſitionibus controuerſis, optione illis data, aſſeri poteſt, reliquũ eſt, vt quemadmodum Caluiniſtæ è puro textu Scripturæ Sacræ deiecti, recurrunt ad æquipollentias, conſequentias, interpretationes, quibus contendunt id eſſe ex mente Scripturæ Sacræ: ſic etiam illi ad ſimilia recurrant, dicantque vel æquipollentes propoſitiones in D. Auguſtino reperiri, aut ex veris eius principijs per certiſſimam interpretationem deduci, vel ita debere intelligi textum D. Auguſtini.

Sed vt reſpondetur Caluiniſtis, has æquipollentias, conſequentias aut interpretationes, non eſſe in Scriptura Sacra, ſicque ſe non habere pro ſua parte Scripturam Sacram, ſed duntaxat diſcurſum quemdam aut interpretationem ex mente humana fabricatam. Similiter reſpondendum eſt, has conſequentias aut æquipollentias non eſſe ſcriptas à D. Auguſtino, nec eſſe illius, ſed eſſe opera humanæ ratiocinationis. Quæ quãuis vera ſit, neganda tamen eſt ad mentem D. Auguſtini & ſecundùm illius ſenſum, de quo eſt to-

absurda si illis imponamus, tonabunt illico clamoribus suis, hæc ab eorum mente esse aliena, & esse mendacia, atque experientia quotidiana id docet, multa enim proferimus ex quibus plura alia inferri possunt, de quibus nihil cogitauimus, quæ si quis à nobis intenta esse pronuntiet, si ea mala sint, merito iudicij temerarij reos pronuntiabimus qui ea nobis imputabunt, & despiciemus vt suspiciosæ mentis ludibria.

Atque huius methodi exemplum illustre nec à proposito alienum nobis suppeditat locus Ioannis vltimo capite. Vbi Apostoli coniiciebant illum numquam è viuis excessurum, quia dixerat Christus, *sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Quorum ingenia compressit idem D. Ioannes Euangelista, *& non dixit Iesus quia non moritur.* Idem merito dici potest, cum tantopere venditant D. Augustini authoritatem quasi concilio & toti Ecclesiæ præualeret in istis de gratiâ controuersijs. & non dixit D. Augustinus. *Aliqua Dei mandata hominibus iustis volentibus & conantibus secundum præsentes quas habent vires sunt impossibilia, deest quoque ijs gratia qua possibilia fiant:* Et non dixit D. Augustinus. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur:* Et non dixit D. Augustinus. *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, &c.* Aut si hoc dixit D. Augustinus, indicent tomum, tractatum, caput, lineam. Quod sanè numquam pręstabunt, sed se præclarè disputasse existimabunt, si aliquem textum profe-

rant, ex quo assertionem suam consequi posse imaginentur, & si aliqua vicinitate verborum fucum facere veritati possint & sub eo fuco falsum obtrudere imperitis. Atque vtilior est hæc methodus, quod non solum vsurpari possit, ad eos conuincendos ab ijs qui primas tenent in Theologia, sed etiam ab his qui vel sola Logicæ rudimenta optimè callent, noruntque distinguere inter varias propositionum species, quarum aliæ sunt absolutæ aliæ modales: aliæ affirmantes aliæ negantes: aliæ simplices aliæ compositæ: aliç vniuersales aliæ singulares: aliæ denique aliis differentiis discriminatæ. Videturque hæc methodus non solum Augustiniana, sed & Euangelica nuncupari posse, quod in Euangelio D. Ioannis fundamentum habeat, sicut ex ante dictis manifestum est Si vero vbique ea methodo non vtamur, id ex indulgentia agimus, quod eam abhorreant, irrideant, contemnant, nec legere aut intelligere velint, quia satis apertè refellere nequeunt. At ob hanc magis illi assentiri deberent.

Atque hæc generatim contra identitatem prætensam doctrinæ Augustinianæ & Iansenianæ, nam si speciatim res magis discutiatur, nullus Author hactenus scripsit contra Iansenij librum, qui non insignem aliquam hallucinationem deprehenderet. Legantur Habertius nunc Episcopus Vabrensis, Alphonsus le Moine Professor Regius in Sorbona, Petauius, Anthonius Ricardus, Petrus à sancto Ioseph Religiosus Fuliensis, Michael Paludanus, & alij, rem ipsam experietur. Atque vt ex hoc vltimo quem mod•

præ manibus habemus, non nihil adhuc excerpamus, (conueniens enim puto, inquit Origenes Homil. 13. *in Exodum*, bene dictis alterius non abuti fatentem) Exercitij gratia, inquit ille *Apolog.* 2. p. c. 11. peto à magnis hisce identitatis vtriusque doctrinæ buccinatoribus, vt in Augustino mihi dignetur demonstrare Iansenianas hasce propositiones, 1. per assertionem gratiæ sufficientis in statu naturæ lapsæ euacuatur fides peccati originalis. 2. tanquam Catholicum & immobile fundamentum supponendum est Adamum ad perseuerandum in bona voluntate primitus accepta, indiguisse gratia actuali. Idem de peccato originali obseruatione 2. affirmat, inquit, Iansenius; nec simpliciter, sed Iansenialiter, idest more suo, confidentissimè, glorianter & plusquam ὑπερβολικῶς, apud Augustinum, inquit, peccatum Originale nihil aliud est *nisi concupiscentia cum reatu*, vt sexcenties passim ipse repetit. Sed quid dignum tanto fert hic promissor hiatu? Dic sodes vbi vel semel Augustinus id doceat, quod eum dicis sexcenties passim repetere? Non possum agere liberalius, quam vt pro sexcentis quæ offers, vnicum exigam. Etsi enim aliquoties peccatum originale vocat concupiscentiam nulibi tamen signanter dicit, concupiscentiam, nihil aliud esse nisi peccatum, nam longè differunt producere Augustinum dicentem, & Augustinum non dicentem aliquid, quod frequenter & inutiliter facit Iansenius: cui vno verbo æquè frequenter dici potest, argumentum ab authoritate negatiua, non valet; vt aduertit Veronus in *Ianseniј prætensum Augu-*

Augustinum §, 6. sed & legatur Iansenius tom 2, l. 3. de statu puræ naturæ c. 16 Vbi textum D. Augustini suæ opinioni contrarium contra omnium exemplarium fidem, ait esse corruptum, & quidem corruptione omnium pessimâ, erasâ scilicet particulâ negatiuâ, quæ licentia si admittatur, nihil est quod quibuslibet authoribus tribui non possit.

Vnde licet colligere Iansenium eorum fraudulentiam imitatum fuisse, quamuis alia fuerit intentio, qui cum, vt loquitur Vincentius Lirinensis *commonitorij* parte 1. cap. 11. sub alieno nomine hæresim concinnare machinentur, captant plerumque veteris cuiuspiam viri scripta paulo inuolutius ædita, quæ pro ipsâ sui obscuritate dogmati suo quasi congruant: vt illud nescio quid quodcumque proferunt, neque primi, neque soli proferre videantur. Nec istud male cessit Iansenio. Iam enim plures persuasi sunt doctrinam eius esse ipsammet doctrinam D Augustini, itaut nolint vocari Iansenistæ sed quidam ex ijs vt Thomistæ audire volunt, quasi tota Cohors Aquinatea cum ijs agmine composito concurreret, & non potiùs in acie contra eos staret, vt videre est in vltimo opere Petri Fuliensis cap. 5. Quod *consensum orbis de gratia sufficiẽte* prænotauit. Alij vero ambiunt religioso nomine nuncupari Augustiniani, ac profitẽtur se non curare librum Iansenij amplius quicquid de illo iudicetur, se quippe Augustini sectatores esse, à cuius tamen & verbis & sensu longissimè absunt, vt proximiores Caluino esse possint, ex cuius institutionibus l. 2. cap. 3. tam multa illis propi-

nauit Ianſenius ſub eodem velamine doctrinæ ſancti Doctoris Auguſtini, vt mihi non ſit dubium conferenti hoc caput inſtitutionum Caluini cum cœleſti vt vocant doctrinâ Ianſenij, aut Caluinum Ianſeniſare aut Ianſenium Caluiniſare: vt tamen ibidem Caluinus dicit num. 13. *Audiamus nunc Auguſtinum ſuis verbis loquentem, ne ætatis noſtræ Pelagiani, hoc eſt Sorbonici Sophiſtæ totam vetuſtatem nobis aduerſam pro more ſuo criminentur*: tum eos textus D. Auguſtini profert quos Ianſenius ipſe; quod notatum eſſe volumus non ad iniuriam, ſed ad cautelam minus perſpicacium.

Obiiciunt omnes articulos de Gratiâ & Libero Arbitrio qui inter Ianſenium eiuſque aduerſarios diſputantur, eſſe eoſdem qui agitati ſunt inter D. Auguſtinum eiuſque aduerſarios: Vnde Pontifex exponit ſe periculo prohibendi doctrinam D. Auguſtini ab Eccleſiâ receptam, ſi poſſit demonſtrari identitas doctrinæ Ianſenij & D. Auguſtini.

Reſpondetur id veritati abſonum eſſe: Etenim modo controuertitur inter Ianſenium eiuſque aduerſarios vtrum homines iuſtificati habeant aliquod auxilium gratiæ ſufficiens & non efficax, de quo non inuenitur diſputatum fuiſſe inter D. Auguſtinum & Pelagianos, nec de iſta controuerſia, an rectè Ianſenius mentem D. Auguſtini, ac Pelagianorum Maſſilienſiumque ſit aſſequutus in recitandis eorum ſententiis, aut erroribus, de hoc enim maximè diſputatur hodie: Vice verſâ inter D. Auguſtinum eiuſque aduerſarios ſolemnis erat diſputatio, vtrum gratia ſecundum

merita daretur, quæ disputatio hodie extincta ferè est omnino.

ARTICVLVS XII.

Author propter celebritatem nominis non est immunis ab errore.

OBiiciunt laudes immensas, merita, sanctitatem doctrinamque Ianſenij, cuius honori derogatum ſit per cēſuram : deinde in laudes libri eius, laxatis totius eloquentiæ habenis excurrunt, qui liber excipi debuit cum omnium benedictionibus, applauſibus, congratulationibus, qui Deo gratias agere deberent quod ad ea ſe tempora reſeruauerit, ac in hoc ſæculo naſci dederit, in quo triumphantem in illo libro veritatem intueri liceat, ſed & in quo contigit ſolidiſſima Chriſtianæ humilitatis, ac pietatis principia atque amoris diuini à D. Auguſtino olim tradita, primæuo ſuo ſplendori reſtituta legere. Quem proindè librum opus diuinum vocant eorum nonnulli ac ſupra omnem laudem efferunt, vt longè extra aleam cenſuræ poſitum eſſe velint ac piaculum eſſe de eâ leuiſſimam cogitationem habere.

Reſpondetur Ianſenium procul dubio magnum virum extitiſſe, Doctorem celeberrimum, ac eximium antiſtitem, in cuius laudem non inuiti referimus tam heroicæ temperantiæ extitiſſe, vt in menſæ ſingula fercula tanquam totidem hoſtes inſpiceret, veritus ne ciborum ſuauitate delectatus, creaturâ propter creaturam

vteretur: attamen homo ille erat & ex genere illius qui primus è terrâ formatus. Vnde forſan non fuit Origene mirabilior nec Tertulliano doctior, nec magno Hoſio maior, qui tamen omnes lapis offenſionis & petra ſcandali in Eccleſia multis fuerunt,] quapropter & fieri potuit vt eius oculis ſomnus & intellectui hallucinatio aliqua obrepſerit, vt ſi diutius vixiſſet, cenſorium oculum intendere potuiſſet in priora ſcripta, non ſecus ac D. Auguſtinus libros retractationum ſcripſit, & D. Thomas ſenior nonulla correxit in ſumma Theologiæ, quæ ſe ſcripſiſſe pœnituit ſuper libros ſententiarum. Sed & monet nos oportunè Vincentius Liriuenſis *Commonitorij parte* 1. c. xv. diuinâ prouidentiâ fieri, vt errores diſſeminentur ab iis magiſtris qui tantæ ſunt ſcientiæ, vt ſectatoribus proprijs non ſolum quæ humana ſunt noſſe, verum etiam quæ ſupra hominem ſunt prænoſcere poſſe videantur; quales fere diſcipuli ſui iactitant fuiſſe Valentinum, Donatum, Photinum, Apollinarem cæteroſque eiuſmodi. ac producto in eam rē loco ex *Deteronomij* c. 13. ſic concludit, luce clarius aperta cauſa eſt, cur interdum diuina prouidentia quoſdam Eccleſiarum magiſtros, noua quædam dogmata prædicare patiatur, *vt tentet vos*, inquit *Dominus Deus veſter*. Et profecto magna tentatio eſt, cum ille quem tu Prophetam, quem Prophetarum diſcipulum, quem Doctorem & adſertorem veritatis putes, quem ſumma veneratione & amore complexus ſis, is ſi ſubito latentes & noxios ſubinducat errores, quos nec cito deprehendere valeas,

dum Magiſtri veteris præpediris affectu. Quæ afferimus non quod Ianſenium inter hæreticos numeremus, Catholicum enim illum profitemur, cum mortuus ſit in gremio & communione Catholicæ Eccleſiæ, proteſtatus media hora ante mortem, ſe librumque ſuum cenſuræ Summi Pontificis ſubmittere, ſed vt diſcant aliqui in hoc ſæculo, quod quamtumcumque videantur magni nouorum dogmatum aſſertores, non propterea recipienda ea eſſe, niſi doctrinæ Eccleſiæ congruant. Præclarè monet hoc Tertulianus l. de præſcrip. aduerſus hæreticos. Quid ergo ſi Epiſcopus, ſi Diaconus, ſi vidua, ſi virgo, ſi doctor, ſi etiam martyr, lapſus à regulâ fuerit, ideo hereſes veritatem videbuntur obtinere? *ex perſonis probamus fidem, an ex fidé perſonas*? &c. auolent quantum volent paleæ leuis fidei, quocumque afflatu tentationum, eò purior maſſa frumenti in horrea reponetur.

ARTICVLVS XIII.

An humilitas & pietas in libro Ianſenij doceantur?

QVod vero ſpectat ad cõmendationem libri, quia nouimus plures inductos eſſe ad hunc legendum contra prohibitionem Summi Pontificis, quod quidam Sacerdotes dicant in eo contineri vera Chriſtianæ humilitatis ac pietatis fundamenta, ideoquẽ erigunt ſe ac attollunt contra obedientiam Vicario Chriſti debitam vt

discant humilitatem, operæ pretium est hos esse monitos cuiusdam sententiæ D. Augustini etsi liber in qua continetur, modo non occurrat. *Vbi titubat fides, nutat charitas & deuotio.* Fides scilicet radix est ac fundamentum virtutum omnium ac ipsius præcipuæ charitatis. Ac proinde vbi illa concutitur, vix stare potest ædificium spiritualis vitæ, vt pote cuius fundamentum firmum non sit. Quanta sunt in hoc vniverso quæ ad humilitatem nos prouocent, si ea serio meditari volumus, vt Guilellmus Lugdunensis in suâ summâ virtutum ac vitiorum egregiè demonstret omnia quæ sunt in mundo prouocare homines ad humilitatem, vt frustrà quæratur inter propositiones damnatas. Iam notauimus in 3. parte *Theologiæ affectiuæ* medit. 39. editionis 3. ac 4. Non parum glorię Christi officere doctrinam illam Iansenianam quod Christus mortem non obierit pro omnibus, cum & exhibeat Christum sine nuptiali veste charitatis erga maiorem hominum partem, & amoueat ipsos ab amore Christi, cum maxime soleant eo duci motiuo ad illum diligendum, quod pro ipsis tã dura & amara passus sit, &c. Ac si olim Agnoitæ in hæreticorum classem relati sunt, quod quamdam scientiæ partem Christo denegarent, cumque iudicij diem ignorare docerent, vt est apud Baronium ad annum Christi 535. quid de istis censendum, aliorum iudicio committimus, qui vestem auream Christi, charitatem scilicet eius, ita discindunt, vt vix decimam partem illi relinquant?

Quia vero incidimus postea in aliorum

ſcripta qui nobiſcum ſentiunt hac in rē; non erit à ſcopo alienum hic eorum dicta attexere ad maiorem fidem, vt quidam iuniores Theologi ſub hoc prætextu non decipiantur. Ac primo P. Veronus in illo libello à nobis iam citato, varijs cenſurarum notis afficiens doctrinam illam Ianſenij, in cæteris §. octauo, vocat illam extinctiuam, aut ſaltem valde imminntiuam deuotionis fidelium erga omnia myſteria Chriſti, quæ toto anno celebrat Eccleſia; nam 1. quis, inquit Auguſtinus l. *de correpț. & grat.* cap. 13. ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate viuitur, in numero Prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat? ergo ſi Chriſtus pro æterna ſalute & liberatione ſolorũ Prædeſtinatorum crucifixus & mortuus eſt, quis ex multitudine fidelium præſumat Chriſtum pro ſalute ſua æterna & liberatione natum, ieiunaſſe, crucifixũ? &c. Quis præſumat quod magis pro ſua liberatione, quam pro dæmonis, & cæt. Cuique erit dicendum, *id occultari opus eſt id ſecretum eſſe.* Horret animus hæc vel effari. 2. Sed quam frigeſcente deuotione celebrabuntur à Chriſtianis hæc myſteria toto anno, ſi hæc principia Ianſeniana inſideant animo? non magis pro mea liberatione quam pro dæmonis, &c. Ergo dicet quiuis qui ex doctrina D. Auguſtini ſe in numero prædeſtinatorum eſſe non præſumit, non magis hæc myſteria celebrabo quam dæmon, nec magis teneor. Quæ verba mihi non ſatis probantur, quia tot perfectiones in Chriſto meo ſuſpicio, vt ſi de me numquam cogitaſſet, nec de mea ſalute, illum tamen ob immenſam

eius excellentiam, pulchritudinem, maiestatem, gloriam in omni æternitate colere, diligere, venerari ac glorificare vellem. *etiam si occiderit me*, dicebat Iob cap. 13. *in ipso sperabo*, quod quidam vertunt ex textu Hebræo, *post ipsum æstuabo*, hoc est amoris eius flammâ totus inardebo. Sed pergit idem author habitâ ratione imbecillitatis plurimorum ex mortalibus, qui hoc sublimi motiuo non percelluntur, tamque duro sunt animo, vt melius norint erga Deum dilectionem rependere quam generosè impendere. 3. Qua ergo certitudine nobis celebrantibus Missam aut ei astantibus, cum symbolum recitatur, procumbimus omnes in genua & dicit quisque, *Crucifixus etiam pro nobis*, si pro salute solum æternâ Prædestinatorum non aliorum mortuus est? 4. Sed & concionatores omnes pro rostris Christianis & Ecclesia tota Chiliadas & Myriadas deceperit, cum in frequentissimis auditorijs tota vrbe Lutetiæ, v. g. die Veneris Sacra, prædicamus Christum pro Myriadibus & auditorijs integris crucifixum, cùm certum sit multos ex illis non esse Prædestinatos ex Augustino fusissimé sæpè, sed præsertim in illud Psalmi 39. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei.* Hæc & plura ibidem ille concionatorio stylo & nimis forsan fellea amaritudine: qui libellus etsi notatus sit ab Amplissimo Rectore Vniuersitatis Parisiensis, quod de illo minus reuerenter quædam scripsisset, non tamen propter doctrinam notatus est, de quâ iudicare facultatis est Theologicæ. Sed quia in ore duorum aut trium stat omne verbum, iuuat addere, quæ se-

quuntur ex Michaele Paludano Doctore Louaniensi, in laudatâ sæpius Apologiâ parte 1 cap. 26. Cuius labori & industriæ in examinando opere R. Iprensis plura accepta referimus. Illa enim, inquit, libri doctrina quæ habet Christum non magis pro eorum qui non saluantur quam pro diaboli salute esse mortuum, extinguit vnum de præcipuis incentiuis quibus frigida hominum corda in Dei amorem solemus accendere, dum iis proponimus tantum illum, quo Deus pater eos dilexit amorem, vt filium suum vnigenitum daret, &c. Illum itidem Christi erga eos amorem quo pro eorum vita seipsum tradidit in mortem: vt eos quos antea pigebat Deum amare, iam saltem pudeat non redamare: ad eos cum Augustino l. de *Sancta Virginitate*, cap. 35. exclamantes *toto vobis figatur in corde qui pro vobis fixus est in cruce*, &c. Nam quemadmodum si aliquem hoc modo alloquerer; ama Deum qui te absolutâ electione ab æterno ad salutem prædestinauit; frigeret hortatio, quia nimis incerta est Prædestinatio. Ita quandoquidem in illâ Iansenij sententiâ tam incerti dubiique sumus illius Dei & Christi erga nos amoris, æquè frigida erit hortatio ad illum redamandum; & sic dum Iansenius in vnâ doctrinæ suæ parte vult cauere ne accendatur elatio: per alteram facit vt frigescat ad charitatem hortatio. Quod si parum est, addo quod maius est, dum ibi satagit vt crescat humilitas, hic agit vt tepescat charitas: non satis attendens ad illa Augustini verba. *Superflua est sollicitudo ne vbi feruet charitas desit humilitas*, l. *de Sanctâ Virg.* cap. 51. ex quibus omni-

bus concludit in agro huius libri simul cum tritico creuisse zizania, nec librum esse diuinum vt buccinant Ianseniani, & habere mala mixta bonis, & bona mixta malis: vt proinde ex hoc capite, nihil aut parum crescere possit prætensæ iniuriæ per bullam Vrbanianam grauitas.

Plura dici possent, hæc tamen pauca sufficere poterunt ijs qui hactenus sub prætextu quærendæ humilitatis in libro Iansenij, contemptores ac rebelles se præbuerunt Decreto Summi Pontificis, cui se submittere debuissent si veri Discipuli Reuerendi Episcopi Iprensis videri volunt, cum ipse si vixisset Decreto eidem morigerum se præbuisset, secundùm datam fidem & emissam protestationem in propinquo animæ exitu, ac in sublimium Dei iudiciorum conspectu. Ac verendum puto ne si plures quotidie pergant contra prohibitionem Summorum Pontificum disputationes istius libri euoluere, plures quotidie eiusdem erroribus inficiãtur, illisque competat quod lectoribus hæreticorum accidere grauiter asserit Ambrosius Catharinus ad caput 3. *Epistolæ beati Pauli ad Titum*. Reperiuntur quippe non pauci, inquit, qui libros istorum etiam cum grauissimâ anathematis censurâ vetitos legere non reformidant, quasi fiat eis iniuriâ priuenturque aliquo beneficio magno, quibus hæc legendi facultas interdicitur: isti iustâ Dei sententia permittuntur ob superbiam, & præsumptionem iisdem inuolui erroribus qui maioribus obsequi nolũt nec credũt inesse tantũ veneni, quãtum eis prædicitur: ex quo fit vt illub sensim bibãt & pereant. *Qui amat periculum inci-*

det in illud (Ecclesi 3) & iterum : *Quis miserebitur incantatori si mordeatur à serpente* (ibid 12.) nam primum sermonis facundiam admirari incipiunt, tum sententias scripturarum productas, quas dum vel explicare vel conciliare nesciunt, arbitrantur ab hæreticis non perperam intelligi. Quod si pateat semel (quemadmodum in Euâ accidit.) Serpenti aditus ad extorquendum primum consensum, post probatum vnum & alterum locum, solet & author placere & commendabilis reddi *&c.*

ARTICVLVS XIV.

An scelus sit impugnare propositiones Michaelis Baij.

INstabis nos videri præuaricatores esse contra dcerta Bullæ Summi Pontificis, cuius hic defensionem suscipimus, Et enim eâdem Bullâ prohibetur ne quis de articulis in eâ designatis vel loqui, vel scribere, vel disputare aggrediatur. *Deque eisdem*, inquit, *& similibus post hac quoquo pacto loquendi, scribendi & disputandi, facultatem quibuscumque interdicimus* &c.

Sed in istis verbis quis non deprehendat spiritum Summi Pontificis, quo sub grauissimis pœnis prohibet, ne quis vel loquatur, vel scribat vel disputet ad propugnandos articulos in Michaelis Baij opusculis damnatos? Non enim vetat Summus Pontifex ne subnascentes hæreses continuo opprimantur vel sermone vel ca-

lamo, error enim cui non contradicitur approbatur, maximè vero cum earum occaſione diſcinditur Eccleſia, multique exiſtimant adiaphoras eſſe ſententias quorumdam quod à pluribus paſſim non redarguantur; inde enim naſcitur factio & turba indifferentium Theologorum, qui vt ſe conſtituant arbitros & iudices litigantium de rebus fidei, vtramque partem ſic probabilem eſſe tuentur, vt nihil metuendum & cauendum eſſe dicant; vnde ſine obice & impunè ſermo erroneus vt cancer ſerpit, quo corpus Eccleſiæ miſerabilem in modum difformatur, vt non minores ſtrages ab huiuſmodi indifferentibus proueniant, quam ab ipſiſmet hæreſeon authoribus. Quibus metuendum eſt à verbo Chriſti Domini (Lucæ 11.) *qui non eſt mecum contra me eſt, & qui non colligit mecum diſpergit.* Tepidi illi ſunt, ſcilicet, nec frigidi nec calidi, nec huiuſmodi ferre poterat Solonis lex. Et Elias ſeuerè arguit Prophetas in vtramque partem claudicantes. 3. *Reg* 18. Ite, inquit, limatus ſcriptor huius ſæculi (*Sherlogus in Cant. anteloquio.* 5. *ſubſect.*2.) ite per antiquas ſemitas, & euoluite temporum hiſtorias: cogitate per deum immortalem, quid datæ profuerint Ario moræ: quæ Pelagij fraudes, quid cætera oriente excitata hæreſum incendia. Sed præſtat ab huius furfuris fortiſſimo malleo Hyeronimo audire, qui in illud 5. ad Galatas *modicum fermentum totam maſſam corrumpit* &c. Doctrina peruerſa ab vno incipiens, vix duos aut tres primum in exordio reperit auditores, ſed paulatim vt cancer ſerpit in corpore, & iux-

ta vulgare prouerbium, vnius pecudis ſcabies totum commaculat gregem. Igitur & ſcintilla ſtatim vbi apparuerit extinguenda eſt, & fermentum à maſsâ vicinâ ſemouendum: ſecandæ putridæ carnes, & ſcabioſum animal à caulis ouium repellendum: ne tota domus, maſſa, corpus & pecora, ardeat, corrumpatur, putreſcat, intereat. *Arius in Alexandria vna ſcintilla fuit: ſed quia non ſtatim oppreſſa eſt, totum orbem eius flamma populata eſt.* Quibus magni & antiqui Eccleſiæ Doctoris ſermonibus, neſcio ſi quid melius quadrare poſſit noſtrorum temporum controuerſiijs, aut ſi quid potentius dici poſſit, quo excitentur Theologorum annimi ad retundendos nouantium Ianſenij fœderatorum conatus. Metuendum quippe in ægritudine ſpirituali idem quod in morbo corporis.

Sero medicina paratur
Dum mala per longas inualuere moras.

Sed & impugnationem haud ingratam fore Summo Pontifici, argumento ſatis probabili confidimus. Mœrore quippe ſe affici Pius Pontifex teſtatur in Bullâ, propter aſſertionem harum ſententiarum, earumque in ſcolis contentioſam defenſionem; at contrariorum contrarij ſunt effectus & conſequentiæ non ergo exoſam aut inuiſam habiturus eſt earumdem ſententiarum impugnationem Hoc ſtimulo excitati de articulis iſtis diſputamus, vt errorem aduertant, imo & ad Deum preces fundimus, vt ſe ab eo corrigant, nec hac quorumdam ſtultitiâ detineantur, qui in malo quod ſemel incepe-

inceperunt ideo perſeuerant,, ne alijs malè incœpiſſe videantur. Atque in hâc vltimâ agendi ratione, plus forſan opis conferimus, ſicut de quibuſdam ſcripſit D. Auguſtinus Epiſt. 106. *plus eis tamen ſine dubitatione præſtamus, ſi vt corrigantur oremus, ne cum tantis ingenijs vel pereant vel alios perdant* &c.

ARTICVLVS XV.

An in hac prima parte quidquam acerbius ſcriptum?

ITa fortaſſe videbitur nonnullis, in quibus veritas odium parit. Attamen longè mens noſtra ab hoc propoſito aliena fuit, adeo vt cum quædam occurriſſent, quæ tantiſper acerba currente calamo in exemplari noſtro irrepſerant, ea abraſerimus, antequam illud Typographo traderetur. Iam pridem enim obſeruaui & veneratus ſum grauiſſimè dictum à ſancto Hilario Pictauienſi Epiſcopo in Pſal. 51. *Ne ſit admonitio contumelia, ne ſit emendatio opprobrium, ne ſit doctrina conuitium*. Et quamuis in hoc ſcriptionis genere contra Nouantes in doctrinâ fidei ſtilum deceat eſſe magis aculeatum, ſicut eruditè oſtendit Dionyſius Petauius *in Elencho theriacæ Vincentij Lenis*, cap. 29. Quis enim neſcit, inquit, genus hoc orationis pugnax & contentioſum quod in refellendo poſitum eſt, niſi neruos & aculeos habet ad inſtandum, fractum, enectumque langueſcere? Quod confirmat antiquorum Patrum exemplo, qui cum in cæteris faciles eſſent, tunc ſui diſſimiles fuerunt, hoc eſt aſperi,

cum aduersus grassantes suis temporibus nouitates errorum, ad bellandum scripta sua componerent. Quod æquius in hoc certamine fieri posset, cum scateant libri aduersariorum maledictis, conuitijs, dicterijs, ac scommatibus; tantoque contemptu habeant Doctores à saliuâ quam semel imbiberunt dissilientes, vt cum brutis non irreuerentiùs agerent. Quod consiliũ auersamur, quia nobis semper magis arrisit, seu in doctrina, seu in moribus deerrantes, blandimento lenitatis attrahere ad Christum, quam austera quadam seuêritate, quâ nõnulli, etsi zelo æstuantes, plus destruunt quam ædificant. Verum est in hac primâ parte, nos quædam dicta in hæreticos à Patribus, Bullæ Pianæ & Vrbanianæ aduersarijs adaptasse, ac nonnumquam eorumdem cum ijs qui hæresis crimine notati fuerant comparationem instituisse: attamen eos propterea hæreticos non appellamus, quoniam omnis comparatio claudicat, nec sequitur illico, eum me nautam aut regem dixisse, quem cũm nauta aut Rege cõtulerim. Et sane per tenorem ac vim harum Bullarum quas defendimus non videntur ij de hæresis peccato satis conuicti. Nam quamuis inter propositiones in Baio damnatas, aliquæ sint quas hæreticas declarant Summi Pontifices, & verè ita sit, attamen hæc nota tantum in eos quadraret, qui omnes istas propositiones absque exceptione contra dictum Summi Pontificis tuerentur, qualem nullum agnosco, & difficile inueniri posse Theologum existimo, qui sibi tot absurda simul in animum suum inducat, ac vera esse sibi possit persuadere: qui vero ali-

quas tantum ex his propositionibus damnatis admittunt, iure merito excipere possunt contra eos à quibus hæreticorum nomine traducerentur, Summos Pontifices non declarasse inter propositiones Baianas quænam essent hæreticæ, nec de hoc per eorum Bullas vllo modo constare: quare cum non omnes defendant, sed tantum aliquas, puta sex vel decem, incertum esse an hæ sint de earum numero quibus opprobrium hæresis intulerunt Summi Pontifices, se itaque ab hæresis infamia immunes esse quantum est ex parte Bullarum, nec ex earum tenore ac virtute de hæresi argui posse. Quod mihi veritati consentiens esse videtur, vt non placeat amara aliquorum contentio quâ accusant hæresis quoscumque audierint, aliquibus Baianarum propositionum damnatarum adhærere. Sed vt non sint hereticæ singulæ hæ propositiones, negari tamen non potest quin de hæresi suspectæ sint singulæ, nec satis sibi cauere, qui vel vnam aut alteram propugnant. Exemplo mentem meam illustrabo, ne obscurè loqui videar, quod exemplum sępè mihi in memoria est, habetque Chauassius Doctor, Theologus Societatis Iesu, l. 3. *de Perfecta Prudentia*, cap. 3. vt homines excitet ad mortis vtilissimam recordationem. Si te oporteret, inquit, septem panes comedere in quorum vno venenum latere certo tibi constaret, trepidares indubiè ad singulos: metueres similiter iturus ordine ad amicos totidem, de quibus dixisset tibi ad aurem Propheta quispiam, horum vnus exitialem occultat sicam ad te conficiendum, reque ipsâ conficiet. Quid au-

tem aliud sunt hebdomadæ cuiusque dies quam amici quidam, & vitæ panes ordine recurrentes quorum vnus indubiè mortis spiculum in te vibrabit prius occultum? Ex quibus perspicient satis, quid dicere intendam, etsi nondum dixerim, scilicet, Summus Pontifex omnium Christianorum pater ac Doctor vt vocat Concilium Florentinum in *definitione*, declarat nobis & singulis Christianis esse 78. propositiones Baij; (alij ad maiorem aut paulo minorem numerum reuocant) quarum aliquæ veneno hæresis infectæ sunt non manifestatis ijs; an non verus Catholicus omnis hæresis osor quâ intoxicantur ac moriuntur animæ, si vel vnam aut alteram ex illis apprehendat ac defendat, contremiscere debet, ne forsan illæ ipsæ sint quibus mori debet in anima? Videant illi ac perspiciant quam legem velint animæ suæ imponere, nam si illis offerentur viginti poma in quorum aliquibus venenum ac mortem certissimam inesse scirēt, omnia illa poma respuerent, ne corpus male periret: Vnde Franciscus Syluius Doctor ac Professor Theologiæ Duacensis asserit *q. 5. Supplem. art. 1. Edit. 3. & 4.* Se ne vnum quidem ex articulis damnatis in Baio tueri posse sine magno piaculo. Sed quia causantur quidam inter illas propositiones quasdam veras esse, sequentis partis erit argumentum, iustam omnium fuisse damnationem elucidare ac aliqua breui ratione comprobare.



ARTICVLI DISPVTATI DE GRATIA.

PARS SECVNDA.

DAMNATIO IVSTA 78. Propositionum Michaelis Baij.

ARTICVLVS I.

Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia. L. de Meritis Operum, cap. 4.



VÆRITVR an hic articulus rectè damnatus sit: etenim illud appellatur Gratia à Michaele Baio quod vel est gratia ipsa, vel ex gratia profectum est: at merita primi hominis nec sunt gratia ipsa vt euidens est, nec ex gratia originem ducunt; ille enim status primi hominis, sicut & Angeli adeo excellens & sublimis erat, vt gratiæ diuinæ superadditæ viri-

bus naturalibus, non indigeret adiutorio ad merendum: ideoque merita ex ipsamet natura rectè institutâ profluebant.

Respondetur in hoc errasse Michaelem Baium quod nimis extolleret statum naturæ integræ qualis erat in Angelo & primo homine, adeovt quod Pelagius malè sentiebat de statu naturæ corruptę, illam scilicet gratiâ supernaturali non indigere, idem ipse sentiret de statu naturæ integræ, ipsam scilicet sibi sufficere ad merendum vitam æternam sine gratiæ supernaturalis & indebitæ adminiculo: vt non immerito Pelagius Paradisi Terrestris appellari possit. Si quam autem gratiam admitteret in illo statu, volebat illam debitam esse naturæ innocenti, non secus ac gratiam habitualem Christo homini debitam fuisse naturaliter defendit Thomas Hurtado *in Præcursore Theologo*, tract. vltimo *controuersia* sextâ, post plerosque Theologos: quâ in sententia viam singularem sequutus est, & Theologis antiquis incognitam, ex quâ innumera sequuntur absurda, ideoque rectè damnatus est hic articulus; cui etiam obnititur D. Augustinus in Psal. 70. *Angeli*, inquit, *tibi debent quod iuste viuunt, tibi debent quod beatè viuunt*: & post pauca: *Nec putes hominem solum pertinere ad gratiam Dei, quid est Angelus, si deserat qui creauit*? Ex hoc enim merita Angeli, & primi hominis rectè vocãtur gratia, quod ex illâ conditoris liberalitate naturæ superaddita virtutem suam desumant.

Ad argumentum oppositum, neganda est propositio, quod status ille per se tam excellens

fuerit vt gratiâ non indigeret ad merendum. Sic enim D. Augustinus loquitur in *Enchiridio*, cap. 106. *Quamuis sine gratiâ nec tunc vllum meritum esse potuisset.* Nec gratia illa ita dici potest connaturalis primo homini vel Angelo, sicut Christo Deo homini, cuius esse, quia erat supernaturale, decebat etiam illius passiones ac virtutes tali esse correspondentes, supernaturales esse in propria entitate, licet respectiuè ad ipsum connaturales aut naturales dici possent. Nimium igitur extollitur status ille primus, si statui Dei hominis, cui nihil par aut secundum in honore isto, adæquetur.

ARTICVLVS II.

Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium.

L.2. de Meritis Operum, c.2.

QVæritur an rectè damnatus sit hic articulus: Etenim Deus magis propendet in fauorem, & misericordiam quam in rigorem, & iustitiam, proniorque est ad præmia conferendum, quam ad pœnas & supplicia inferendum, ergo si malum opus ex se mortis æternæ meritorium est, multo magis bonum opus ex se vitæ æternæ meritorium erit.

Respondetur doctorem Baium voluisse superfluam, & non necessariam esse gratiam supernaturalem ad meritum vitæ æternæ, qua in re fefellit eum propria opinio, vt enim vita æterna

est supernaturalis, sic etiam per merita ordinis supernaturalis acquiri debet, vt sic medium fini sit proportionatum: quare opera bona debent habere aliquid supernaturale in se, vt attingant vitam illam supra naturam eminentem: sicque proficisci debent ex gratia supernaturali actuali vel habituali, vt sint supernaturalia; non igitur ex seipsis meritoria sunt vitæ æternæ. Quod videtur magis probari ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 16. Vbi rationem reddit, cur iusti mereantur vitam æternam suis operibus. *Cum enim*, inquit, *ille ipse Christus Iesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat, quæ virtus eorum bona opera semper antecedit & comitatur & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possint, nihil ipsis iustificatis deesse posse credendum est, quo minus vitam æternam promeruisse censeantur.* Vbi per virtutem Concilium intelligit gratiam, per quam bona opera redduntur Deo grata & meritoria, quæ non essent ob propriam naturam.

Ad argumentum in oppositum neganda est comparatio: quia facilis descensus Auerni, nec est ad astra mollis è terris via: scilicet facilius homo mortem sibi comparat quam vitam; est spiritus vadens & non rediens, per se & sponte sua ruit in mortem ac propriis viribus; non autem ita vitam acquirit, maximè illam quæ supernaturalis est: Sicque natura sibi ipsi sufficiens est ad destructionem & interitum, non ad prouectionem tantam qualis est status gloriæ.

ARTICVLVS III.

Et bonis Angelis & primo homini, si in statu illo perseueraßet vsque ad mortem ad vltimum vitæ fœlicitas esset merces & non gratia. L. 1. de Meritis Operum, cap. 4.

QVæritur an hic articulus etiam censura notandus fuerit, nam si status ille perseuerasset, gratia non erat necessaria; ergo fœlicitas æterna non debuisset gratiæ supernaturali attribui, nec dici gratia sicut modo, sed tantum merces. Probatur antecedens, quia si natura gratia indiguisset in hoc statu, redundaret in iniuriam creatoris: quasi non satis perfectam & robustam naturam condidisset, cum sint eius perfecta opera.

Respondetur doctrinam huius articuli omnino affinem esse doctrinæ præcedentium articulorum, ideoque potuisse in eadem censura inuolui. Supponit siquidem gratiam supernaturalem & naturæ superadditam, non habituram locum in statu innocentiæ in quo conditus est Angelus & primus homo. Quod impugnat D. Augustinus lib. 12. de Ciuit. cap. 9. vbi ita disserit: nam & hoc discutiendum est si boni Angeli ipsi in se fecerunt voluntatem bonam, vtrum aliqua eam, an nulla voluntate fecerunt. Si nulla, vtique nec fecerunt, si aliqua, vtrum mala an bona, si mala quomodo potuit esse mala volun-

tas bonæ voluntatis effectrix? si bona ergo iam habebant: & istam quis fecerat nisi ille qui eos cum bona voluntate, id est, cum amore casto quo illi adherent, creauit, *simul in eis & condens naturam & largiens gratiam*. Vbi D. Augustinus per gratiam intelligit amorem illum castum seu bonam voluntatem naturæ superadditam; quæ in malis Angelis per peccatum corruit, etsi naturalia in eis remanserint, vt frustra quidam hic interpretari velint D. Augustinum, de Amore quodam naturali qui eorum naturam sequeretur sicut grauitas lapidem: distinguit enim hic D. Augustinus naturam & gratiam, quod & de primo homine similiter sentiendum est.

Ad rationem in oppositum dicendum est semper perfecta esse Dei opera in eo perfectionis gradu quem illis conferre intendit; & ijs modis quibus ea complere gradatim & per partes solitus est. Agit in homine & vt creator, & vt largitor gratiæ, & vt glorificator, nec minus perfectus est creator; quia vt glorificator ad altiorem gradum naturam creatam attollit, itaque natura à Deo condita in ratione naturæ perfecta est, etsi per gratiam & gloriam ad sublimiorem gradum euehatur. Vide quæ scripsimus in *Theologiâ Affectiuâ*, l. 2. tract. 1. Medit. 2. Vbi perfectionem hominibus non vna vice & totam simulconferri demonstramus.

ARTICVLVS IV.

Vita æterna homini integro & Angelo promissa fuit, intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt. Ibidem.

QVæritur an notari debuerit hæc propositio: prima enim illius pars non videtur vllam pati difficultatem prout iacet in terminis. Secunda vero pars videtur asserta à D. Augustino l. 12. de *ciuit.* c. 1. vbi dicit naturæ esse Angelorum Deo adhærere, vt proinde mirum non sit si ex lege naturæ, id est, naturaliter sine auxilio supernaturali gratiæ bona opera vitam æternam mereantur. Verba D. Augustini sunt. Sicut ergo cum vitium oculorum dicitur cæcitas, id ostenditur quod ad naturam oculorum pertinet visus: & cum vitium aurium dicitur surditas, ad earum naturam pertinere demonstratur auditus: *ita cum vitium Angelicæ creaturæ dicitur, quod non adhæret Deo; hinc apertissime declaratur, eius naturæ vt adhæreat, conuenire.* Si ergo naturale est vt videtur innuere D. Augustinus homini & Angelo Deo adhærere, non erit necessarium donum aliquod supernaturale & gratuitum fidei vel gratiæ ad vitam æternam promerendam: Sicque ex lege naturæ non gratiæ, bona opera ad illam assequendam sufficient.

Respondetur supra ostensum esse ex Concilio Tridentino, gratiam supernaturalem requiri ad meritum . iuncta ratione de proportione

requiſitâ inter medium & finem, inter meritum vitæ æternæ & fœlicitatem. Volebat autem Baius naturam intellectualem, ſeu Angelicam, ſeu humanam in primo ſtatu tantâ excellentia donatam fuiſſe, vt opera ſolius liberi arbitrij nullâ gratiâ ſupernaturali adiuti, aut eleuati, digna, eſſent vitâ æternâ, ad quam proinde & homines, & Angeli ex ſolo talium operum intuitu Prædeſtinati eſſent. Quaſi vita æterna, iuxta Apoſtoli dictum ad Rom. 6. non eſſet gratia Dei, tam in ſtatu naturæ integræ, quam corruptæ, quia ſcilicet vita illa promittitur à Deo ob ea opera quæ valorem omnem hauriunt ex illa gratia quæ indebito erga hominem diuinæ dignationis beneficio, ſupra naturalia conceditur, qualis eſt filiationis adoptiuæ dignitas, quæ & creaturam reddit nobiliorem, eiuſque opera ſic afficit & eleuat, vt æternæ vitæ dignam reddat retributione; Quo fit vt cum homo excidit à dignitate illa filiationis & gratiæ ſanctificantis, omnia illico merita deperdat. Ezech. ch. 18. *Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes iuſtitiæ eius non recordabuntur:* cuius veritatis ampliores probationes plerique afferunt Theologi, quas hic aggregare, extra noſtrum eſt inſtitutum.

Ad rationem oppoſitam ex D. Auguſtino deſumptam, reſpondetur cum Leonardo Coquæo Commentarijs ad illud caput, D. Auguſtinum docere quidem id maximè conuenire naturæ Angelicæ, vel in vniuerſum intellectuali vt Deo adhæreat, non tamen ſeipsâ vel ſecluſo omni dono ſupernaturali, ſed vult diſtinguere naturam An-

gelicam à naturis ratione carẽtibus, quibus non conuenit vt beatæ esse possint. Est ergo naturæ hominum in statu innocentiæ sicut & naturæ Angelicæ Deo adhærere. sed modo non naturali, sed supernaturali: sicut eiusdem naturæ est Deum videre facie ad faciem, sed per lumen gloriæ superinfusum & supernaturale.

ARTICVLVS V.

In promissione facta Angelo & primo homini continetur naturalis iustitiæ constitutio, qua pro bonis operibus sine alio respectu, vita æterna iustis promittitur. Ibidem.

QVæritur an quicquam dignum sit virgâ censoriâ in isto articulo: videtur siquidem iustitia seu ęquitas naturalis exigere, vt bonum dignum vita æternâ Deus non relinquat sine præmio & sine promissione præmij, sicut opus malum sine supplicio & interminatione supplicij non dimittit, quare cum Deus promisit Angelo & primo homini fœlicitatem si rectè agerent, videtur Deus id ex quodam debito iustitiæ naturalis fecisse, vt si aliter se gessisset contra æquitatem naturalem fecisset. Sicque in illâ promissione vitæ æternæ naturalis iustitiæ constitutio contineri & inesse videtur.

Respondetur tot titulis creaturas intellectuales quales sunt Angelus & homo deuinctas es-

ſe Deo, vt milleſimæ parti debitorum ſuorum Deo in rigore ſatisfacere non poſſint. Omnia enim opera ſua Deo debent in recognitionem ſupremi illius dominij .& excelſæ maieſtatis : ea debent titulo gratitudinis propter creationis conſeruationis & ſuſtentationis beneficium. Ea debẽt homines propter minimi peccati remiſſionẽ: quare potuiſſet Deus abſque vlla iniquitate contra iuſtitiam naturalem nihil omnino promittere de bonis cœleſtibus, ſed homini vel Angelo dicere potuiſſet, veſtra bona opera accepta habeo tanquam mihi debita ex gratitudine, & ſeruitute, & ex ſatisfactione pro delictis. Sic D. Bernardus ſerm. 1 *in Annunt.* Nec enim inquit talia ſunt hominum merita *vt propter eà vita æterna debeatur ex iure, aut Deus iniuriam aliquam faceret niſi eam donaret : nam omnia dona Dei ſunt & ita propter ipſa magis homo deo debitor eſt, quam Deus homini.*

Ad argumentum in oppoſitum, reſpondetur æquè liberum eſſe Deo dimittere peccatum impunitum, ac bonum opus ſine mercede vitæ æternæ : quapropter docent Theologi non defuiſſe Deo alios modos præter Incarnationem, quibus potuiſſet hominem liberare, vt ſi ex miſericordiâ tanquam ſupremus princeps culpam condonaſſet.

ARTICVLVS VI.

Naturali lege constitutum fuit homini, vt si in obedientia perseueraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset. Ibidem.

QVæritur quid culpæ inueniri possit in hac assertione, nam *stipendium peccati mors est*, vt loquitur Apostolus: & iniustum est, vt homo Deo obediens, morte puniatur, aliumque statum nanciscatur quam illum, in quo viget immortalitas, qualis est status beatificus.

Respondetur hanc assertionem affinem esse illi, quæ immediatè discussa est & improbata, vt proinde improbanda veniat. Quantumuis enim primus homo sanctè ac piè in mandatis Dei vixisset: attamen quis illum ad beatam vitam à quâ procul exulat mortalitas, euexisset? neque enim ipse suis viribus è terrâ ad cœlum transmigrare potuisset, aut seipsum in terrâ immortalem conseruare, durante quatuor humorum conflictu, ex quo tamdem infirmatur corpus & languescit ad mortem: naturali enim lege, semotâ aliâ conditoris liberalitate & gratiâ, homo moritur propter naturalem corporis constitutionem, nec obedientia quam debet & quam præstat conditori naturalem illam constitutionem immutat: quare si homo fuisset immortalis, id adscribendum fuisset di-

uinæ liberalitati & munificentiæ, non naturali legi & iustitiæ. Sic D. Augustinus l. 6. de Genesi ad litt. c. 25. *Aliud est* inquit, *non posse mori, aliud posse non mori. Secundum quemdam modum primus creatus est homo immortalis, quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ*, & paucis interiectis. *Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris.* Vnde patet, non ex debito & ex lege naturali hominem permansurum immortalem si in obedientia perseuerasset, sed quia Deo placuisset ex dono & gratia illi immortalitatem cõcedere, & ex illa obedientiã eius liberè absque debito & obligatione remunerari, sicut Israelitarum vestes & calceamenta per plures annos in deserto non atteri voluit.

Ad argumentum in oppositum dicendum est Apostolum id quod factum est narrare dum dicit mortem stipendium esse peccati, quia reuera propter peccatum hominem occidit: quamuis si non peccasset, & Deus res naturales cursum suum tenere permisisset, mori non desiisset: nec iniustus propterea Deus fuisset, cum nulla lege teneretur rerum mortalium ordinem immutare, nisi liberaliter promisisset.

ARTICVLVS VII.

Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera, sed iuxta modum loquendi Scripturæ Sacræ, non recte vocantur gratia, quo fit vt tantum merita, non etiam gratia debeant nuncupari. Ibidem.

QVæritur an quidpiam sit animaduersione dignum in hoc articulo: homo enim crea-

tus

tus fuit propter Dei gloriam ad eum videndum, debebatque visionem Dei per bonorum operum merita adipisci: eo ipso quod à Deo fuit creatus propter hunc finem, connaturaliter ex vi creationis debebantur illi bona merita, tanquam aliquid naturaliter consequens creationem: quare merita primi hominis fuerunt primæ creationis munera: at cum ex gratiâ indebitâ naturæ non profluxerint, gratia non debent appellari in sensu in quo scriptura id quod promanat è gratiâ, gratiam nuncupat: tantum ergo merita non gratia dici debent.

Respondetur cum merita fundata sint in gratia sanctificante potissimum quæ Adamo non debebatur ex vi primæ creationis à Deo: illum non potuisse habere vlla merita ad vitam æternam extra gratiam Dei: & cum in phrasi scripturæ, gratia illud dicatur quod innititur gratiæ, vel ab ea ducit originem, rectè merita primi hominis dici debent gratia & non solum merita. In hoc autem deceptus est Baius, quòd crederet gratiam sanctificantem in qua homo creatus est, fuisse illi naturaliter debitam vt per eam ad beatitudinem tanquam ad finem naturalem ad quem conditus erat perueniret, quare iuxta eius mentem illa gratia erat tantum gratia creationis, non verò gratia Theologica quæ est donum supernaturale & naturæ indebitum ad assequendam beatitudinem gratuito collatum. Quod Principium Baij improbatur à D. Thoma. 1 p.q. 95. art.1. à Scoto in 2. sent dist. 29. q. vnica. Durãdo in 2. dist. 2 q 5. & alijs cõmuniter, vt Theologia Baij merito dici possit peregrina & noua.

Ad argumentum in oppositum dicendum est hominem creatum fuisse propter beatitudinem tanquam propter finem supernaturalem, ad eumque debuisse peruenire per media supernaturalia, quæ Deus ex prouidentia sua sufficienter homini subministrasset. Sed de his infra luculentius.

ARTICVLVS VIII.

In redemptis per gratiam Christi, nullum inueniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum. Ibidem.

QVæritur an quid carpendum fuerit in hac conclusione. Omnes enim redempti per gratiam Christi fuerunt saltem in peccato originali, & plures in alijs peccatis: Quare quicquid illis diuina liberalitas concessit, non nisi indignis ob demeritum concessit: ergo hæc conclusio expungenda fuerat ex numero articulorum damnatorum.

Respondetur eos qui sunt in gratia sanctificante iam constituti ex mera Dei misericordia, non iam censeri indignos diuinis donis, sicut indigni habentur qui sunt in statu peccati mortalis. Sed quia posset Baius contendere eos aliquando fuisse indignos, ideo respondetur hunc articulum damnandum fuisse propter beatissimam Virginem quæ in numero redemptorum vel redemptarum per gratiam Christi collocanda est: quis tamen assereret nullum inueniri

potuisse bonum in ipsa meritum quod non fuerit indignæ collatum, cum nunquam originali peccato maculata fuerit? Vt vnio hypostatica quæ est gratia gratiarum & exemplar omnium gratiarum humanitati Christi non indignæ nec demerenti collata est; sic gratia & omne bonum meritum ex eâ profluens collata sunt Beatissimæ Virgini non indignæ nec per peccatum demerenti. Sed & bona opera, quæ iam iustificatis diuino munere conceduntur, non indignis conferri dici debent, quod alias fuerint in peccato: nam sic & gloriam, cum sanctis omnibus tribuitur, indignis tribui posset dici, cum alias etiam, excepta B. Virgine, in peccato fuerint Quod piarum aurium offensiuum est, cum peccatum in ijs perfectè deletum sit; & nihil damnationis ex eo amplius remaneat.

Ad rationem in oppositum dicendum est, quod vt aliquid concessum indigno censeri debeat, non satis esse, quod aliquando indignus fuerit, nisi & tunc indignus sit, cum de facto conceditur. Gratia enim Dei extollit hominem ad statum quemdam eminentem, quo filius & amicus Dei constituitur, hæres Dei & cohæres Christi, vt nimis honorificatos Dei amicos esse, exclamet propheta regius Psal. 135.

ARTICVLVS IX.

Dona concessa homini integro & Angelo forsitan non improbandâ ratione, possunt dici gratia, sed quia secundum vsum sacræ scripturæ, nomine gratiæ ea tantum munera intelliguntur, quæ per Iesum Christum male merentibus & indignis conferuntur: ideo neque merita, neque merces quæ illis redditur, gratia dici debet. Ibidem

QVæritur an castigari debuerit hæc propositio in aliquâ sui parte. Prima enim illius pars, quæ tantum sub dubio asserit dona concessa homini integro qualia sunt fides, spes, charitas, posse nomine gratiæ donari, non videtura rguenda, Baius enim dona illa, etsi existimaret debita naturæ integræ primi hominis, gratiam appellabat, quod apud illum creatio & quæ illam consequebantur nomen gratiæ sortiebantur, etsi non præsupponerent subiectum, quod illa sine vllis meritis reciperet gratis & sine debito vllo à Deo collata: creatio siquidem ex dono & liberâ Dei munificentiâ est. Secunda vero propositionis pars videtur vsurpare nomen gratiæ in vero sensu; cum autem homo adhuc in statu integritatis degens, in quo concupiscentiæ motus nulli contra rationem insurgebant, nihil peccasset adhuc nec de-

meritus fuisset, quod idem de primo Angelo sentiendum est, gratia locum in illis non habebat, quare nec, eorum merita nec merces illis reddenda, gratiæ nomine nuncupari debebant.

Respõdetur Baium in eumdem offensionis lapidẽ incurrere in hoc articulo in quem iam in aliquibus articulis præcedentibus impegerat, vt mirum non sit si adhuc confringatur. Abutitur enim nomine gratiæ sicut & Pelagius, cum creationem & dona ex illa consequentia gratiam vocant, hæc enim gratia Philosophica est, non Theologica. Sed transeat istud cum dictum suum interpretetur, & dicenti congruat vt semetipsum interpretetur, secũda vero pars propositionis tolerari non potuit, cum strictiùs gratiæ nomen vsurpet quam soleat à scriptura sacra vsurpari, quæ non tantum illud gratiam esse dicit, quod peccatori & demerenti, per actum aliquem positiuum peccati, confertur, sed etiam quod iustis aut iustificatis. Quomodo enim alias Angelus Virginem salutasset vt gratiâ plenam, Lu. 1. quæ nunquam malè merita erat? Sed & quomodo stabit diuisio gratiæ sanctificantis in primam & secundam, si non alia est gratia quam quæ indigno & existenti in statu peccati confertur? Quare cum merita primi hominis, nec non Angeli ex gratiâ verâ profluxerint, gratia dici debent sicut & merces illis reddenda iuxta Apostolum ad Rom. 6., *gratia Dei vita æterna.*

Ad rationem oppositam, patet solutio ex dissertis in corpore articuli.

ARTICVLVS X.

Solutio pœnæ temporalis, quæ peccato dimisso sæpe remanet & corporis resurrectio proprié, non nisi meritis Christi adscribenda est. Ibidem.

QVæritur an vera sit ista propositio, & cum merita Christi maximè extollat, quid in illâ arguendum sit, omnia enim bona à Christi meritis profluxerunt, & Christum magis honorat, qui plures effectus redemptionis nostræ illi attribuit.

Respondetur, etsi hæc propositio habeat aliquam speciem veritatis & pietatis, si tamen pænitus perspiciatur, in hoc arguenda est, quod non nisi meritis Christi, dimissionem pœnæ temporalis necnon resurrectionem corporis, vendicans, excludit omnem virtutem satisfaciendi in piis & pœnalibus operibus, virtutem quoque merendi resurrectionem corporis cum alijs ad beatitudinem spectantibus ab iisdem arcet operibus. At sermo diuinus nos adhortatur ad opera satisfactionis. Luc. 3. *facite fructus dignos pœnitentiæ.* Et opera hominis per pœnitentiam iustificati ex meritis Christi habent vim expiandi reatum pœnæ temporalis post culpam dimissam restantis, dignitas enim quædam illis accessit ex gratia & inhabitante Spiritu Sancto, & pretiosiora sunt apud Deum

& vt loquitur D. Leo Sermone de *collectis* exigua ista impendia tantâ estimari taxatione merentur, *quia pondera operum charitatis lance pensantur.* Vnde Cōcilium Tridentinum sess. 14. can. 13. *Si quis dixerit pro peccatis quoad pœnam temporalem, minimé Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis & patienter toleratis, vel à Sacerdote iniunctis, sed neque sponte susceptis, vt ieiunijs, orationibus, eleemosinis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum nouam vitam; anathema sit*: & sess. 6. can. 32. *si quis dixerit hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, vt non sint etiam ipsius iustificati merita, aut ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Iesu Christi meritum, cuius viuum membrum est, fiunt, non veré mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratiâ decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit.* Vbi cum alijs causis à meritis Christi, licet secundarijs & minus præcipuis attribuatur remissio pœnæ & resurrectio corporis quæ in æternâ vitâ continetur, non satis Catholicè asseritur non nisi meritis Christi, hæc attribuenda esse.

Ad rationem oppositam dicēdum est Christum nihil plus exoptare quam vt eius meritis tanquam causis palmaribus ac præcipuis tribuantur effectus redemptionis; nec dedignatur nos habere secum cooperatores vt cum Apostolo dicere possimus, *non ego solus, sed gratia Dei mecum*, 1. Cor. 15.

ARTICVLI XI.

Quod piè ac iuſtè in hac via conuerſati vitam conſequamur æternam, id non propriè gratiæ Dei, ſed ordinationi naturali ſtatim initio creationis conſtitutæ iuſto Dei iudicio deputandum eſt, neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum reſpicitur, ſed tantum ad primam inſtitutionem generis humani, in qua lege naturali conſtitutum eſt, vt iuſto Dei iudicio obedientiæ mandatorum, vita æterna reddatur. L. 2. De meritis operum.

QVæritur an quid minus rectè poſitum in totâ hac aſſertione. Cum enim Deus condiderit hominem propter ſuam gloriam ac propter vitam æternam, ne fruſtra propter hunc finem creatus fuerit aut deterioris conditionis ſit quam inferiores creaturæ, quæ naturalibus mediis non ſupernaturalibus, finem ſuum conſequuntur, nec aliud ab homine præſtantius expectari poſſit vt finem ſuum attingat, quam ſi mandatis Dei ſe morigerum præbeat, videtur id ex lege naturali & ex vi ſuæ creationis debitum eſſe, vt ſi obediat mandatis Dei, ad finem ſuum perueniat.

Reſpondetur, præterquam quod hic articulus nonnihil pugnare videatur cum præcedenti, vbi tam excelſè merita Chriſti attollebat, quæ hic abiicit: ſupponit inſuper beatitu-

dinem finem esse hominis naturalem, quem propterea medijs naturalibus eiusdem ordinis, adipisci debeat, non per gratiam supernaturalem naturæ indebitam: at homo conditus est propter finem supernaturalem, quem naturaliter & viribus solius naturæ attingere non potest. Porro ex supernaturalitate finis tanquam ex principio procedit necessitas gratiæ supernaturalis, vix enim eius necessitas adstrui posset, si finis ille supernaturalis non esset: quare gratia Dei supernaturalis primas tenet in consequutione beatitudinis per hominem: non igitur soli mandatorum obedientiæ consequutio vitæ æternæ tribuenda est; sed etiam gratiæ Dei, quæ medium est illi proportionatum. Vnde in ista propositione Baius gratiæ Christi plurimum derogat, quasi non ipsa, sed natura esset semen gloriæ, plurimum quoque detrahit efficaciæ passionis ac redemptionis illius, quasi per eam aditus ad cœlestem gloriam nobis apertus non esset, sed per sola opera naturæ, quæ quamtumuis heroica, sunt improportionatissima toto ordine ad sublimitatem visionis diuinæ.

Ad rationes oppositas dicendum est, non propterea peioris esse conditionis hominem si finem suum non consequatur sicut bellua per media naturalia, sed potius hoc arguere nobilitatem ac sublimitatem finis illius, qui adeo excelsus est, vt medijs supernaturalibus indigeat, quæ Deus ex prouidentia sua omnibus suppeditat, vt non frustra, propter hunc finem homo conditus sit, si velit gratiæ Dei bene operando, cooperari.

ARTICVLVS XII.

Pelagij sententia est, opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non est regni cœlestis meritorium. Eodem l. c. 4. in titulo.

QVæritur an conuinci possit assertio hæc in qua continetur magis quæstio facti quam iuris. In qua non est probabile errasse Michaelem Baium.

Respondetur censuisse Pelagium, hominem viribus naturæ posse acquirere beatitudinem, sine gratiâ sanctificante aut actuali tam in statu naturæ integræ quam in statu naturæ lapsæ. Nam cum peccatum originale non admitteret, & hominis naturales vires æque esse potentes existimaret ante peccatum Adami, ac post peccatum Adami ad eliciendos actus meritorios vitæ æternæ, excludebat pœnitus in omni statu necessitatem gratiæ adoptionis, quæ est gratia sanctificans quæ nos reddit filios Dei. Naturalia quippe remanserunt integra post peccatum tam in sententia Catholicorum quæ est apud Magistr. 2. sent dist. 33. & D. Thomam 1. 2. q 85. art. 1. & libro 4. contra gentes c. 52. Quam in sententia Pelagij qui ex Augustino l. de Gratia & libero Arbitrio c. 13. gratiam sanctificantem tantum requirebat ad remissionem peccati, non ad fugiendum malum aut facien-

dum bonum per quod mereretur vitam æternam : quare cum ſine gratiâ adoptionis opus meritorium vitæ æternæ aſſereret Pelagius, falſo illi affingebat Baius, quod ſententia eius fuiſſet, ſine gratiâ illâ opus eſſe meritorium: quâ in poſitione etiam Catholicos Pelagianiſmi inſimulabat : apud quos probata eſt hæc aſſertio , quod ſine gratiâ ſanctificante opus non eſt meritorium vitæ æternæ iuxta canonem 18. concilij Arauſicani 2. *merces debetur bonis operibus ſi fiant, ſed gratia præcedit vt fiant.* Cuius rei ratio præcipua eſt quod non alijs quam filijs hæreditatem vitæ æternæ Deus promiſerit, prout innuit Apoſtolus ad Rom.8. *ſi autem filij & hæredes, hæredes quidem Dei cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur vt & conglorificemur.*

Ad oppoſitum dicendum eſt erraſſe Baium in quæſtione facti, & merito notatum eſſe, cum doctrinam Catholicam hæretico attribuat, quaſi eſſet hæretica. Quamuis enim hæretici recte ſentiant quando cum Catholicis conueniunt : non ſolent tamen aliæ ſententiæ illis attribui , quam illæ in quibus à Catholicis Doctoribus diſcrepant.

ARTICVLVS XIII.

Opera bona à filijs adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo quod sunt conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legi. Eodem l. c. 7.

QVæritur an quid censurâ dignum sit in hac positione, etenim videtur Scriptura illi fauere, dum præmium attribuit obedientiæ mandatorum nulla habitâ ratione status gratiæ sanctificantis, seu Spiritus adoptionis inhabitantis, sic ad Rom. 1. 2. *Factores legis iusti. abuntur*, & ibidem, *reddet vnicuique secundum opera sua.* Ita vt quemadmodum malis operibus supplicium retribuetur, siue perpetrata sint à iusto aut ab iniusto, sic idem videatur asserendum de bonis operibus, quibus sine acceptatione personarum præmium reddetur seu ab homine in statu iustitiæ, seu in statu peccati existente prodierint.

Respondetur principium illud Baij quo excludebat gratiam sanctificantem à ratione meriti iam sæpiùs impugnatum esse: & iterum iterumque impugnatur his Apostoli verbis, ad Galat 5. *In Christo Iesu neque circumcisio, neque præputium aliquid valet, sed fides quæ per charitatem operatur*, & absolutè dicit idem Apostolus, 1. Cor. 13. *Si Charitatem non habeam nihil sum.*

Quæ testimonia euidenter ostendunt statum gratiæ ad meritum vitæ æternæ requisitum esse; cuius rei ratio est, quod persona debet esse Deo accepta vt opus eius acceptetur à Deo & illi polliceatur præmium vitæ æternæ. Quod communiter infertur ex illo Genes 3. *Respexit Deus ad Abel & ad munera eius, ad Cain autem, & ad munera eius non respexit*: quia Deus considerat qualitatem personæ operantis, si illi grata sit & accepta, vt opus eius ad tam sublime præmium acceptet: Vnde quia Abel charitate donatus erat, in tantum Deo grata fuit eius oblatio, vt dicat Aquilas relatus à Procopio in cap 3. Genesis, quod deposuerit iram quâ in Adamum exarserat: cuius rei pænes ipsum fides sit.

Ad opposita dicendũ est, quando Scriptura Sacra attribuit operibus rationem meriti aut demeriti, nullâ factâ mentione status personæ operantis, non exprimere omnes cõditiones ad meritum necessarias, quod necesse non est, vt in singulis locis id significet. Sufficit ergo aliquando scripturæ sanctæ exprimere præcipuũ subiectum meriti & demeriti, quod est opus ipsum, quod quidem quãdo bonum est, & procedit à personâ sancta, maiorem habet proportionem cum præmio, cum principium operis sit qualitate supernaturali affectum, sicut præmium ipsum supernaturale est: quæ qualitas cum aliquid conferat ad dignitatem maiorem operis, non est in retributione acceptatio personarum, quæ tantum locum habet cum fit ob solam personam sine aliâ iusta ratione.

ARTICVLVS XIV.

Opera bona iustorum non accipient in die iudicij extremi, ampliorem mercedem, quam iusto Dei iudicio mereantur accipere. Eodem l. c. 7.

QVæritur an mulctari debuerit hic articulus: etenim gloria datur secundum gradus gratiæ huius vitæ & secundum merita, & si quis iustificatus bonum opus & meritorium eliciat, statim ei datur augmentum gratiæ in ratione præmij, itavt cum quis excidit è vita nullus nouus gratiæ gradus ei attribuatur: ergo cum gloria ad mensuram gratiæ huius vitæ à Deo concedatur, non est qud ampliorē mercedem expectent iusti quam quæ debetur in rigore iustitiæ eorum bonis operibus: fauet D. Bernardus serm. 1. *in Assumpt. B. Virginis*: vbi sic de ea loquitur. *Quantum enim gratiæ in terris adepta est præ cæteris, tantum & in cælis obtinet gloriæ singularis.* Ergo gratia huius vitæ & gloria sunt eiusdem mensuræ, non ergo nouus gratiæ, aut gloriæ gradus datur post hanc vitam vt excedantur merita huius vitæ à gloriæ præmio.

Respondetur propositionem hanc Baji à quibusdam videri posse hac ratione debere damnari, quod sit contra communem Theologorum, imo & multorum antiquorum Patrum sententiam, scilicet quod Deus bonos remunerat vltra con-

dignum, sicut & malos punit citra condignum. Sic D. Thomas 4. Sent dist. 46. q. 2. art. 2. sic D. Bonauentura eadem dist. art. 2. q. 3. sic plures alij. Sic etiam inter patres D. Fulgentius l.1. ad *Monimum* cap. 10. Vbi gratiam retributionis exuperantem vocat & omne meritum excedentem. Sic D Hilarius in Psal. 51. & alij. Quod posset explicari vel de præmio essentiali quod daretur maius, ex liberalitate Dei in suos profusissimâ, quâ fruitionem reddat intentiorem & perfectiorem visionem, quàm sit præcisè ex iustitiâ propter merita operum debita, itaut propterea munificentiæ diuinæ gratias agere debeant beati: vel veriùs potest explicari de accidētibus beatitudinis, quia saluâ iustitiâ potuisset Deus sufficienter præmiare bona opera solo præmio essentiali visionis aut fruitionis beatificæ, non tot nec tam magnos ornatus essentiali beatitudini adiungendo: vnde illud Lucæ 6. *Mensuram bonam & confertam & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Verumtamen forsan eò non respexit Baius, sed magis ad bonitatem moralem operum ex quâ solâ mercedis quantitatem metiebatur, sine vllo respectu quod à gratiâ sanctificante procederēt: Quod axioma Pelagianismum sapit, & sæpius iam impugnatum est & adhuc à nobis impugnādum est: quare merito hic articulus censura mulctatus est.

Ad oppositum dicendum est non dari nouum gradum gratiæ iustis post hanc vitam, ratione cuius etiam nouus gloriæ gradus tribuatur vt sic supra condignum pręmientur bona opera.

Sed tamen in assignãdà mercede bonis operibus non attendit solum Deus ad valorem quem ex se se habent : quod volebat Baius: sed etiam ad gratiam & charitatem ex qua procedunt & ex quâ magis meritoria redduntur quod negabat Baius.

ARTICVLVS. XV.

Ratio meriti non consistit in eo, quod qui benè operatur habeat gratiam & inhabitantem Spiritum sanctum, sed in eo solum quod obedit divinæ legi. Eodem l. c. 7. & sequentibus.

QVæritur an locus sit censuræ circa hanc propositionem: etenim si aliunde quam ex opere ipso in se spectato & ex obedientia legis proueniret meritum, scilicet ex statu gratiæ sanctificantis in qua operans constituitur, sequitur iustitiam, quâ vitæ æternæ premio munerantur bona opera, non consistere in compensatione ipsius laboris & operis, sed in compẽsatione qualitatis & boni status operantis, nec Deum spectare laborem vniuscuiusque : sicque fieret, vt qui minus laboris subiisset, & leuiorem obedientiam legi præstitisset, reportare posset ampliorem mercedem propter maiorem gratiam Sanctificantem : quod prudenti cuique non leuiter absurdum videri possit.

Respondetur præter ea quæ superius dicta sunt

sunt circa similes articulos Michaelis Baij, qui doctrinam hanc vsque ad nauseam sæpius inculcauit, vt sit crambe recocta magistros vexans, probari adhuc nouâ aliquâ ratione doctrinam hanc notandam fuisse. Quia si status Gratiæ Sãctificantis nihil confert obedientiæ legis, vt sit meritoria, sequitur eum qui in statu mortalis peccati degit, eoque ipso pœnâ æternâ dignus est, nihilominus mereri vitam æternam: simulque dignum esse, & pœna æterna & vita æterna, debereque simul incurrere priuationem vitæ æternæ, & illius possessionem obtinere. Quare merito visa est absurda hæc Baij doctrina ex qua tanta absurda consequuntur.

Ad oppositum dicendum est, Deum nihilominus spectare opus & laborem vniuscuiusque dum illum iusto præmio compensat, quia scilicet opus hominis sanctioris cæteris paribus est dignius, propter dignitatem quamdam moralem, quam in illud influit sanctitas, & Gratia operantis. Vnde etiam fieri potest vt eleemosyna vnius assis ab homine sanctiore facta tantum meriti habeat quantum eleemosyna duorum assium si fiat ab homine minus sancto. Quod si paradoxum appareat, non nisi ijs paradoxum est, qui minus secreta Theologiæ perspexerunt.

ARTICVLVS XVI.

Non est vera legis obedientia quæ fit sine charitate. L. 2. de Meritis Operum. cap. 1.

QVæritur an quid damnationis sit in ista propositione, est quippe propositio ista pia & ad insignem quamdam perfectionem animas aduocat, vt omnia in charitate peragant, iuxta monitum Apostolicum, *Omnia vestra in charitate fiant.* 1. Corinth. 16. Siue per charitatem intelligatur intentio diuinæ gloriæ, seu status gratiæ habitualis & charitatis.

Respondetur Nicolaum Eymerici 2. p. *Directorij inquisitorum*, q. 11. referre Berengarium de Monte Falcone Ordinis Cisterciensis de Monasterio Populeti tempore Innocentij sexti, authorem & caput fuisse eorum qui dogmatizabant (refero verba ipsa authoris) quod omnia de genere bonorum quæ fienda sunt, sunt fienda Dei puro amore & non alia causa nec spe mercedis æternæ. Qui error fuit condemnatus solemniter & publicè per F. Sanchium Archiepiscopum Terraconensem & F. Roselium Inquisitorem de Ordine Prædicatorum. Quod idem refertur à F. Bernardo Lutzemburgo in *Catalogo hæreticorum* litt. H. verbo *Bugantius*, vt ibi habetur, loco Berengarij, sicut & ibidem habetur errorem istum condemnatum fuisse per Sancyrium non Sanchium, vt habet Codex Ey-

merici, qui Sancirius Terraconensis Episcopus damnauit hunc errorem, quod in partibus Catalauniæ vigeret suo tempore. At propositio ista Baij fere in eumdem sensum recidit, quare nihil nouum est si damnationem etiam incurrit. Si vero intelligatur propositio de obedientia qua mandata Dei exequutioni demandantur extra statum gratiæ & charitatis, euidentior est eius falsitas. vt propterea tam malè audierint qui ex hac Baij propositione, & alijs similibus concludere volebant, peccatum esse si quis Sacrosanctæ Sacrificio Missæ assisteret in peccato mortali degens. Multa enim bona fieri possunt à peccatoribus, vt plura opera misericordiæ, obedientiæ, & aliarum virtutum, de quibus alia diximus 2. 2. *Theol. Affect.* tract. 3. Medit. 7. Edition. 3. & 4.

Ad oppositum dicendum est, hæresim nihil esse ordinariè nisi superstitionem, & Dei cultum maiorem in specie proponere, quem tamen postea destruit. Vnde multæ hæreses & multi errores maximam redolent pietatem sub cuius prætextu piæ aliquæ animæ, & simpliciores decipi solent: ideoque etsi propositio hęc decima sexta pręcipuæ pietatis appareat, quia tamen consilium vertit in necessitatem, & rationem obedientiæ amouet ab ijs quæ fiunt sine perfectissima charitatis intentione, aut extra statum gratiæ Sanctificantis, iure merito damnata est.

ARTICVLVS XVII.

Sentiunt cum Pelagio qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, vt homo per Gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum. Eodem l. cap. c. 4.

QVæritur an iste articulus debuerit inter damnatos recenseri, etenim si aliter senserit Pelagius, error est in facto, & Baius per errorem laudauit Pelagium: at quoties citantur falsò authores aliqui etiam à grauissimis authoribus, qui propterea non incurrunt vllam offensionem à Summis Pontificibus? ergo videretur hic idem esse asserendum.

Respondetur iam sæpius dogma Baianum impugnatum fuisse, quo contendit Gratiam Sanctificantem, quæ est gratia adoptionis, qua sublimatur anima ad statum deificum, non requiri ad rationem meriti: quod dogma iterum hac ratione impugnatur, quod si homo absque Gratia Sanctificante posset mereri vitam æternam: posset quoque ipsammet primam Gratiam Sanctificantem mereri, est quippe vita æterna gratia perfecta & consummata: vnde si hanc mereri posset viator absque Gratia Sanctificante, multo magis mereri posset ipsammet Gratiam primam Sanctificantem; ex quo fieret, vt homo in peccato existens posset viâ meriti consequi, gratiam illam quâ remitterentur illi peccata

ſicque remiſſionem peccatorum viâ meriti obtinere, quod valdè abſurdum eſt. Vnde conſtans eſt doctrina in ſcholis recepta, meritum vitæ æternæ non eſſe ſine Gratia Sáctificante, etſi enim actio aliqua poſſit eſſe meritoria ex vi gratiæ actualis ex qua produceretur, tamen locum habere non poteſt niſi eliciatur actio in eodem inſtanti in quo infunditur ipſa Gratia Sanctificans, qua operans reddatur Deo gratus & acceptus. Quare cum Gratia Sanctificans requiratur ad meritum: qui doctrinam iſtius veritatis Pelagio atrribuit, idem eſt ac ſi Pelagianam ac Hæreticam diceret.

Ad oppoſitum dicendum eſt Baium non aſſequutum fuiſſe doctrinam, & mentem Pelagij de Gratia Sanctificante, quam tantum pro remiſſione peccati neceſſariam eſſe volebat: non ad vitandum malum aut ad faciendum bonum opus in quo eſt meritum. Patet ex D. Auguſt. de Gratia & Libero arbitrio cap. 13. *Dicunt etiam gratiam Dei quæ data eſt per fidem Ieſu Chriſti, quæ neque lex eſt, neque natura, ad hoc tantum valere, vt peccata præterita dimittantur non vt futura vitentur, vel vt repugnantia ſuperentur*, &c. Male ergo Baius aſſequutus eſt mentem Pelagij & peius errauit, quod doctrinam veram hæretico attribuat.

ARTICVLVS XVIII

Opera Catechumenorum vt Fides & Pœnitentia ante remißionem peccatorum facta, sunt vitæ æternæ merita, quam vitam ipsi non consequentur, nisi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur. Eodem lib. cap. 7.

QVæritur an quidquam in hoc articulo improbandum sit: etenim cum fidem habeãt Cathecumeni, & plura bona opera exerceant, non videntur priuandi mercede sua : attamen quia nihil coninquinatum intrabit in Regnum Cœlorum, iustum est vt prius illis remittantur peccata quàm de facto in cœlum ingrediantur, vitam æternam consequuturi. Fauet D. Augustinus lib. de Naturâ & Gratiâ cap. 22. *Natura humani generis ex illius vnius præuaricatoris carne procreata si potest sibi sufficere ad implendam legem perficiendamque iustitiam, de præmio debet esse secura, hoc est de vita æterna, etiamsi in aliqua gente aut in aliquo superiori tempore fides eam latuit sanguinis Christi, non enim est iniustus Deus qui iustos fraudet mercede sua.*

Respondetur, cum Catechumeni, etsi fidem informem habeant propter peccatum originale, aut peccata actualia, sint indigni visione beatifica, imo pœnam æternam vel damni so-

lius, vel damni & sensus simul mereantur, fieri non posse vt cum illo reatu & obligatione simul mereantur vitam æternam beatificam, iuxta superius dicta, eaque vita digni sint, itaut illis debeatur remoto obice peccati. Dignitas enim tanta & indignitas tanta simul consistere non possunt, & qui in peccato mortali est, ita diuisus à Deo est, vt cum summa ignominia statim possit priuari vita, & pane quo vescitur, in infernum detrudi sine vllâ laude aut præmio quorumcumque operum. Quo iure ergo vitæ æternæ fructum prætendere poterit ex operibus mortuis? quare frustra pugnat Baius pro operibus illis in statu offensæ mortalis peractis.

Ad oppositum dicendum est, non deberi cœlum ijs qui inferno obligati sunt: nec priuantur mercede debita cum priuantur vitâ æternâ ij, quibus non debetur nisi pœna & supplicium. Nec fauet locus D. Augustini quem pro sua opinione allegabat Baius, si enim aliquis adimpleat totam legem, eo ipso iustus est & habet remissionem peccatorum, vt propterea subiungat D. Augustinus hanc rationem, *Non enim iniustus Deus qui iustos fraudet mercede suâ.*

ARTICVLVS XIX.

Opera iustitiæ & temperantiæ quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerunt maiorem valorem. Ibidem cap. 7.

QVæritur an hic articulus correctionem aliquam subire debuerit: etenim opus vnius iusti habentis gratiam intensam vt octo, non est cæteris paribus maioris meriti & valoris, quam alterius iusti habentis tantum gratiam intensam vt quatuor: ergo nec opus iustitiæ aut temperantiæ à Christo elicitum habebit amplius meritum aut valorem propter maiorem illius gratiam, seu illa sit substantialis vt in illo erat vnio hypostastica, seu accidentalis.

Respondetur communem esse doctrinam Theologorum opera Christi fuisse valoris infiniti propter dignitatem personæ illius: quapropter & fuerunt satisfactoria pro peccatis totius mundi quæ quasi infinita erant. Videntur autem opera illa tantum debuisse habere valorem in merendo propter dignitatem personæ quantum habebant in satisfaciendo propter eamdem dignitatem. Quapropter Clemens VI. in Extrauagante *Vnigenitus* docet Christum acquisiuisse hominibus infinitum thesaurum, nec metuendum esse ne exhauriatur vel minuatur propter infinita Christi merita, cuius quidem vna

gutta sanguinis propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset. Quod videtur fundatum in quadam æquitate naturali, secundum quam opera digniorum personarum maiori præmio remunerantur. Sic in iustitiâ maius est stipendium præsidis quam consiliarij, & huius quam procuratoris, & huius quam aparitoris: & in militiâ maius est stipendum generalis exercitus totius, quam ducis alicuius cohortis, & huius quam militis gregarij, licet in eodem prælio non inaquales labores subierint, imo aliquando plus laboris subierit miles gregarius quam dux cohortis. Cuius inæqualitatis ratio esse potest, quod cum præmium debeat aliquid esse magnum respectu operantis, & eadem res possit esse magna respectu vnius infimæ aut mediocris dignitatis, quæ non erit magna respectu alterius eminentiori dignitate pollentis: cum ille dignior sit qui ampliori præditus est gratiâ sanctificante, debetur illi præmium maius, vt respectu illius sit quid magnum. Vide de hac quæst. Cardinalem de Lugo in 3. p. D. Thomæ. *de Misterio incarnat.* disp. 6. sect. 1. & 2.

Ad oppositum dicendum est idem opus bonum habere inæqualem valorem ex inæquali gratiâ habituali; quia maior gratia facit vt opus sit excellentioris & nobilioris personæ opus, cui maius præmium debetur vt sit estimabile in ordine ad illam personam; maior enim gratia constituit personam digniorem, excellentiorem & venerabiliorem, vnde eius opus præmium requirit excellentius.

ARTICVLVS XX.

Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam. Ibid. c. 8.

QVæritur an quid peccauerit Doctor Baius in illa formidanda assertione de peccato veniali: Etenim Doctor Gerson eamdem docuit sententiam, multisque confirmauit tomo 3. operum in l. de *vita spirituali animæ* lect. 1. Omne peccatum, inquit, pro quanto est offensa Dei & contra legem eius æternam est de sua conditione & indignitate mortiferum secundum rigorem iustitiæ & à vita gloriæ separatiuum: ratio est quoniam omnis offensa in Deum potest iuste ab ipso iudice Deo puniri pœnâ mortis tam temporalis quam æternæ, imò annihilationis pœnâ: est igitur de se mortifera. Assumptum deducitur ex hoc quod nulla pœna talis est ita mala, quantum mala est ipsa offensa Dei. Alias adducit rationes ad idem probandum, ex quibus infert hoc corollarium, nullam offensam Dei esse de se venialem nisi tantummodo per respectum ad diuinam misericordiam: cur autem hæc assertio potius damnabitur in Doctore Louaniensi quam in Doctore Parisiensi?

Respondetur distinctionem peccati mortalis & venialis satis manifestè expressam esse à Concilio Tridentino sess. 6. *de iustif.* c. 11.

his verbis; licet enim in hac mortali vitâ quantumuis sancti & iusti *in leuia saltem & quotidiana quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti.* & his alijs verbis. *Vnde constat eos, orthodoxæ religionis doctrinæ aduersari, qui dicunt iustum in omni opere bono saltem venialiter peccare, aut quod intolerabilius, pœnas æternas mereri.* Quibus verbis Cōcilium damnat hæreticos, qui asserentes iustum in omni opere bono peccare, consequenter asserebant etiam pœnas æternas mereri, quod intolerandum prorsus asserit Concilium. Hoc autem ipsum est, quod asserebat Baius: ergo doctrinæ ortodoxæ aduersatur, & intolerabile est dogma: & certè nullius amicitiæ tàm seueræ leges sunt, vt pro minimâ offensâ dissolui ita debeat, vt offensus amicus leuiter offendēti amico pœnas æternas decernat. Nec pater quisquam est qui iure priuaret filium hæreditate propter quodlibet leue erratum.

Ad oppositum ergo dicendum est, quod quamuis Deus ratione sui dominij in creaturam, possit ei quamlibet inferre afflictionem non tamen id erit in pœnam & punitionem delicti, nisi delictum tale sit vt illam exigat. Culpa enim & pœna relatiuè dicuntur: at peccatum veniale non exigit pœnas æternas & priuationem æternam Dei, quia peccatum veniale non est contra medium necessarium ad assequendam simpliciter vitam æternam: sed tantum contra medium necessarium ad illam post mortem assequendam sine retardatione aliquâ. Quare meretur tantum retardationem felicita-

tis, non pœnas æternas, quibus fælicitas omnium impediretur. Quod à nobis paulo fusius & expressius dictum est *in Theol. Affectiua* 1. 2. tract. 2. medit. 21. puncto 2. editionis tertiæ & quartæ.

ARTICVLVS XXI.

Humanæ naturæ sublimatio & exaltatio in consortium diuinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis & proinde naturalis dicenda est & non supernaturalis. l. de primi hominis iustitia c. 4. & 5.

QVæritur an propositio hæc culpam contineat, quæ tam dignè sentit de humanâ natura prout spectatur in statu illo innocentiæ & integritatis perfectæ in quo primum condita fuit ante lapsum Adami: cur enim non esset gratia accidentalis sanctificans debita humanæ naturæ innocenti, cùm D. Leo Pontifex serm. 1. de ieiunio decimi Mensis scribat hanc esse naturalem generis nostri dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo diuinæ benignitatis forma resplendeat? Vbi gratiam vocat dignitatem hominis naturalem.

Respondetur gratiam sanctificantem tantæ esse dignitatis vt reddat homines Dei filios & capaces diuinæ fruitionis in beatâ vita, sicut enim loquitur D. Petrus 2. Epist. c. 1. *magna & pretiosa nobis promissa donauit vt per hæc efficiamini*

diuinæ consortes naturæ. At tanta dignitas non potuit esse debita naturæ, quam seruilis omnino conditionis Deus creare poterat. Vnde gratia qua in filium Dei adoptatur homo & qua tendit ad vitam æternam, omnino naturalis esse non potest, medium enim & finis sunt eiusdem ordinis: at vita æterna beata est supernaturalis: ergo & gratia debet esse supernaturalis. Rursus gratia est qualitas & virtus sine qua opera hominis iusti nullo modo Deo grata & meritoria esse possent, & est aqua ex qua siquis biberit fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam: at gratia ordinis naturalis diuersi omnino ordinis est à vita æterna: ergo opus ortum ex ipsa, neque salit in vitam æternam neque ipsam aliquo modo meretur, quis enim dicat gratiam ordinis naturalis in sua substantia facere posse hominem dignum, vt ei conferatur vita æterna? sic Thomas Hurtado in *præcursore Theologo* disp. 1. de *supernaturalitate rerum*, controuersia 5. membro 1. puncto 1. Quo fit vt D. Athanasius, Orat. 1 contra *Arianos* vocet gratiam supernaturalem & supra hominem ὑπὲρ ἄνθρωπον Quod idem firmat D. Cyrillus Alexandrinus l. 1. in Ioannem & alibi. Itaque ipsa opus est diuinæ munificentiæ & dici potest de homine quem ea coronauit illud Hester 6. *Sic honorabitur quemcumque voluerit rex honorare.*

Ad oppositum, dicendum est dignitatem illam gratiæ vocatam fuisse naturalem à D. Leone, non quod fuerit debita vt proprietas aliqua ex se à natura fluens, sed quob ab exordio & ve-

lit à natiuitate hominis concessa fuerit.

ARTICVLVS XXII.

Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom. 2. gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus. Ibidem c. 5.

QVæritur an damnanda sit hæc propositio, etenim dixerat immediatè antè D. Paulus *non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur* & postea subiungit *cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex:* vbi videtur loqui de gentibus quæ iustificantur, quas vocat factores legis, quod fieri non potest sine gratia fidei. Pelagianum est enim asserere sine gratia fidei & sine conuersione ad fidem, quemquam iustificari. Atque hæc interpretatio conformis est D. Augustino l. *de spiritu & literâ* c. 26.

Respondetur Apostolum loqui de gentibus nondum conuersis ad fidem, quæ possunt, non quidem omnia quæ sunt legis, exequi, sed saltem aliqua, idque sine fide & sine fidei gratia. Possunt enim honorare parentes, opus misericordiæ alicui misero impendere ad subleuandam eius miseriam & quædam faciliora legis præcepta implere, cum non grauior aliqua vrget tentatio; non tamen possunt totam le-

gem implere ſine gratia, cum per naturæ ſolius vires actus ſupernaturalium virtutum qui ſunt de lege, obſeruare non poſſint. Vbi attendendum eſt non dicere Apoſtolum gentes facere vel implere legem *ſed ea quæ legis ſunt*, puta ea quæ ſunt minus ardua & difficilia: cum vero ait iuſtificari eos qui faciunt, non addit ea quæ legis ſunt, ſed *legem*, ſcilicet integram & ſecundum omnes ſuas partes. Porro dogma Pelagianum erat homines ſine auxilio gratiæ nedum præcepta aliqua faciliora, ſed totam legem ſeruare poſſe: ideo non ſentiunt cum Pelagio qui dicunt gentes fidei gratiam non habentes naturaliter & ſine ſupernaturali auxilio aliqua legis præcepta implere poſſe vt intelligit Apoſtolus, ſentirent vero cum Pelagio, ſi dicerent omnia ſeruari poſſe, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria.

Ad oppoſitum dicendum eſt Apoſtolum loqui de diuerſis perſonis cum loquitur de factoribus legis & de gentibus legem non habentibus. Intendit enim probare Apoſtolus, oportere legem totam implere: & quia gentes non totam legem ad implent, ſed tantum aliqua legis præcepta, vexantur in conſcientia, variarumque cogitationum ſtimulis torquentur. *Teſtimonium illis reddente conſcientiâ ipſorum & inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus* &c. Hic eſt ſenſus Apoſtolici contextus vt accuratè legenti patet. Eumdemque ſenſum tandem amplectitur D Auguſtinus l. eodem de ſpiritu & littera. c. 28 poſtquam locum Apoſtoli varijs interpretationibus adornauit.

ARTICVLVS XXIII.

Absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio dono quodam supernaturali & gratuito supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, vt fide, spe & Charitate Deum supernaturaliter coleret. Ibidem c. 7.

QVæritur an hic articulus sit alicui reprehensioni obnoxius. Etenim cum Deus condiderit hominem rectum, nec rectus esse potuerit, nisi per virtutes Theologicas fidei, spei & Charitatis, Deo inhæreret: videntur hæ virtutes homini fuisse connaturales, vt sine quibus rectus & perfectus esse non posset qualis à Deo conditus est.

Respondetur iustitiam originalem primo homini concessam fuisse supra debitum naturæ, ex mera Dei liberalitate erga illum, quod vellet eum exaltare supra statum primæ creationis. Iustitia autem originalis non erat vnicus simplex habitus, aut vna tantum qualitas, sed erat ipsamet gratia sanctificans cum habitibus fidei, spei, Charitatis & virtutum moralium infusarum, quibus omnibus efficiebatur, vt durante statu innocentiæ, anima illius Deo esset subiecta, appetitus inferior rationi, nec non corpus animæ. Probari hoc potest ex Concilio Tridentino sess. 5. can. 1. vbi ita ait. *Si quis non confitetur*

confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & iustitiam in quâ costitutus fuerat, amisisse &c. anathema sit. Ex his infertur primo habuisse fidem, spem & Charitatem, sine quibus sanctitas Viatorum nulla est. Secundo infertur ista non fuisse naturalia homini, quia sicut post peccatum naturalia remanserunt in Angelis, sic in homine nulla facultas aut potentia naturalis statim amittitur post peccatum, remanent membra, remanent oculi, remanent sensus, remanet color, remanet robur & fortitudo corporis: cur ergo etiam non remanerent virtutes animæ si illi essent naturales? quare existimandum est hominem in paradiso ornatum fuisse pluribus habitibus supernaturalibus. i. naturæ indebitis, quibus tanquam medijs proportionatis ad finem supernaturalem beatitudinis contenderet.

Ad oppositum dicendum est Deum condidisse hominem rectum, quia in ipso creationis momento eum iustitia originali vestiuit, quam virtutes supernaturales fidei, spei & Charitatis comitabantur. Vnde rationi & legi Dei per omnia conformis erat: porro conformitas illa est eius rectitudo primæua non ex solis naturalibus, sed etiam ex supernaturalibus conflata.

ARTICVLVS XXIV.

A Vanis & ociosis hominibus secundum insipientiam Philosophorum excogitata est sententia quæ ad Pelagianismum reijcienda est, hominem sic ab initio constitutum, vt per dona naturæ superaddita, fuerit largitate conditoris sublimatus & in Dei Filium adoptatus. Ibid. c. 7. & 8.

QVæritur an hîc aliquis error deprehendi possit: etenim Deus in ratione creatoris imperfectus non fuit, nec actioni creationis quicquam defuit: quare ergo ex vi illius homo ad imaginem Dei creatus, absque alia largitate & quæ extra creationem sit, in honorem filiationis adoptiuæ sublimatus non fuit? Dona omnia gratuitò & ex misericordiâ superaddita conceduntur homini per Redemptorem Iesum Christum: at nondum cogitatur redemptor, cum nondum peccator homo existit: ergo ista omnia ad gratiam creationis solam referenda videntur, non ad liberalitatem aliam gratuito superadditam.

Respondetur argui merito Baium tum propter notas censuræ quibus doctrinam communem scolarum afficit, asserens eam à vanis & ociosis hominibus secundum scientiam Philosophorum excogitatam, & ad Pelagianismum eamdem referens: hæ enim notæ contra

riæ sunt charitati & paci fidelium, ingeruntque malam suspicionem de religionis integritate, quasi obcæcati essent & in caligine versarentur Theologi omnes, cum doctrina communiter ab ijs asserta tantis calumnijs inficitur, vt propterea huiusmodi notarum auctores aduersus doctrinam communem coerceri debeant. Deinde vero argui debet quia doctrinam veram impugnat, nam si Baius id tantum verum existimet quod authoritati D. Augustini innititur, doctrina hæc quod dona quædam largitate conditoris superaddita sint naturæ, maximè vero sublimatio hominis in Filium Dei, defensorem habet D. Augustinum contra Maximum l. 3. cap. 15. *homo ad Dei similitudinem factus, non est verus filius, & ideo fit gratiâ filius.* Quid expressius desiderari potest?

Ad oppositum dicendum est Deum fuisse simul & creatorem & liberalissimum donatorem ac largitorem plurium perfectionum quibus supra debitum naturæ Adamum & creabat & simul adornabat ac locupletabat: quare quemadmodum disputabat contra Pelagium D. Augustinus in libro de *natura & gratiâ* c. 34. *non ergo sic debemus laudare creatorem vt cogamus dicere imo vero conuincamur dicere superfluum saluatorem:* sic in hac controuersia dicimus, nos non ita debere laudare Deum creatorem vt cogamur dicere illum non fuisse etiam magnificentissimum donatorem plurium perfectionum liberaliter primo homini concessarum.

ARTICVLVS XXV.

Omnia opera infidelium sunt peccata & Philosophorum virtutes sunt vitia. l. de Virtutibus impiorum c. 5. & 6.

QVæritur an plectenda sit hæc propositio, quæ manifestè asseritur à D. Augustino, in prefatione Psal. 31. & pluribus aliis locis. Et ratio est quia in doctrina D. Augustini, omne opus peccatum est, quod non refertur in Deum, quod etsi officio bonum est, ipso non recto fine peccatum est. At infideles non habent fidem quæ opera dirigat in Deum tanquam in finem vltimum: ergo eorum opera quę speciem boni habent, peccata sunt, iuxta verbum Apostoli *quicquid non est ex fide peccatum est* ad Rom. 14.

Respondetur & scripturam sacram & D. Augustinum asserere infideles bona aliqua opera agere posse & de facto agere: nam act. 10. dicitur de Cornelio qui nondum fidem susceperat, Matth. 5. *si diligitis eos qui vos diligunt quam mercedem habebitis? Nonne ethnici hoc faciunt*? at diligere diligentem se non est actus peccaminosus, sicut nec est actus misericordiæ corporalis aut spiritualis quem quandoque exercet ethnicus: & D. Augustinus in l *de spiritu & littera* c. 28. sic ait. *Sicut enim impediunt à vitâ æternâ iustum quædam peccata venialia sine qui-*

bus hæc vita non ducitur: sic ad vitam æternam nihil prosunt impio aliqua opera bona, sine quibus difficillimè vita cuiuslibet impij ducitur. Quod luculentius asseritur à Hieronymo super cap. 1. *Epist. ad Galat.* Sed & Concilium Tridentinum manifestè reprobat hanc propositionem, sic statuens contra Luterum eiusdem patronum ses. 6. *De iustific.* can. 7. *si quis dixerit opera omnia quæ ante iustificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere gratiæ, tanto eum grauius peccare, anathema sit* Neque enim infideles prius habent fidem, qua opera in Deum dirigant quam charitatem & ipsam iustificationem, vt eadem sint opera ante iustificationem, ac ante fidem per charitatem operantem.

Ad oppositum dicendum est iuxta Magistrum sent. l. 2. *dist.* 4. D. Augustinum appellare opus malum quod vitæ æternæ meritorium non est, sed est ad illam inutile. Quæ interpretatio tantum aliquibus locis D. Augustini conuenire potest, non omnibus: Ideo addenda est interpretatio Doctoris Angelici quæst. 2.2.10. art4. asserentis D. Augustinum loqui de operibus infidelium quatenus sunt infideles & agunt ex motiuo infidelitatis ad falsum Deum colendum. Vt quæ Saraceni præstant in cultum Mahometi pseudo Prophetæ. Sed & obseruari potest D. Augustinum l. 5. *de ciuit.* c. 12. quando virtutes Philosophorum vitia vocat, loqui de ijs operibus virtutum quæ ob finem voluptatis aut ambitionis eliciebantur, vt legenti accuratius per-

ſpicuum erit. Libro vero 19. c. 25. apertius loquitur ac virtutes ſic inflatas, non virtutes vocat. Sed in fine iſtius capitis ſatis oſtendit ſe loqui de virtutibus meritorijs vitæ æternæ, reddit enim hanc rationem cur virtutes non ſint: *ſicut enim*, inquit *non eſt à carne quod carnem facit viuere: ſic non eſt ab homine ſed ſuper hominem, quod hominem facit beatè viuere.* Quod expreſſius adhuc habetur l. 4. contra *Iulianum* c. 3. Sed & libr. de *bono coniugali* c. 9. ſatis euidenter mentem ſuam exprimit. *Sane*, inquit, *videndum eſt, alia bona nobis Deum dare quæ propter ſeipſa expetenda ſunt, ſicut eſt ſapientia, ſalus, amicitia; alia quæ propter aliquid ſunt neceſſaria, ſicut doctrina cibus* &c. *Quiſquis vero eis propter hoc vtitur propter quod data ſunt, bene facit.* Apoſtolus per fidem intelligit conſcientiam.

ARTICVLVS XXVI.

Integritas primæ creationis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, ſed naturalis eius conditio. l. de primi hominis iuſtitia c. 4.

QVæritur an hæc propoſitio ſit contra veritatem, vt inter propoſitiones cenſura inuſta s computari debuerit: etenim integritas quæ erat in ſtatu innocentiæ conſiſtit potiſſimum in ſubiectione appetitus ſenſitiui ad rationem vt contra illam non feratur in obiecta ſenſibus deſiderata, cum tanta præcipitatione & exceſſu, vt nunc illum ferri videmus

& experimur, cum tanto detrimento animæ, ac tot infaustis euentibus, vt exclamet Apostolus sentio legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, ad Rom. 7. & iterum eodem capite, *infœlix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius*? At non est verisimile quod ista rebellio debita sit naturæ humanæ & illi connaturalis: sic enim homo natura sua Deo rebellis esset, nec tam ad gloriam quam ad opprobrium & inhonorationem creatoris sui, cuius legibus ex naturæ suæ conditione rebellis esset, vt magis contra ipsius gloriam quam ad ipsius gloriam, fabricatus esse videretur.

Respondetur esse de naturali constitutione hominis, vt habeat diuersos appetitus, quorum vnus qui sensitiuus dicitur naturaliter inclinetur ad obiecta sensitiua: alter qui est volontatis rationalis feratur insuper ad obiecta spiritualia & cœlestia: vnde necessariò oriatur rixa & dissentio inter vtrumque appetitum: itaut tamen ex illâ rixâ & dissentione, volũtas nõ necessitetur ad peccandum consentiendo appetitui inferiori, quia obiecta sensuum quamtumuis alliciant, non necessitant tamen voluntatem, propter defectus quos secum patiuntur, quorum defectuum intuitu, potest voluntas allecta & tentata illa respuere, adhærendo legi Dei & obiectis spiritualibus: solius enim Dei clarè visi prærogatiua est, vt ad sui amorem, necessitatem possit imponere voluntati, quæ ab illo auertere se non possit, quia omni ex parte beatus est & perfectus: sicut ergo est de naturali constitutione huius mundi, vt elementa

asymbola in se contineat, quæ sibi inuicem aduersantur: Sic est de naturali constitutione hominis, vt varias in partes abripiatur per contrarietatem appetituum. Vnde integritas primæ creationis quæ hanc pugnam submouebat, fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, nec fuit naturalis eius conditio.

Ad oppositum dicendum nec Deum condidisse hominem cum ista rebellione appetitus inferioris aduersus rationem, cum iustitia originalis dona quædam contineret quibus in officio continebatur ille appetitus: potuisset tamen sic creari, tuncque Deus modis illis quos nouit gloriam suam elicuisset ex homine sic condito: non minus ac hodie illam semper sibi vendicat ex homine eodem lapso & in pœnam peccati in eadem rebellione procreato: Neque tunc necessario homo legem Dei infringeret, sed libere tantum: sicut in præsenti statu naturæ corruptæ.

ARTICVLVS XXVII.

Liberum Arbitrium sine gratiæ Dei adiutorio non nisi ad peccandum valet. l. 2. de virtutibus impiorum. c. 8.

QVæritur an quid possit esse offendiculo in hac assertione cui tam luculenter fauet Concilium secundum Arausicanum cap. 22. dicens. *Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum. Si quis autem habet homo veritatem*

atque iustitiam, ab illo fonte est quem debemus sitire in hac eremo, vt ex eo quasi guttis quibusdam irrorati, non deficiamus in via. Si ergo homo de suo nihil habet nisi peccatum & mendacium, semotâ gratiâ: nihil potest nisi peccare. Fauet etiam D. August. contra duas Epist Pelagianorum cap. 8.

Respondetur Michaelem Baium tantum deprimere naturam humanam post peccatum, quãtum illam exaltabat ante peccati statum. Vnde asseruit illam post peccatum, si remoueatur gratiæ auxilium necessitari ad peccandum, nec posse vllum opus bonum exequi, sed malum dumtaxat: qua in opinione aduersarium habet Concilium Tridentinum, sess. 6. can. 5. sic dicens: *Si quis liberum hominis Arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit, anathema sit.* Verè enim amissum & extinctum est Liberum Arbitrium post peccatum, si cogitatur auxilium gratiæ non adesse: nam tunc nec bonum nec malum agere poterit: non bonum quia in eorum opinione, nullum agitur sine gratia; nec etiam malum aut peccatum, quia vbi est necessitas actionis alicuius, in illa non est peccatum, quod non committitur, cum vitari non potest. Est enim sententia D. Augustini, l. *de Duabus Animabus*, c. 12. *Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit quod facere non potuit summæ iniquitatis & insaniæ esse*: vt inferiùs probabitur. Sed & considerandum est, posse sine gratiæ auxilio per vires Liberi Arbitrij hominem amare parentes, imo & Deum vt authorem naturæ, posse dæmonem odio prosequi, & execrari

grande aliquod facinus, vt homicidium, adulterium. Hæc autem omnia & plura similia, quæ potest Liberum Arbitrium, non rectè vocantur peccata, nec verè sunt, quis enim odium peccati aut amorem Dei naturalem peccatum audeat appellare? sed & perpendondum quod per Dei adiutorium Baius non intelligebat solius Dei inspirationes, sed Gratiam Efficacem, cuius necessitatem ad bonum requirebat.

Ad oppositum canonem Concilij Arausicani dicendum est Concilium ibi condistinguère hominem à Deo & ea assignare quæ habet à se solo, ab ijs quæ habet à Deo, & cum Dei auxilio: à se autem solo & de suo, cum ex nihilo sit creatus, tendit ad nihilum peccati & non habet nisi mendacium & peccatum: cætera autem quæ non sunt peccata, habet vel ex auxilio gratiæ, vel saltem ex concursu generali Dei, qui in peccato vt tale est non inuenitur, nam sine ipso factum est nihil. i. peccatum. Quod spectat ad locum D. Augustini ex cap. 8. l. 6 *contra duas epist. Pelagianorum*, in quo spem posuerunt aduersarij, nihil eos iuuat, nec verbis, nec sensu consonat cum assertione damnata Baij, sic enim habet D. Augustinus, *& Liberum Arbitrium captiuatum non nisi ad peccatum valet, ad iustitiam verè non liberatum adiutumque non valet.* Vbi per Liberum Arbitrium captiuatum, intelligit animam operantem ex instinctu concupiscentiæ aut dæmonis, quæ sic non potest nisi male agere, sicque & mens & verba D. Augustini diuersa sunt à mente, & verbis Baij.

ARTICVLVS XXVIII.

Pelagianus est error dicere, quod Liberum Arbitrium valet ad vllum peccatum vitandum. Ibidem.

QVæritur an virga cẽsoria feriri debuerit hic articulus: etenim Concilium Arausicanum secundum, manifestè stat pro hac sententia sic statuens Can. 14. *Nullus miser de quacumque miseria liberatur nisi qui Dei misericordia præuenitur.* Ex quo infert Vasques in 1. 2. disp. 189. cap. 87. multisque insuper probat per sequentia capita, ne minimam quidem tentationem vinci posse ab homine sine auxilio gratiæ per Christum: quod idem sentiunt plures Scholastici. Minimè ergo hic articulus in catalogo damnatorum articulorum, reponi debuit; sed & D. Augustinus Liberum Arbitrium ad peccandum vitandum sine gratia insufficiens esse asserit, Epist. 106.

Respondetur quosdam censuisse hunc articulum damnari propter notam censuræ quam continet, non propter ipsam doctrinam, quæ à multis Scholasticis probabilis sustinetur: verumtamen, si perpendantur verba articuli, facile quisque iudicabit per ea nimium deprimi naturam humanam post peccatum Adami, significant enim verba ista tam horribili plaga percussam esse humanam naturam ex Adæ peccato, vt necessario inuolui debeat in omni genere peccato-

rum, si cogitetur abesse auxilium gratiæ Christi, Quid est enim non valere arbitrium, liberum ad vitandum vllum peccatum: nisi quod necessario *debeat incurrere*, in quodlibet peccatum, in parricidia, incestus, sacrilegia, & quælibet monstra libidinum? at pleraque horum facilius vitantur quam admittuntur. Nec tam infœlix esset status dæmonum & animarum damnatarum, quam infœlix esset status hominum in hac terra degentium. Valet enim voluntas damnatorum ad vitanda pleraque peccata, quorum rei non sunt: at in sententia Baij tam monstruosa infirmitate, ac deformitate vulneratum est arbitrium liberum, vt non valeat ad vllum peccatum vitandum seu paruum, seu magnum. Quo nihil dici potest indignius homine & contra veritatem absurdius. Est tamen Baianorum dogma & palmaris Ianseniſtarum doctrina, quod vt gratia efficax necessitat hominem ad bonum: sic concupiscentia sine illius vnicæ gratiæ adiutorio, necessitat ad malum.

Ad oppositum canonem, dicendum, Concilium Arausicanum loqui de actu & de facto, non de possibilitate viribus humanæ naturæ: hanc siquidem Deus ita præuenit in benedictionibus auxiliorum à crepusculo nascentis rationis, vt de facto nullum vitet peccatum, quin prius misericordiâ Dei præuenta fuerit: non determinat autem Concilium de possibilitate ad illud vitandum, de qua est difficultas. Ad opiniones Scolasticorum dicendum est, quod etsi ab actu ad posse valeat consequentia: non valet tamen à non actu ad non posse. Textus vero D.

Augustini hunc sensum habet, quod fieri non possit, quin liberum arbitrium sine gratia Dei labatur in aliquod peccatum, & vitet omnia; cum quo stare potest quod vitet aliquod peccatum in particulari, de quo forte non tentatur, & aliqua moraliter bona operetur, quæ naturæ vires non excedunt.

ARTICVLVS XXIX.

Non soli fures ij sunt & latrones, qui Christum viam & ostium veritatis, & vitæ negant, sed etiam quicumque aliunde quam per ipsum in viam iustitiæ, hoc est ad aliquam iustitiam conscendi posse docent. Eodem l. cap. 9.

QVæritur an quicquam minus veritati consonum sit in hoc articulo: etenim Christus fons est & origo omnis iustitiæ & sanctitatis de quo dicitur 1. Reg. 2. *Non est sanctus vt est Dominus, neque enim est alius extra te.* Quia non est quisquam sanctus & iustus extra Christum & sine illius gratia & adiutorio: ergo illius gloriæ detrahunt & fures dici possunt, qui omnem hominum iustitiam in illius gratiam non refundunt.

Respõdetur non esse hic immorandum in asperitate stili Baiani, quo perstringit Doctores Catholicos, dum in latronum classem eos reducit, sed magis distinguendum esse duplex opus bonum seu duplicem iustitiam: est enim aliquod

opus bonum morale quod cogitatur esse purè naturale, & ex solis principiis naturalibus productum, quod opus ita cogitatum non est sufficiens dispositio ad iustificationem, nec est meritorium vitæ æternæ : aliud est opus morale quod ex principijs gratiæ productum est, estque vtile ad iustificationem adipiscendam, & si fiat illâ iam acquisita, est meritorium: igitur sine gratiâ Christi posset homo post peccatum Adæ aliquod bonum opus agere morale, vt puta colere parentes, reddere debitum in statu matrimonij, vel soluere debitum creditori in iustitiâ ciuili, & alia huiusmodi, vt asserit D. Thomas 1.2.q.109 a. 2. Sed nō potest agere aliquod opus, quo sufficienter disponatur ad iustificationem: aut quo post illam iam adeptam mereatur vitam æternam. Quare cum Patres & Concilia prærequirunt gratiam Christi ad quippiam boni agendum, addunt limitationem, *sicut oportet*, intellige ad iustificationem consequendam aut merendum. Sic D. Augustinus q. 2. ad Simplicianum. *Nisi vocando præcedat misericordia Dei, nec credere quisquam potest, vt ex hoc incipiat iustificari.* sic Arausicanum 2. can. 6. *Non autem vt credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus.* Quod expressiùs habet Tridentinum sess. 6. *de iustific.* can. 3, Cum ergo Baius vellet nullum bonum opus morale fieri posse sine Dei gratia ob infirmitatem humanam post lapsum: etsi opus esset sterile & inutile ad salutem æternam, damnationem incurrit eius propositio: non enim in tantum contractæ sunt vires Liberi Arbitrij: etsi forsitan vera sit eius

propoſitio ob abundantiã gratiæ præuenientis quæ ſine gratia hominem vix benè agere ſinit; quod illi adſit ex liberalitate patris luminum qui dat omnibus affluenter & non improperat: quemadmodum in meridie homo non poteſt ſine luce ambulare propter lucis ipſius affulgentiam aut puer ſine nutrice non poteſt gradi, quia ſemper illi præſens eum manu ducit: licet aliquot paſſus agere poſſet ſuis viribus, etſi nutrix abeſſet.

Ad oppoſitum dicendum eſt, nullum poſſe abſque Chriſti gratia, aliquod bonum opus agere quod ſit vtile ad ſalutem, & ad eam conducat; Sicque Chriſtum eſſe fontem omnis boni ſalutaris, non autem boni alicuius naturalis quod ſterile ſit, & ad vitam æternam nihil conducens.

ARTICVLVS XXX.

Aut tentationi vlli ſine gratiæ ipſius adiutorio reſiſtere hominem poſſe ſic vt in eam non inducatur aut ab eâ non ſuperetur.

Ibidem.

QVæritur an cenſura Pontificia debuerit etiam in hanc aſſertionem cadere: verba ſiquidem ſunt D Auguſtini Epiſt. 106. *Nos dicimus quod ſine gratiâ voluntatis arbitrium nihil valeat ad non peccandum.* Deinde ſine gratia hominem non poſſe vincere nec minimam tentationem ſententia eſt probabilis, quam multis

tuetur Vasquez, vt supradictum est, aliique Scholastici: at si subiiciantur opiniones probabilis censuræ Summorum Pontificum, nullus erit finis censurarum. Quis enim author, qui de Theologia Scholastica, vel morali & casuum conscientiæ scripsit, qui non innumera habeat quæ probabilia sunt duntaxat?

Respondetur D. Bonauenturam in 2. sent. dist. 2. art. 1. & 2. q. 2. tractare præsentem quæstionem: ac articulo quidem primo q. 2. distinguit inter resistentiam & victoriam tentationis: resistentia enim in hoc consistit quod quis non consentiat suggestioni diabolicæ, sed victoria consistit in assequendo oppositum eius quod diabolus intendebat, ita vt homo ex pugnâ contra tentationem, reddatur magis Dei amicus, & mereatur regnum æternum. Articulo vero secundo q. 2. resoluit hominem sine gratiâ non posse omni tentationi resistere sicut censebat Pelagius, non habere tamen necesse quod omni tentationi succumbat. Quia illud valdè durũ videtur quod in statu tali, nulli possit tẽtationi resistere, cum naturale habeat iudicatorium & quendam instinctum naturalem remurmurantem cõtra malum; cum non sit etiam in malo confirmatus. Vnde existimandum hominem sine gratiæ auxilio non posse reportare victoriam fructuosam & disponentem ad gratiam aut ad gloriam. Atque in hoc sensu intelligendi veniunt Patres qui in tantum deprimunt vires Liberi Arbitrij, vt potestate vincendi minimam & leuissimam tentationem illud spolient. Posse vero sine gratiæ adiutorio minimæ alicui tentationi resistere

resistere seu non succumbere, resistentiâ infructuosâ ad gratiam aut vitam æternam. Quamuis de facto sine gratiâ illi non resistat, quod vt ibidem ait Seraphicus Doctor, Liberum Arbitrium numquam destituatur omni gratia gratis datâ: in quo fuit occasio erroris Pelagij, qui superbia excæcatus inter naturalia & gratuita distinguere nesciuit. Sed & maximè perpendendum est quid Baius intellexerit per adiutorium gratiæ; nihil enim aliud intelligebat quam gratiam quamdam efficacem, & de facto iustificantem, per quam spiritus in animâ inhabitat, repudiatis cæteris gratiæ auxilijs iustificationem ipsam antecedentibus, vt annotauit Vasquez, 1. 2. disp. 190. cap. 18. intolerandum autem videtur asserere, quod peccator ante iustificationem succumbat omni tentationi, cum sæpè contrarium experiatur.

Ad oppositum dicendum apud doctos non esse probabilem opinionem Baij, cum leuis tentatio addat tantum leuem aliquam difficultatem ad opus bonum: quam per vires naturæ superari non posse omnino, improbabile est. Nec mens est D. Augustini asserere impotentiam Liberi Arbitrij gratiâ destituti ad vitandum aliquod tantum peccatum, sed ad vitandum omnia & ad implenda mandata omnia.

ARTICVLVS XXXI.

Charitas perfecta & sincera quæ est ex corde puro & conscientia bona & fide non ficta, tàm in Catecbumens quàm in pœnitentibus, potest esse sine remißione peccatorum. Lib. de Charitate cap. 7.

QVæritur an quidpiam damnandum fuerit in hac propositione: etenim ibi sermo est de actu Charitatis, quam in peccatoribus esse simul cum peccato non videtur repugnare, cum per actum charitatis non deleatur peccatum, sed per gratiam inhærentem, sitque actus charitatis tantum dispositio ad remissionem peccati: porro dispositio tempore præcedit id ad quod disponit. Quare cum existimaret Baius, vt refert Vasquez 1. 2. disp. 203. cap. 3. hominem paulatim iustificari; inde consequens erat, vt homo pro aliquo tempore simul esse possit in peccato, & in actu Charitatis. Quod videtur probare experientia, qua peccatores sentiunt in se aliquos actus amoris Dei, etiamsi sint in peccato.

Respondetur actum veræ Charitatis erga Deum à peccatoribus elicitum ex Gratia Actuali mouēte ad illum actum, esse vltimam dispositionem ad remissionem peccati, saltem quoad culpam, ita vt qui vere Deum diligit, statim à Deo diligatur, infundaturque illi gratia & Charitas supernaturalis, quâ omnia peccata deleantur. Hoc tam certum putat Petrus à Soto relatus à

Suare to. 4. in 3. p. D. Thomæ disp. 9. sect. 1. assert. 2. vt dicat esse de Fide. Probatur autem maximè his Scripturæ Sacræ testimonijs. Prou. 8. *Ego diligentes me diligo.* Ioan. 14. *Qui diligit me diligetur.* 1. Ioan. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* & Prou. 10. *Vniuersa delicta operit Charitas.* & 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Et ratio est quia actus charitatis est de se connaturalis dispositio ad habitum charitatis, cum quo coniungitur gratia habitualis peccatorum remissiua ac deletiua, vt idcirco D. Augustinus l. de Spir. & littera, cap. 32. vocet charitatem qua nos Deus dilectores suos efficit *Iustitiam Dei qua iusti sumus.*

Ad oppositum dicendum est actum dilectionis Dei esse vltimam dispositionem ad iustificationem & remissionem peccati mortalis de quo hic sermo. Sic Pighius in libro de Controuersijs apud Iansenium Gaudauensem *Concord. Euang.* c. 18 Etsi autem homo adultus paulatim iustificetur, id fit, quia statim non elicit actum veræ dilectionis, sed incipit dispositionem suam ab alijs virtutum actibus minus perfectis. Quod spectat ad experiẽtiam peccatorũ, qui motus dilectionis diuinæ in se sentiũt. Diximus in Theol. Affectiua, 1. 2. tract. 2 Medit. 19. puncto 3 post Durandum in 1. *sent. dist.* 17. *q.* 10 & 6. Salesium *l.* 4. *de Amore Dei c.* 9. 10. & 11 esse quemdam imperfectum amorem Dei in peccatoribus qui verus amor Dei non est, sed falsus, quo plures decipiuntur, si propter hunc amorem, in bono statu constitutos se putent. Dicta hic non repetemus.

ARTICVLVS XXXII.

Charitas illa quæ est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remißione peccatorum. Ibid.

QVæritur an improbanda sit hæc assertio: etenim magna momenta affert Velosillus Lucensis Episcopus *in aduertentiis* ad 1. *tomum* D. Augustini *quæsito sexto*, vbi disputat contra Scotum asserentem hominem sese ex naturalibus disponere ad gratiam sanctificantem quotiescumque præceptum dilectionis quoad substantiam implet. Si enim actus dilectionis est vltima dispositio ad gratiam, etiam alius actus moraliter bonus quicumque sit erit vltima dispositio ad gratiam: quod ex eo constat quod actus ille dilectionis nullum habeat priuilegium supra cæteros actus: & si aliquod habet, quia ex parte obiecti est melior, potest dari alius actus ratione quarumdam circumstantiarum melior actu Charitatis erga Deum, vt puta eleemosyna mille aureorum, actus heroicus fortitudinis. Deinde in euangelio non habetur quod remissio peccatorum fiat per dilectionem, sed per pœnitentiam: Matth. 3. *Pœnitentiam agite appropinquabit enim regnum cœlorum.* Et licet Magdelenæ videantur remissa peccata propter dilectionem eius multam, lachrymæ tamen illius testantur dolore penitentiali eam non ca-

ruisse, cum insuper per potestatem excellentiæ potuerit Christus peccata illi indulgere per dilectionis actum. Deinde verò Luthero fauet opinio de sufficientiâ actus dilectionis ad peccata delenda, ipse enim non requirebat nisi propositum melioris vitæ, cum quo egregie quadrat actus solius dilectionis.

Respondetur actum perfectum Charitatis non posse compati peccata, sed ea delere & abstergere. Patet ex verbis Christi ad Mariam Magdalenam Luc. 7. *dimittuntur ei peccata multa quia dilexit multum.* Quæ est mens D. Augustini tract. 5. in Epist D. Ioan. asserentis Charitatem diuidere inter filios Dei & perditionis: & D. Gregorij Magni Homil. 35. *in Euangel.* vocantis Charitatem *ignem rubiginem peccati consumentem*: & D Bernardi Epist 170. sic scribentis, *nemo se amari diffidat si iam amat, neque enim redamare pigebit eum qui nos amauit nec dum amantes.* Certè Catharinus in c.7 Epist. ad Rom. vehementer arguit istam propositionem. Porro, inquit, quæ coniunctio Christo cum Belial? & quæ societas lucis ad tenebras? Itaq; Anathematizandum est dogma illud, quod noui hæretici suscitarunt, esse in homine criminoso & peccatore gratiam Dei: contra quos dilectus clarissimè ait, *si quis diligit mundum, non est Charitas Dei in eo*: quia nec diligit Deum, nec diligitur à Deo: iniquos enim odio habet Deus. Hæc & plura Catharinus qui tempore doctorem Baium antecessit.

Ad opposita dicendum est priuilegium hoc esse actus perfectæ dilectionis Dei super omnia

vt sit extra sacramentum vltima dispositio ad gratiam. Cæteri actus quamtumcumque intensi & perfecti ex circumstantijs, quibus etiam scriptura attribuit remissionem peccatorum, sunt dispositiones magis vel minus remotæ, vel tantum remittunt pœnam, non culpam. Quod attribuitur charitati propter summam eius excellentiam inter omnes virtutes, & quia virtualiter includit omnes actus virtutum aliarum. Vnde qui habet actum dilectionis, jam in voto saltem habet pœnitentiæ actum, quæ requiritur ad deletionem peccati. Debet autem actus ille charitatis elicitus esse ex supernaturali Dei gratiâ excitante, quia actus amoris Dei ex solâ naturâ elicitus, non est *sicut oportet* vt homini iustificationis beneficium conferatur.

ARTICVLVS XXXIII.

Cathecumenus iustè, rectè & sanctè viuit, & mandata Dei obseruat, & legem implet per charitatem ante obtentam remißionem peccatorum, quæ in Babtismi lauacro demum percipitur. l. de Charitate c. 7.

QVæritur an ista propositio doctrinæ Christianæ aduersetur: etenim ad oculum patet plures Catechumenos sanctè vixisse, & pleræque historiæ id testantur. Quod vero remissionem peccati originalis & aliorum non obtineant ante susceptionem Babtismi, id videtur

conuenire dignitati ſacramenti Babtiſmi, quem ſpoliat honore proprio & effectu, qui ante illum peccata deleri autumat.

Reſpondetur articulum iſtum fundari in duobus præcedentibus articulis iam impugnatis & ex ijs probabili conſequentiâ deduci: ſi enim per actum dilectionis Dei ſuper omnia non delentur peccata, neceſſario id debet fieri per ſacramenta Quæ fuit opinio Michaelis Baij ſicut teſtatur Ianſenius Gandauenſis, illius errorem de charitate cum peccato manente refellens c. 48.. *Concordantiæ euangelicæ* ex verbis Chriſti ad Mariam Magdalenam *propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum.* Vbi vult dilectionem eſſe cauſam formalem iuſtificationis ſicut caliditas calefactionis: non autem diſpoſitionem tempore præcedentem ipſam iuſtificationem: quod vltimum impugnans ſic ait de Baio & eius ſequacibus Non diſſimilis ſententiæ hodie quidam Doctores, aſſerentes charitatem (quam ex Auguſtino nihil aliud eſſe volunt quam bonam voluntatem) præcedere remiſſionem peccatorum, quam non niſi per ſacramenta conferri volunt. Hæc mens & ſenſus Baij, qui ex hoc refellitur; Quod Cathecumenus, qui iuſtè & ſanctè viuit, exercens actus Charitatis erga Deum, eò ipsò obtinet remiſſionem peccatorum ante ſuſceptionem Babtiſmi, ſicut Babtiſatus qui lapſus eſt in peccatum mortale, ſi perfectè de eo conteratur, eius remiſſionem aſſequitur ante abſolutionem ſacramentalem. Sicut Albertus magnus in Lucam c. 17. dicit oſtenſum fuiſſe in

decem Leprosis, qui dum essent in viâ antequam ad sacerdotes peruenissent mundati sunt. Ps. 50. *cor contritum & humiliatum Deus non despicies* & Danielis 3. *in spiritu humilitatis & in animo contrito suscipiamur.*

Ad oppositum concedendum est aliquos Catechumenos sanctè vixisse, sed non sine remissione peccatorum ante realem susceptionem Babtismi, neque hoc derogat honori Babtismi, quia remissio illa non obtinetur nisi cum vôto ipsius Babtismi & in ordine ad illum.

ARTICVLVS XXXIV.

Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet quo Deus amatur vt author naturæ, & gratuiti quo Deus amatur vt beatificator, vana est & commentitia & ad illudendum sacris litteris & plurimis veterum testimonijs excogitata. l. de charitate. c. 4.

QVæritur an pondus censuræ Pontificiæ in hanc sententiam cadere etiam debuerit: etenim Vasques 1.2. disp. 195. c 2. 3. & 4. in eâ est opinione, quod non debeat distingui duplex amor amicitiæ erga Deum, vnus qui sit naturalis erga Deum vt authorem naturæ, alter qui sit gratuitus & infusus à Deo seu supernaturalis erga Deum vt authorem gloriæ, quo in sensu distinctionem hanc improbat Baius; probatque tum à posteriori, quia nisi omnis amor amicitiæ erga Deum esset supernaturalis, sed

aliquis esset naturalis, cum amor ille naturalis cum peccato subsistere non possit, sequeretur amorem aliquem naturalem iustificare & expellere peccatum. Probat etiam à priori, quia quando in obiecto formali non distinguitur duplex ratio, in quam ipse affectus feratur, non potest etiam distingui duplex amor specie diuersus: at non distinguitur ratio formalis amandi, ex eo quod Deus sit auctor naturæ vel gratiæ: quemadmodum vt puto elucidandam esse mentem Vasquez, non distinguitur in Deo duplex ratio ipsum amandi ex eo quod sit creator terræ & creator cœli, ista enim non sufficiunt ad constituendos diuersos amores. Obiiciens autem sibi damnationem propositionis 34. ipsius Baij in Bullâ Pij V. & Gregorij XIII. respondet, ibi nihil agi de materiâ propositionis, quod spectat àd duplicem amorem, sed quod attinet ad nimis austeri & seueri iudicij libertatem, quâ perstringebat author ille Doctores, qui prædictâ distinctione vtebantur.

Respondetur cum affectus aliquis possit dici supernaturalis vno ex tribus modis; vel ex parte solius principij, vel ex parte solius obiecti, vel ex parte vtriusque, totidemque modis possit dici naturalis, non posse negari quin aliquo ex his tribus sensibus, detur amor aliquis naturalis & aliquis supernaturalis. Porro obiectum dicitur supernaturale vel ex eo solum quod non possit cognosci viribus totius naturæ, sed vt cognoscatur præsupponit aliquam Dei reuelationem: sicque Deus vt beatificator

eſt obiectum ſupernaturale, quia ſine reuelatione non cognoſcitur iſtud attributum. Quamuis Baiani contrarium opinentur, ex eo quod putent viſionem Dei eſſe finem hominis naturalem, quod ſupra reiectum eſt & infra rejicietur amplius. Datur igitur amor ſupernaturalis, quod ipſi admittunt: ſed poſſe dari naturalem ex parte principij negant. Qua de re videbitur paulo inferius,

Ad oppoſita dicendum eſt quod quamuis detur aliquis amor Dei naturalis, ex eo tamen homo non iuſtificatur, quia lex Dei eſt & eius voluntas, nihil acceptare ad gratiam ſanctificantem & ad gloriam ex actibus humanis, niſi ſint ex eius gratiâ, dicente Chriſto Ioan 6. *nemo poteſt venire ad me niſi pater meus traxerit eum.* Quod bene aduertit Veloſillus *in aduert.* ad 1. tom. *Auguſt.* quæſito 4. Quare amor Dei naturalis ex viribus naturæ ſolius elicitus non iuſtificat: ad id autem quod rurſus opponit de inſufficientiâ rationis ad diſtinguendos duos amores, verum eſt ſi ageretur de diſtinctis amoribus ſpecie Phyſica, ſed ſufficit quod diſtinguantur ſpecie Morali, ad quod non tot requiruntur. Quod vero cenſura non attingat doctrinam, id gratis dicitur & negatur.

ARTICVLVS XXXV.

Omne quod agit peccator vel seruus peccati peccatum est. Baius non agnoscit à se dictum aut scriptum.

QVæritur an gladio censuræ percutienda fuerit hæc propositio : etenim Christus dixit manifestè *non potest arbor mala bonos fructus facere* : est autem peccator arbor mala : ergo nihil potest boni agere, sed quicquid agit peccatum est Quod ideo asserebat Baius quod nullum opus bonum fieri posse sine gratiâ existimet : quare si peccator destitutus sit gratiâ supernaturali eaque efficaci & quæ importat secum gratiæ statum, quam solum admittunt Baiani, explosâ pænitus sufficiente quam peius cane & angue oderunt, quicquid agit, peccatum est : quod videtur confirmare D. Augustinus in l. de fide & operibus c. 14. *sequuntur bona opera hominem iustificatum, non pracedunt iustificandum.*

Respondetur satis Scripturam Sacram asserere aliqua bona fieri à peccatoribus nondum iustificatis, ad quod probandum sufficeret exemplum Centurionis Cornelij de quo dicitur Actorum 10. *Bona opera tua & eleemosynæ adscenderant in Deum*, sed quia aliquis contendere posset Cornelium iustificatum fuisse, cum bona illa

ageret, propter præconia quibus à Scripturâ ipsa cumulatur, idcirco alij proferunt exemplum obstreticum Ægypti quæ timuerunt Deum, & paruulos Israelitarum seruabant contra edictum Regis impij propter quod Deus, *ædificauit illis domos*, Exodi 1. augendo rem earum familiarem ac ingentem bonorum temporalium copiam largiendo. Sed & Ezech. 29. Deus testatur Regem Babylonis Nabuchodonosor, sibi ipsi seruiuisse in expugnandâ Tyro, propter quod eum remunerat. *Dedi ei terram Ægypti, pro eo quod laborauerit mihi, ait Dominus Deus*: In quem locum D. Hieronym. asserit, ethnicos si quid boni fecerint non absque mercede fecisse Dei iudicio. Sed & D. Augustinus l. 5. *de Ciuit.* cap. 15. laudat bonas artes Romanorum, quas virtutes vocat, quibus ad gloriam imperij peruenire nitebantur, easque compensatas fuisse ait gloriâ huius mundi, cum vitâ æternâ digni non essent.

Ad oppositum dicendum est per arborem bonam Christum intellexisse non hominem ipsum nec eius voluntatem, sed actum eius internum, qui si bonus est producit bonum fructum actus externi: & per arborem malam intellexisse actū internum malum, à quo prodit exterior actus malus. Sic interpretatur Albertus Magnus in 2. sent. dist. 41. art. 5. sic etiam Scotus in 2. sent. dist. 37. q 2. Quod autem asserit D. Augustinus bona opera non præcedere hominem iustificandum, loquitur de Operibus meritorijs vitæ æternæ, quæ debent procedere ab homine iustificato & in statu gratiæ constituto.

ARTICVLVS XXXVI.

Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ, cum iniuria crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus. Lib. de Charitate, cap. 5.

QVæritur an hæc propositio coercenda fuerit: loquitur enim de naturâ humanâ in statu peccati constitutâ; & in tantum per illud peccatum depressâ, vt non sit probabile ex suis naturalibus posse assurgere ad tam nobilem actum, qualis est amor Dei, ne alioqui cogimur admittere eamdem posse obtinere, ex suis naturalibus peccati remissionem. Quod semel obiectum est & iterum obiicitur propter rei grauitatem, Deus enim diligentes se diligit: ergo diligentes Deum diliguntur à Deo: & dilecti à Deo peccata non habent amplius. Sicque homo ex naturalibus amicitiam Dei & gratiam consequetur, quod omnino Pelagianum est.

Respondetur inter Doctores illos, qui defendunt amorem diuinum esse possibilem naturaliter, pugnacissimum eminere Scotum in 2. *sent. dist* 28. & in 3. dist. 27. q. *vnica* quem sequuntur Scotistæ omnes præter Pitigianum. Fundatur autem in his rationibus, 1. quod ratio naturalis ostendat aliquid summè diligendum: quia in omnibus actibus & obiectis subordina-

ageret, propter præconia quibus à Scripturâ ipsa cumulatur, idcirco alij proferunt exemplum obstreticum Ægypti quæ timuerunt Deum, & paruulos Israelitarum seruabant contra edictum Regis impij propter quod Deus, *ædificauit illis domos*, Exodi 1. augendo rem earum familiarem ac ingentem bonorum temporalium copiam largiendo. Sed & Ezech. 29. Deus testatur Regem Babylonis Nabuchodonosor, sibi ipsi seruiuisse in expugnandâ Tyro, propter quod eum remunerat. *Dedi ei terram Ægypti, pro eo quod laborauerit mihi, ait Dominus Deus*: In quem locum D. Hieronym. asserit, ethnicos si quid boni fecerint non absque mercede fecisse Dei iudicio. Sed & D. Augustinus l. 5. *de Ciuit*. cap. 15. laudat bonas artes Romanorum, quas virtutes vocat, quibus ad gloriam imperij peruenire nitebantur, easque compensatas fuisse ait gloriâ huius mundi, cum vitâ æternâ digni non essent.

Ad oppositum dicendum est per arborem bonam Christum intellexisse non hominem ipsum nec eius voluntatem, sed actum eius internum, qui si bonus est producit bonum fructum actus externi: & per arborem malam intellexisse actũ internum malum, à quo prodit exterior actus malus. Sic interpretatur Albertus Magnus in 2. sent. dist. 41. art. 5. sic etiam Scotus in 2. sent. dist. 37. q 2. Quod autem asserit D. Augustinus bona opera non præcedere hominem iustificandum, loquitur de Operibus meritorijs vitæ æternæ, quæ debent procedere ab homine iustificato & in statu gratiæ constituto.

ARTICVLVS XXXVI.

Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ, cum iniuria crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus. Lib. de Charitate, cap. 5.

QVæritur an hæc propositio coercenda fuerit: loquitur enim de naturâ humanâ in statu peccati constitutâ; & in tantum per illud peccatum depressâ, vt non sit probabile ex suis naturalibus posse assurgere ad tam nobilem actum, qualis est amor Dei, ne alioqui cogamur admittere eamdem posse obtinere, ex suis naturalibus peccati remissionem. Quod semel obiectum est & iterum obiicitur propter rei grauitatem, Deus enim diligentes se diligit: ergo diligentes Deum diliguntur à Deo: & dilecti à Deo peccata non habent amplius. Sicque homo ex naturalibus amicitiam Dei & gratiam consequetur, quod omnino Pelagianum est.

Respondetur inter Doctores illos, qui defendunt amorem diuinum esse possibilem naturaliter, pugnacissimum eminere Scotum in 2. *sent. dist* 28. & in 3. dist. 27. q. *vnica* quem sequuntur Scotistæ omnes præter Pitigianum. Fundatur autem in his rationibus, 1. quod ratio naturalis ostendat aliquid summè diligendum: quia in omnibus actibus & obiectis subordina-

tis est aliquid supremum: ergo aliquod supremum diligibile quod Deus est: nihil enim potest intellectus rectè dictare ex naturalibus in quod dictatum, non possit voluntas naturaliter tendere, aliter voluntas esset naturaliter mala, vel saltem non libera ad tendendum in quodlibet bonum sibi præostensum ab intellectu, 2. quod fortis politicus secundum rectam rationem, debet se morti exponere propter bonum reipublicæ, etsi præmium alterius vitæ non speret, secundum autem rectam rationem magis diligendum est bonum diuinum, quam Reipublicæ alicuius: ergo propter bonum diuinum poterit seipsum quis morti exponere, Deum super omnia diligendo. 3. Additur persuasio Theologica, quia qui se sentiret pronum ad Deum diligendum cognosceret se esse in charitate, cum ex naturâ id non procederet. Eamdem sententiam sequutus est Gofridus quod lib.4. quæst.6. & plures alij variis ducti rationibus: cuius contrariam mihi non possum persuadere, si limitetur actus ille amoris ad aliquod breue tempus, & in illâ saltem occasione, in qua non vrgent graues aliquæ tentationes; quis enim tunc hominem separaret ab actu aliquo amoris Dei, qui tantopere diligendus apparet, cum tot alia obiecta & vilia præ Deo ardenter diligat?

Ad oppositum dicendum est post Velosillum in *Aduertentiÿ* ad 1. tomum D. Augustini *quæsito* 4. Quod solum ille actus amoris Dei est vltima dispositio ad gratiam, qui est specialiter ex Deo trahente: non ille actus qui est ex

naturalibus, vt cum nobis Gratiam Iustificantem confert, totum illi debeamus. Est autem Pelagianum asserere actum aliquem ex naturalibus solis esse vltimam dispositionem ad gratiam: non actum ex Deo trahente elicitum; nimirum Deus id sibi & gratiæ suæ excitanti reseruauit. Quemadmodum quamuis Angelus possit ex naturalibus, iuxta Scotum, cogitationes cordis cognoscere, tamen Deus id sibi reseruare voluit; quia nobis id expediens fuit; scilicet gratia est velut sponsa Christi ex quâ generat sibi filios; vnde soli illi actus qui ex eâ promanant, sunt *sicut oportet*, vt Gratia Sanctificans, aut gloria ipsa conferatur: nec quemquam in hoc decipiat ratio humana, cum de necessitate gratiæ admoneat nos Scriptura diuina.

ARTICVLVS XXXVII.

Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit. Ibidem.

QVæritur an improbari etiam debuerit hæc propositio: etenim asserit D. Iacobus epist. cap. 1. *Omne donum optimum & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum*: ergo si producatur aliquod bonum, quod vocetur morale aut naturale, neutiquam naturale est, cum sit ex principio super-

naturali, gratiæ & ex dono Patris æterni. Vanum ergo dogma est Theologorum, cum diuidunt actus bonos in naturales & supernaturales, virtutes in infusas & naturales, cum nullum bonum sit quod non sit supernaturale & ex gratia profectum. Redolet ergo Pelagianismum admittere aliquod bonum naturale ex solis naturæ viribus ortum Vnde D. August. Soliloq. cap. 15. *Si quid boni est parui vel magni, donum tuum est Domine: & nostrum non nisi malum est. Vnde igitur gloriabitur omnis caro? numquid de malo? hæc non est gloria sed miseria: sed numquid gloriabitur de bono? numquid de alieno? tuum Domine est bonum, tua est gloria: qui enim de bono tuo gloriam sibi quærit, & non tibi quærit, ille fur est & latro, & similis est diabolo, qui voluit furari gloriam tuam.*

Respondetur quasdam propositiones Baij tantum damnatas esse in proprio verborum sensu ab illo intento: vnde quamuis hæc propositio provt iacet à pluribus magnæ notæ authoribus defendatur: attamen Baius non distinguebat inter auxilium gratiæ actualis seu Spiritus sancti nondum inhabitantis & auxilium gratiæ habitualis, in quo contradicebat Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4. vt notauit Vasquez 1. 2. disp. 190. cap. 18. Vnde consequenter existimabat omnia opera ante fidem per dilectionem operantem & iustificantem animam esse ex solis naturæ viribus, etiamsi essent ex motione Spiritus sancti nondum inhabitantis seu ex gratiâ excitante & præueniente. Quatenus ergo per hanc propositionem intendebat nullum

nullum bonum produci posse ab homine, ante statum gratiæ iustificantis & charitatis, censuram merito incurrit, quia nulli hactenus Theologi id probatum habuerant, etsi enim plures vellent nullum posse produci bonum, ex naturæ solis viribus, admittebant tamen produci posse ex motione Spiritus sancti, nondum inhabitantis & ex gratia præueniente ante iustificationem ipsam, in quo à Baio diffidebant.

Ad oppositum dicendum est redolere Pelagianismum admittere aliquod bonum ortum ex viribus solis naturæ, opponendo naturam tam auxilio Spiritus sancti nondum inhabitantis, quam auxilio Spiritus sancti habitantis per iustificationem ipsam: non vero opponendo naturam soli auxilio Spiritus sancti habitantis, provt opponebat Baius. Deinde distinguendum est inter bonum maius, seu perfectionem virtutum, & bonum minus, itemque inter bonum quod cõducit ad remissionem peccatorum & meritum vitæ æternæ, & bonum quod non conducit: de priori illo bono loquitur D. Iacobus, de hoc D. Augustinus in *Soliloquijs*, si tamen illa Soliloquia sint illius germanum opus.

ARTICVLVS XXXVIII.

Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas qua mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum sanctum in corde diffusa Deus amatur. Lib. de Charitate cap. 6.

QVæritur an proſcribi debuerit dogma hoc pietatem redolens, quod patronum habet D. Auguſtinum multis in locis, vt in Enchyridio cap. 117. *Regnat enim carnalis cupiditas, vbi non est charitas*, & Chriſtus in Euangelio dicit, *Matth.* 12. *Qui non est mecum, contra me est*, quia ſicut contra Chriſtum nemo eſſe poteſt niſi per cupiditatem malam, ſic cum illo nemo eſſe poteſt, niſi per charitatem & voluntatem bonam, aiebat Baius: & iterum D. Auguſtinus, l. 9. *de Trinit.* cap. 7. nemo volens aliquid facit quod non in corde ſuo priùs dixerit. *Quod verbum amore concipitur creaturæ siue creatoris, id est, aut naturæ mutabilis, aut incommutabilis veritatis: ergo aut cupiditate, aut charitate, non quod non sit amanda creatura: sed si ad creatorem refertur ille amor, non iam cupiditas, sed charitas erit, tunc enim est cupiditas cum propter se amatur creatura, tunc non vtentem adiuuat, sed corrumpit fruentem.* Vbi D. Auguſtinus nullum agnoſcit medium inter charitatem & cupiditatem.

Reſpondetur proſcribi hanc Baii propoſitionem, quod ex illâ inferatur charitatem ſolam virtutem eſſe, ſoloſque eius actus ſtudioſos eſſe & laudabiles : vnde & damnantur omnes actus virtutum moralium ex motiuo earum ſpecifico elicitus : ita vt opus miſericordiæ ad ſubleuandam pauperis egeſtatem relatus, ſit actus vitioſæ & damnatæ cupiditatis : item de actu temperantiæ & fortitudinis, imo & ipſius religionis : vnde & hæc propoſitio deſtruit omnes virtutes morales: quod ſcripturæ repugnat, quæ eos ſæpenumero commendat; rationi quoque, quia actus earum virtutum ex ſolo earum motiuo ſpecifico eliciti, nullam habent oppoſitionem ad charitatem quæ eos imperat ac ad Deum refert. Quare & in ſeipſis conſiderati, vitioſi non ſunt nec improbæ cupiditatis actus, ſed honeſti & laude digni, apud quemlibet rerum æquum æſtimatorem, imo & apud Deum cui ingrati non ſunt tales actus, etſi non attingant vltimum perfectionis gradum, niſi referantur ad Deum imperio charitatis.

Ad oppoſitum dicendum eſt D. Auguſtinum ſumere in his locis charitatem non ſtrictè pro virtute Theologicâ, ſolum bonum diuinum ſpectante, ſed latiùs pro virtute quæ eſt communis Theologicæ & Morali infuſæ, itemque ſumere cupiditatem pro ipſâ libidine qua proprium bonũ appetitus inferioris inordinate amatur. Quod autem vrgẽt Baiani in doctrinâ D. Auguſtini amorem creaturæ qui non tendit in Deum, eſſe peccatum, id debet intelligi de amore inhæſiuo & fruitiuo, quo amaretur creatura, vt ſummum bo-

num, omnino propter se & ad illam cætera referendo : is enim est amor fruitiuus. Id autem patet ex verbis , in obiectione productis, *tunc non vtentem adiuuat & corrumpit fruentem :* & ex illo celebri dogmate Augustiniano l. 10. de Trinitate cap. 10. & l. 83. quæstionum q. 30. *Omnem humanam peruersitatem esse fruendis vti & vtendis frui*: quæ testimonia lucem afferunt pluribus alijs ex eodem D. Augustino collectis ad firmandum Baij articulum, quem Bulla proscribit.

ARTICVLVS XXXIX.

Quod voluntariè fit, etiamsi necessario fiat, liberè tamen fit. Lib. de Libero Arbitrio cap. 7.

QVæritur an incusari debuerit hic articulus, qui fautorem habet D. Augustinum l. 1. Operis imperfecti contra Iulianum ; vbi cum Iulianus vrgeret, liberum non est, nisi quod duo potest velle , idest bonum & malum , sic arguit D. Augustinus , *Liber ergo Deus non est, quia malum non potest velle, de quo etiam ipse dixisti, Deus esse , nisi iustus , non potest. Siccine Deum laudas, vt ei auferas libertatem , an potius intelligere debes esse quamdam beatam necessitatem quâ Deus iniustus non potest esse?* Vbi D. Augustinus , Libertatem cum necessitate simul asserit , ergo liberè fieri poterit , quod fit necessario. Sed & apud ipsum familiare est liber-

tatem cum voluntate confundere, vt idem sit apud ipsum esse voluntarium & liberum.

Respondetur D. Augustinum satis mentem suam aperuisse l. de naturâ & gratiâ cap. 65. *Liberi Arbitrij nos condidit Deus, neque ad virtutem, neque ad vitia necessitate trahimur: alioqui vbi necessitas, neque corona est.* & l. de verâ Religione cap. 15. *Nec hoc dubitandum video habere animas liberum voluntatis arbitrium, tales enim seruos suos meliores esse Deus iudicauit, si ei seruirent liberaliter, quod nullo modo possit fieri, si non voluntate, sed necessitate seruirent.* Vbi D. Augustinus euidenter opponit libertatem necessitati, sed & D. Thomas in *quæst. disput.* q. 6 de *malo*, art. vnico, excutiens præsentem controuersiam, hæreseos nota afficit propositionem de qua hic sermo. *Hæc autem*, inquit, *opinio est hæretica: tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus; non enim videtur esse demeritorium, vel meritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, vt vitare non possit.* Sed & post D. Thomam plures insignis notæ Theologi hæreticam asseruerunt eandem opinionem, maximè qui post hæresim Caluini scripserunt: horum Theologorum catalogum, quia plures referunt, omittimus.

Ad oppositum notari posset obiter, similem esse argumentationem Caluini lib. 1. Inst. cap. 3. §. 5. sed quia commune est recentioribus Baianis dicere Caluinum rectè scripsisse de Trinitate, nec ea reprehensioni obnoxia esse ex eo quod à Caluino prolata sint, ideo melius dicendum est. D. Augustinum eo loco, agere de

libertate contrarietatis ad bonum & malum, vt ex ipsis terminis patet. Hæc autem libertas in Deo non est, sed est in eo libertas quædam sublimior, quæ extenditur ad innumera bona in particulari, circa quæ potest agere vel non agere, ea procreando vel non: libertatem enim diuersos habere status diuersasque extensiones abunde diximus in *Theol. Affect.* 1. p. tract. 4. *Medit.* 14. quæ non libet hic repetere: necessitas autem quæ est in Deo, est necessitas hypothetica ad bonum tantum in communi, quia ex hypothesi quod agat, non agere aliud potest quam bonum. Vnde D. Augustinus tantum componit libertatem contradictionis cum necessitate hypothetica ad bonum in communi & libertas hominis post naturam lapsam est contradictionis ac contrarietatis circa bonum & malum, quæ non potest subsistere cum necessitate, circa bonum & malum in particulari, qualem volunt esse Baiani necessitatem hominis: est ergo disparitas inter Deum & hominem circa præsentem controuersiam. Quod autem D. Augustinus pluribus in locis confundat liberum cum voluntario; Verum est, sed vsurpat voluntatem prout illam definiuit, in l. de Duabus Animabus cap. 12. Illæ animæ si natura non voluntate faciunt, id est, si libero ad faciendum, & ad non faciendum malum animo carent, &c. Vbi semetipsum interpretatur D. Augustinus, sed istum locum dissimulant Baiani.

ARTICVLVS XL.

In omnibus ſuis actibus peccator, ſeruit dominanti cupiditati. A Baio non agnoſcitur.

QVæritur an labefactari poſſit hic articulus; etenim quid ex corrupta hominis naturâ prodire poteſt, quod non ſit damnabile? quid in homine regnum obtinebit niſi cupiditas, ſi abſit charitas & nondum eum poſſideat? & ſi totus Chriſti verbis depingitur homo, valde miſerum eſſe animal conuincitur, *Quod enim*, inquit D. Ioan. Epiſt. 1. cap. 3. *natum eſt* ex carne, caro eſt, affectus autem carnis, teſte Apoſtolo ad Rom. 8. *Mors eſt*, quando quidem *inimicitia eſt aduerſus Deum*: eoque legi Dei non ſubditur nec ſubdi poteſt. Quod non ita intelligi debet de carne, vt non etiam ad animam pertineat, quia ex verbis Domini, oportet hominem renaſci, *quia caro eſt* Ioan. 3. Non renaſcitur autem tantùm ſecundum carnem, ſed maximè ſecundùm animam, ergo totus homo caro eſt, ideſt, ſecundum ſe totum corruptus & deprauatus ac cupiditatibus ſubditus. Quare Apoſtolus ad Rom. 3. volens humani generis arrogantiam deiicere ait, *Non eſt intelligens aut requirens Deum, omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*, &c. Quibus fulminibus, inquit, Caluinus l. 1. Inſt. cap. 3. § 2, non in incertos homines ſed in vniuerſam filiorum Adam ſeriem inuehitur.

etiam gratia excitans non producet in eo aliquid non vitiosum?

Ad oppositum dicendum est Apostolum eo loco agere de prudentia carnis quæ vitium est & peccatum quod Deo subiici non potest, licet homo laborans isto vitio Deo subiici possit, sic albedo non potest esse nigredo, licet niger albus fieri possit. Verba autem Christi de eo quod natum est ex carne, longe diuersum habent sensum, tantum enim Deũ denotant esse terminũ generationis carnalis qui dat esse carnale, sicut terminus generationis spiritualis in Baptismo dat esse spirituale, assimilando hominem spiritui Sancto, vt egregiè ostendit Stapleton in *Antidotis* in Ioan. c. 3 frustra autem & falso Caluinus verba Apostoli ex Dauide desumpta negat dicta esse in certos homines, cum de ijs dicta sint de quibus in principio Psalmi 52. dictum erat, *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*, scilicet de Atheis.

ARTICVLVS XXXXI.

Is Libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in scripturis, sed solum nomen libertatis à peccato. l. de Libero Arbitrio c. 7.

QVæritur an explodi debuerit iste articulus, etsi enim scriptura sacra loquatur sæpius de libertate, de illa tamen maximè lo-

quitur, quæ eſt à peccato; vt cum dicitur Ioan. 7. *ſi filius vos liberauerit, verè liberi eritis*, itemque ad Rom. 6. *liberati à peccato ſerui facti eſtis iuſtitiæ*

Reſponderur Summos Pontifices noluiſſe fauere Baio & eius ſequacibus etiam quoad vnam voculam. Vnde determinatum eſſe voluerunt, non ſolum libertatem à neceſſitate quoad rem ipſam in ſacris ſcripturis contineri, ſed etiam eamdem libertatem ſub voce & nomine libertatis exprimi. Quod patet ex hoc loco D. Pauli 1. Cor. 10. *Vt quid enim libertas mea iudicatur ab alienâ conſcientiâ?* iuncto ibidem commentario D. Thomæ. Itemque Tobiæ 1. dicitur. *Quoniam memor fuit Domini in toto corde ſuo, dedit illi Deus poteſtatem quocumque vellet ire habens libertatem quæcumque facere voluiſſet.* Sed & quod ait Baius ſolum nomen libertatis à peccato exprimi in ſcripturâ, admitti non poteſt, cum etiam libertas à miſeriâ ſub nomine libertatis exprimatur, ad Rom. 8. *tunc & ipſa creatura liberabitur à corruptione in libertatem gloriæ Filiorum Dei.* Atque etiam libertas à iugo grauiſſimorum multipliciumque cæremoniarum Moſaicæ legis vt cum dicit D. Paulus ad Gal. 2. ſubintroiſſe falſos fratres ad explorandam *libertatem quam habebant in Chriſto Jeſu.*

Ad oppoſitum dicendum eſt, non hæc ſola ſcripturæ loca loqui de libertate ſed & plura alia, vt inter cætera, ea quæ produximus in corpore articuli, vbi videmus nomen libertatis vſurpatum & ad ſignificandam libertatem

gloriæ filiorum Dei quæ est libertas à miseria, & ad significandam libertatem à iugo legis Mosaicæ, que est libertas Euangelica, quâ ij etiam fruuntur, qui sunt in statu peccati.

ARTICVLVS XLII.

Iustitia qua iustificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum iustitia, non autem in gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in Filium Dei, & secundum interiorem hominem renouatur, ac diuinæ naturæ consors efficitur, vt sic per Spiritum Sanctum renouatus, deinceps bene viuere & mandatis Dei obedire possit l. de Iustitia c. 5.

QVæritur an inter damnatos articulos hunc accensere debuerit Summus Pontifex, etenim plures grauissimi Doctores quos refert & sequitur Vasquez 2.2. disp. 203. c. 19. censent probabile esse hominem formaliter sanctificari posse per actum dilectionis aut contritionis, etsi nullus habitus gratiæ & charitatis infunderetur, quia ad Colos. 1. dicitur charitas *vinculum perfectionis* & 1. ad Timoth. 1. dicitur *finis præcepti*. hoc est consummatio & complementum legis quia charitate seruatur tota lex. & ad Ro. 13. ob eamdem rationem Charitas di-

citur *plenitudo legis* & 1. Petri 4. dicitur *Charitas operit multitudinem peccatorum*, quibus amplius quidpiam ad iuſtificationem deſiderari non poteſt.

Reſpondetur iure repudiatam eſſe ac damnatam huius articuli doctrinam in quantum excludit gratiam ſanctificantem infuſam & permanentem in animâ à iuſtificatione, quaſi illa conſiſteret in ſolâ boni operatione, & in exequutione mandatorum abſque infuſione vllius doni habitualis. Quo ſemel admiſſo, non pateret quo pacto infantes iuſtificarentur, cum iuſtitiam bonorum operum non habeant. Videreturque iuſtificatio eſſe aliquid tranſiens ſicut eſt ipſa actio, quâ mandatis diuinis obtemperatur. Sed & ſcriptura ſacra non obſcurè gratiam inhærentem admittit, quâ iuſtificantur homines. Vt quid enim Apoſtolus diceret ad Rom 3. *iuſtificati gratis per gratiam ipſius* & cap 5. *Si enim vnius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei & donum in gratiâ vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit.* Quam in rem plura coaceruat Suares l. 7. *de Gratia* c. 7. & Vaſquez citatâ diſputatione.

Ad oppoſitum dicendum eſt, quod quamuis hominem formaliter iuſtificari poſſe, per actum amoris qui virtualiter continet obedientiam mandatorum, plures inſignis notæ Doctores probabile eſſe defendant: attamen ſuſtinent id tantum fieri poſſe de potentiâ abſolutâ, nam de facto iuſtificantur omnes per habitum infuſum gratiæ iuſtificantis, licet id de fide

hactenus definitum non sit: vnde non excludunt propterea habitum infusum gratiæ & Charitatis quo formaliter iustificantur homines: at Baius negat illum habitum, contra communem sententiam Doctorum.

ARTICVLVS XLIII.

In omnibus pœnitentibus ante sacramentum absolutionis, & in Cathecumenis est vera iustificatio, separata tamen à remissione peccatorum. l. de Iustitia c. 7.

QVæritur an minus rectè posita sit hæc assertio: etenim iustum esse est iustè agere & obedire mandatis diuinis: sicut videtur innuere Propheta regius dicens. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula & operatur iustitiam: qui loquitur veritatem in corde suo: qui non egit dolum in linguâ suâ* Psal. 14. & alia quæ ibidem narrat: at potest homo ex fide operante per dilectionem hæc omnia bona agere, quibus iustus sit coram Deo: etsi nondum deleta sint peccata per receptionem sacramentorum, per quorum efficaciam remittuntur peccata: ergo videtur admittenda Baij propositio absque censuræ notâ,

Respondetur hanc Baij propositionem & quasdam alias similes in Bullâ damnatas niti duabus alijs propositionibus eiusdem Doctoris. Vna est quod Charitas & alia bona opera me

ritoria possunt esse cum statu peccati, quod extra sacramenta non deletur in eius sententiâ: altera est quod iustificatio, non fit per receptionem gratiæ inhærentis & permanentis seu habitualis, sed per exercitium bonorum operum. Vtraque autem propositio falsa est & nouam Theologiam inuehit, antiquis Doctoribus incognitam. Nam fides per dilectionem operans non patitur secum vlla peccata, vt superius dictum & probatum est, iterumque probatur ex D. Augustino, solam dilectionem asserente inter filios regni & perditionis discernere lib. 15. *de Trinit.*. c. 7. cuius discriminis rationem inquirens Albertus Magnus in 1. *sent. dist.* 17. *art.* 9. dicit quod nulla alia virtus vniuersaliter diuidit inter filios regni & perditionis: quia ipsa vno modo est forma omnium & ideo cum nullo vitio habetur: aliæ autem virtutes non excludunt nisi vitium vnum & non omnia & dist. 1. *eiusdem libri art.* 7. Idem Albertus asserit hominem non posse esse in statu medio inter culpam & gratiam, & deletionem culpæ sequi collationem gratiæ. Quod idem firmant magno consensu plerique posteriores Theologi. Sed & Concilium Trident. sess. 14. c. 4. asserit contritionem charitate perfectam hominem Deo reconciliare priusquam sacramentum pœnitentiæ actu suscipiatur. Quod adstruitur Ezech. 33. *impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuersus fuerit.* Altera autem propositio de iustificatione quæ excludat gratiam habitualem consistatque in solo exercitio bonorum operum, in præcedenti articulo reiecta est.

Ad oppoſitum dicendum, iuſtificationem tantum eo ſenſu conſiſtere in exercitio operum, quatenus ſunt diſpoſitio ad iuſtificationem, vel inſeruiunt ad illam conſeruandam, nec non etiam augendam: nam forma iuſtificationis eſt gratia habitualis ſed ſanctificans, cui veritati dum ſatis non conſentiunt defenſores ac confœderati Baij anſam arripuerunt, obligandi pœnitentes poſt abſolutionem ad frequens & diuturnum bonorum operum exercitium, antequam ad Sacram Euchariſtiæ participationem admitterentur, quaſi non intelligerent animam aliter iuſtificari, nec perciperent virtutem gratiæ ſanctificantis ad abluendam animam in momento.

ARTICVLVS XLIV.

Operibus pleriſque, quæ à fidelibus fiunt ſolum vt Dei mandatis pareant, cuiuſmodi ſunt obedire parentibus, depoſitum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abſtinere, iuſtificantur quidem homines, quia ſunt legis obedientia, & vice legis iuſtitia, non tamen ijs obtinent incrementa virtutum. Eodem l. c.5.

QVæritur an in vllâ ſui parte claudicet hæc propoſitio, aut in eius caudâ lateat aliquod venenum vt aliqui ſuſpicari poſſent: ete-

enim tantum concluditur per hanc propositionem opera bona sine imperio charitatis non mereri incrementa virtutum, sicut nec merentur augmentum gratiæ & gloriæ essentialis. Quæ fuit sententia Bannez 2.2.q.24.art.6 dubio 2. & 5 Vbi grauiter & catholicè id determinat, vt loquitur Thomas de Hurtado in *præcursore Theologo controuersia secunda disputationis secundæ*: multis in hanc rem adductis tum authoritatibus, tum etiam rationibus. Vt propterea extra censuræ aleam in tuto posita esse videatur hæc assertio.

Respondetur duplici ex parte claudicare dictam propositionem. Primo quidem in hoc, quod asserit iustificari homines (intellige formaliter ad mentem Baij) per obedientiam mandatorum. Quod iam multoties improbauimus. Secundo vero in hoc quod asserit, per bonos actus, homines iustos non obtinere incrementa virtutum: constans enim est doctrina Theologorum bonos actus meritorios esse augmenti gratię: auctâ autẽ gratiâ augentur in eadem mensura virtutes infusæ, sicut egregiè explicat Cardinalis de Cusa l. 2. *excitationum* ex alio sermone *respexit humilitatem ancillæ suæ*. Qui habet charitatem, inquit, omnes virtutes morales habet & crescente eâ crescunt cæteræ virtutes quælibet in sua specie, *sicut crescente manu crescunt digiti*, auriculari tamen semper manente minore alijs. Porro per actus bonos augeri gratiam & virtutes haud obscure asserit scriptura Apoc. vlt. *Qui iustus est iustificetur adhuc & sanctus sanctificetur adhuc* & ad Colos. 1. Vt ambuletis dignè Deo in omni opere bono *fructificantes*

ctificantes & crescentes. Plura vide apud Suarium l. 9. de Gratiâ c. 1. & l. 12. c. 8. nu. 9. opinionem Bannesianam nullo modo probandam aut tolerandam censet ; quia videtur parum consentanea scripturis, & communi sensui Ecclesiæ & patrum , nimiumque coarctat merita sanctorum.

Ad oppositum dicendum est quod quamuis plerique illustres Theologi contra nostram mentem doceant solos actus charitatis esse meritorios præmij essentialis, simul tamen docent actus aliarum virtutum sine imperio & directione charitatis esse meritorios præmij alicuius accidentalis , ad quod non est absurdum reuocare incrementa virtutum.

ARTICVLVS XLV.

Sacrificium Missæ non alia ratione est Sacrificium, quam generali illâ, qua omne opus bonum quod fit vt sancta Societate Deo homo inhæreat. l. de Sacrificio. c. 2

QVæritur an quid minus verè consentiens sit in hac assertione: etenim D. Augustinus l. 10. *de Ciuitate* c. 6. dicit, *sacrificium verum est omne opus, quod agitur vt sancta societate inhæreatur Deo , relatum ad illum finem boni quo veraciter beati esse possumus :* at nihil potest amplius habere sacrificium Missæ quam vt sit verum sacrificium. Quod cum bonis ope-

ribus conueniat ex mente D. Augustini, nihil restat in quo sacrificium Missæ, magis dici possit sacrificium.

Respondetur hæresim esse asserere quod sacrificium Missæ non aliâ ratione, & magis propriè sit sacrificium quam bona opera. Definit enim Concilium Tridentinum sess. 22. de *Sacrificio Missæ* canone 1. *si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificiũ, aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.* Et ratio est quia definitio sacrificij, Missæ competit, non alijs bonis operibus: est enim sacrificium actus externus Religionis quo ad diuinam maiestatem recognoscendam & nostram erga eum seruitutem protestandam, res aliqua certo ritu ac cæremonia ei offertur ac immutatur: addunt aliqui per sacerdotem & in altari vt magis explicent certum illum ritum quo debet offerri: at satis euidens est bonis operibus istam definitionem non competere: ergo non sunt propriè sacrificium, sed tantum sacrificium lâtè sumptum pro eo omni quod placat Deum habetque aliquem effectum sacrificij. Quod si ita non esset, frustra defenderetur caracter, prærogatiua & dignitas sacerdotum. Frustra tot disputationes institutæ essent contra hæreticos pro asserendo sacerdotij honore, inunctione ac consecratione, cum quibuslibet laicis probatorum morum commune esset, cum bonis operibus sæpe plus abundent. Sed quæ ad hanc controuersiam contra hæreticos spectant doctè & solidè tractantur ab eminentissimo Cardinali Ri-

chelio in opere illo posthumo, quo met hodum tradit ad reducendos in gremium Ecclesiæ ab eâ segreges parte 3. c. 5. vbi & omnes hæreticorum obiectiones diluit.

Ad oppositum respondent Leonardus Coquæus in commentario ad illum locum D. Augustini & Leonardus Lessius 3. p. q. 8. art. 1. dubio 1. D. Augustinum accipere nomen sacrificij latè, non propriè, scilicet pro eo quod assequitur finem sacrificij, qui est placare Deum. Et vocat sacrificium verum ratione effectus & dignitatis, non ratione formæ & essentiæ sacrificij propriè dicti. Quia scilicet Deus magis placatur bonis operibus quam sacrificijs externis legalibus. Similis sententia est Ioan. 15. *Ego sum vitis vera*: nec enim Christus significare volebat, se magis esse vitem quod attinet ad formam & essentiam vitis, quàm sit illa quæ plantatur in vineis, sed solum se esse vitem nobiliorem & nobiliores effectus producere. Vitem scilicet mysticam, ea quæ vitis sunt, spiritualiter & multo excellentius præstantem.

ARTICVLVS XLVI.

Ad rationem & definitionem peccati non pertinet volontarium, nec definitionis quæstio est sed causæ & originis, vtrum omne peccatum debeat esse voluntarium.
l. de Peccato originis. c. 7.

QVæritur an quid veritati repugnans sit in hoc articulo: etenim non solent causæ esse de essentia rerum quæ definiuntur: ergo nec voluntas, nec voluntarium debent ingredi definitionem peccati. Vnde sæpe D. Augustinus & alij patres definiun t peccatum nulla facta mentione voluntarij.

Respondetur post D Thomam 1.2. q. 76. art. 3. quod voluntarium est de ratione peccati. De ratione, id est, de essentia & definitione vt vsurpari solet nomen, ratio. & q. 61. art. 6. peccatum nihil aliud esse quam actum humanum malum. Quod autem aliquis actus sit humanus, habet ex hoc quod est voluntarius, siue sit voluntarius quasi à volontate elicitus vt ipsum velle vel eligere: siue quasi à voluntate imperatus, vt exteriores actus vel loquutionis vel operationis. Ex hoc infertur voluntarium esse de essentia peccati quod essentialiter est actus humanus, quemadmodum substantia est de essentia hominis qui essentialiter definitur animal, vt enim animal est essentialiter substan-

tia, sic actus humanus essentialiter est voluntarius. Vnde & qui expressius definiunt peccatum, dicunt illum esse defectum voluntarium perfectionis debitæ, quo homo deficiat à lege modum determinante ad assequendum finem vltimum beatitudinis. Et D. Augustin. l. *de Religione* c. 14. vsque adeo peccatum voluntarium malum est, vt nullo modo sit peccatum si non sit voluntarium. Quod idem repetit, l. 3. de Libero Arbitrio c. 17. & 18. Sed & lex diuina abunde id testatur cum *Deuteronomij* 22. & 30. capite, innocens & sine punitione maneat qui contra volontatem occidit, sicut & virgo quæ inuita & renitens stuprum magis patitur quam agit, quia tunc peccatum non est, defectu voluntarij actus.

Ad oppositum dicendum est in rebus moralibus sæpissime causas & principia rerum ingredi ipsarum definitionem. Et quamuis in aliquibus locis D. Augustinus peccatum definiat sine vlla mentione voluntarij, alibi tamen mentionem illius expressam habet, vt cum in libro de Duabus animabus ita definit peccatum c. 11. peccatum *est volutas retinendi vel consequendi quod iustitia vetat*, & alijs locis indicatis in corpore articuli. Quod similiter alij patres asserunt.

citur *plenitudo legis* & 1..Petri 4. dicitur *Charitas operit multitudinem peccatorum*, quibus amplius quidpiam ad iustificationem desiderari non potest.

Respondetur iure repudiatam esse ac damnatam huius articuli doctrinam in quantum excludit gratiam sanctificantem infusam & permanentem in animâ à iustificatione, quasi illa consisteret in solâ boni operatione, & in exequutione mandatorum absque infusione vllius doni habitualis. Quo semel admisso, non pateret quo pacto infantes iustificarentur, cum iustitiam bonorum operum non habeant. Videreturque iustificatio esse aliquid transiens sicut est ipsa actio, quâ mandatis diuinis obtemperatur. Sed & scriptura sacra non obscurè gratiam inhærentem admittit, quâ iustificantur homines. Vt quid enim Apostolus diceret ad Rom 3. *iustificati gratis per gratiam ipsius* & cap 5. *Si enim vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei & donum in gratiâ vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.* Quam in rem plura coaceruat Suares l. 7. *de Gratia* c. 7. & Vasquez citatâ disputatione.

Ad oppositum dicendum est, quod quamuis hominem formaliter iustificari posse, per actum amoris qui virtualiter continet obedientiam mandatorum, plures insignis notæ Doctores probabile esse defendant: attamen sustinent id tantum fieri posse de potentiâ absolutâ, nam de facto iustificantur omnes per habitum infusum gratiæ iustificantis, licet id de fide

hactenus definitum non sit: vnde non excludunt propterea habitum infusum gratiæ & Charitatis quo formaliter iustificantur homines: at Baius negat illum habitum, contra communem sententiam Doctorum.

ARTICVLVS XLIII.

In omnibus pœnitentibus ante sacramentum absolutionis, & in Cathecumenis est vera iustificatio, separata tamen à remissione peccatorum. l. de Iustitia c. 7.

QVæritur an minus rectè posita sit hæc assertio: etenim iustum esse est iustè agere & obedire mandatis diuinis: sicut videtur innuere Propheta regius dicens. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula & operatur iustitiam: qui loquitur veritatem in corde suo: qui non egit dolum in linguâ suâ* Psal. 14. & alia quæ ibidem narrat: at potest homo ex fide operante per dilectionem hæc omnia bona agere, quibus iustus sit coram Deo: etsi nondum deleta sint peccata per receptionem sacramentorum, per quorum efficaciam remittuntur peccata: ergo videtur admittenda Baij propositio absque censuræ notâ,

Respondetur hanc Baij propositionem & quasdam alias similes in Bullâ damnatas niti duabus alijs propositionibus eiusdem Doctoris. Vna est quod Charitas & alia bona opera me

ritoria possunt esse cum statu peccati, quod extra sacramenta non deletur in eius sententiâ: altera est quod iustificatio, non fit per receptionem gratiæ inhærentis & permanentis seu habitualis, sed per exercitium bonorum operum. Vtraque autem propositio falsa est & nouam Theologiam inuehit, antiquis Doctoribus incognitam. Nam fides per dilectionem operans non patitur secum vlla peccata, vt superius dictum & probatum est, iterumque probatur ex D. Augustino, solam dilectionem asserente inter filios regni & perditionis discernere lib. 15. *de Trinit.* c. 7. cuius discriminis rationem inquirens Albertus Magnus in 1. *sent. dist.* 17. *art.* 9. dicit quod nulla alia virtus vniuersaliter diuidit inter filios regni & perditionis: quia ipsa vno modo est forma omnium & ideo cum nullo vitio habetur: aliæ autem virtutes non excludunt nisi vitium vnum & non omnia & dist. 1. *eiusdem libri art.* 7. Idem Albertus asserit hominem non posse esse in statu medio inter culpam & gratiam, & deletionem culpæ sequi collationem gratiæ. Quod idem firmant magno consensu plerique posteriores Theologi. Sed & Concilium Trident. ses. 14. c. 4. asserit contritionem charitate perfectam hominem Deo reconciliare priusquam sacramentum pœnitentiæ actu suscipiatur. Quod adstruitur Ezech. 33. *impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuersus fuerit.* Altera autem propositio de iustificatione quæ excludat gratiam habitualem consistatque in solo exercitio bonorum operum, in præcedenti articulo reiecta est.

Ad oppoſitum dicendum, iuſtificationem tantum eo ſenſu conſiſtere in exercitio operum, quatenus ſunt diſpoſitio ad iuſtificationem, vel inſeruiunt ad illam conſeruandam, nec non etiam augendam: nam forma iuſtificationis eſt gratia habitualis ſed ſanctificans, cui veritati dum ſatis non conſentiunt defenſores ac confœderati Baij anſam arripuerunt, obligandi pœnitentes poſt abſolutionem ad frequens & diuturnum bonorum operum exercitium, antequam ad Sacram Euchariſtiæ participationem admitterentur, quaſi non intelligerent animam aliter iuſtificari, nec perciperent virtutem gratiæ ſanctificantis ad abluendam animam in momento.

ARTICVLVS XLIV.

Operibus pleriſque, quæ à fidelibus fiunt ſolum vt Dei mandatis pareant, cuiuſmodi ſunt obedire parentibus, depoſitum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abſtinere, iuſtificantur quidem homines, quia ſunt legis obedientia, & vice legis iuſtitia, non tamen ijs obtinent incrementa virtutum. Eodem l. c. 5.

QVæritur an in vllâ ſui parte claudicet hæc propoſitio, aut in eius caudâ lateat aliquod venenum vt aliqui ſuſpicari poſſent: etc-

enim tantum concluditur per hanc propositionem opera bona sine imperio charitatis non mereri incrementa virtutum, sicut nec merentur augmentum gratiæ & gloriæ essentialis. Quæ fuit sententia Bannez 2.2.q.24.art. 6 dubio 2. & 5 Vbi grauiter & catholicè id determinat, vt loquitur Thomas de Hurtado in *præcursore Theologo controuersia secunda disputationis secundæ*: multis in hanc rem adductis tum authoritatibus, tum etiam rationibus. Vt propterea extra censuræ aleam in tuto posita esse videatur hæc assertio.

Respondetur duplici ex parte claudicare dictam propositionem. Primo quidem in hoc, quod asserit iustificari homines (intellige formaliter ad mentem Baij) per obedientiam mandatorum. Quod iam multoties improbauimus. Secundo vero in hoc quod asserit, per bonos actus, homines iustos non obtinere incrementa virtutum: constans enim est doctrina Theologorum bonos actus meritorios esse augmenti gratię: auctâ autẽ gratiâ augentur in eadem mensura virtutes infusæ, sicut egregiè explicat Cardinalis de Cusa l. 2. *excitationum* ex alio sermone *respexit humilitatem ancillæ suæ*. Qui habet charitatem, inquit, omnes virtutes morales habet & crescente eâ crescunt cæteræ virtutes qualibet in sua specie, *sicut crescente manu crescunt digiti*, auriculari tamen semper manente minore alijs. Porro per actus bonos augeri gratiam & virtutes haud obscure asserit scriptura Apoc. vlt. *Qui iustus est iustificetur adhuc & sanctus sanctificetur adhuc* & ad Colos. 1. Vt ambuletis dignè Deo in omni opere bono *fru-*

ctificantes

ctificantes & crescentes. Plura vide apud Suarium l. 9. de Gratiâ c. 1. & l. 12. c. 8. nu. 9. opinionem Bannesianam nullo modo probandam aut tolerandam censet; quia videtur parum consentanea scripturis, & communi sensui Ecclesiæ & patrum, nimiumque coarctat merita sanctorum.

Ad oppositum dicendum est quod quamuis plerique illustres Theologi contra nostram mentem doceant solos actus charitatis esse meritorios præmij essentialis, simul tamen docent actus aliarum virtutum sine imperio & directione charitatis esse meritorios præmij alicuius accidentalis, ad quod non est absurdum reuocare incrementa virtutum.

ARTICVLVS XLV.

Sacrificium Missæ non alia ratione est Sacrificium, quam generali illâ, qua omne opus bonum quod fit vt sancta Societate Deo homo inhæreat. l. de Sacrificio. c. 2

QVæritur an quid minus verè consentiens sit in hac assertione: etenim D. Augustinus l. 10. *de Ciuitate* c. 6. dicit, *sacrificium verum est omne opus, quod agitur vt sancta societate inhæreatur Deo, relatum ad illum finem boni quo veraciter beati esse possumus*: at nihil potest amplius habere sacrificium Missæ quam vt sit verum sacrificium. Quod cum bonis ope-

ribus conueniat ex mente D. Augustini, nihil restat in quo sacrificium Missæ, magis dici possit sacrificium.

Respondetur hæresim esse asserere quod sacrificium Missæ non aliâ ratione, & magis propriè sit sacrificium quam bona opera. Definit enim Concilium Tridentinum sess. 22. de *Sacrificio Missæ* canone 1. *si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificiũ, aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.* Et ratio est quia definitio sacrificij, Missæ competit, non alijs bonis operibus: est enim sacrificium actus externus Religionis quo ad diuinam maiestatem recognoscendam & nostram erga eum seruitutem protestandam, res aliqua certo ritu ac cæremonia ei offertur ac immutatur: addunt aliqui per sacerdotem & in altari vt magis explicent certum illum ritum quo debet offerri: at satis euidens est bonis operibus istam definitionem non competere: ergo non sunt propriè sacrificium, sed tantum sacrificium lâtè sumptum pro eo omni quod placat Deum habetque aliquem effectum sacrificij. Quod si ita non esset, frustra defenderetur caracter, prærogatiua & dignitas sacerdotum. Frustra tot disputationes institutæ essent contra hæreticos pro asserendo sacerdotij honore, inunctione ac consecratione, cum quibuslibet laicis probatorum morum commune esset, cum bonis operibus sæpe plus abundent. Sed quæ ad hanc controuersiam contra hæreticos spectant doctè & solidè tractantur ab eminentissimo Cardinali Ri-

chelio in opere illo posthumo, quo met hodum tradit ad reducendos in gremium Ecclesiæ ab eâ segreges parte 3. c. 5. vbi & omnes hæreticorum obiectiones diluit.

Ad oppositum respondent Leonardus Coquæus in commentario ad illum locum D. Augustini & Leonardus Lessius 3. p. q. 8. art. 1. dubio 1. D. Augustinum accipere nomen sacrificij latè, non propriè, scilicet pro eo quod assequitur finem sacrificij, qui est placare Deum. Et vocat sacrificium verum ratione effectus & dignitatis, non ratione formæ & essentiæ sacrificij propriè dicti. Quia scilicet Deus magis placatur bonis operibus quam sacrificijs externis legalibus. Similis sententia est Ioan. 15. *Ego sum vitis vera:* nec enim Christus significare volebat, se magis esse vitem quod attinet ad formam & essentiam vitis, quàm sit illa quæ plantatur in vineis, sed solum se esse vitem nobiliorem & nobiliores effectus producere. Vitem scilicet mysticam, ea quæ vitis sunt, spiritualiter & multo excellentius prestantem.

tia, sic actus humanus essentialiter est voluntarius. Vnde & qui expressius definiunt peccatum, dicunt illum esse defectum voluntarium perfectionis debitæ, quo homo deficiat à lege modum determinante ad assequendum finem vltimum beatitudinis. Et D. Augustin. l. *de Religione* c. 14. vsque adeo peccatum voluntarium malum est, vt nullo modo sit peccatum si non sit voluntarium. Quod idem repetit, l. 3. de Libero Arbitrio c. 17. & 18. Sed & lex diuina abunde id testatur cum *Deuteronomij* 22. & 30. capite, innocens & sine punitione maneat qui contra volontatem occidit, sicut & virgo quæ inuita & renitens stuprum magis patitur quam agit, quia tunc peccatum non est, defectu voluntarij actus.

Ad oppositum dicendum est in rebus moralibus sæpissime causas & principia rerum ingredi ipsarum definitionem. Et quamuis in aliquibus locis D. Augústinus peccatum definiat sine vlla mentione voluntarij, alibi tamen mentionem illius expressam habet, vt cum in libro de Duabus animabus ita definit peccatum c. 11. peccatum *est volutas retinendi vel consequendi quod iustitia vetat*, & alijs locis indicatis in corpore articuli. Quod similiter alij patres asserunt.

ARTICVLVS XLVII.

Vnde peccatum originis habet verè rationem peccati sine vlla relatione & respectu ad voluntatem à qua originem habuit. Lib. de peccato originis.

QVæritur an hæc propositio virgâ censoria percuti debuerit : non enim apparet quomodo peccatum infantium quale est originale, qui nec intelligunt, nec volunt quidquam, possit esse voluntarium , aut vllum respectum ad voluntatem cuiusquam habere.

Respondetur nodosam esse & difficilem quæstionem peccati originalis, quomodo deriuetur ad omnes homines , & per quam rimam in animas de nouo per omnipotentiam diuinam creatas ingrediatur, sicut autem illud participamus per quamdam traductionem à parentibus in filios, sic illud secretum cognoscimus per traditionem & quamdam doctrinam quæ ab antiquioribus Theologis tradita ad nos vsque peruenit, à quâ tantisper deflectere non licet sine erroris periculo. Certum est autem cum omne peccatum sit aliquo pacto voluntarium , idem competere peccato Originali, cuius causa non naturalis & physica , sed moralis fuit primus parens, quatenus ex eius voluntate & beneplacito pendebat, transfundere iustitiam originalem & gratiam sanctificantem in ea inclusam ad posteros, si mandato morigerum se præbuisset , ita enim

Deus statuerat: sicut & statuerat, vt eo peccante, inesset in posteris priuatio gratiæ sanctificantis, quæ formaliter peccatum est originale, quatenus profluit ex Adami inobedientia ac præuaricatione voluntaria. Quare non est istud peccatum sine respectu ad voluntatem Adami à quâ originem habuit: vnde Albertus Magnus in 2. sent, dist. 22. vocât peccatum originale voluntarium voluntate remota & antecedente, licet non propinqua & consequente, vt originale inquit est voluntarium voluntate Adæ & non voluntate nostra; & D. Thomas 1. 2. q. 81. art. 1. inordinatio quæ est in isto homine ex Adam generato, non est voluntaria voluntate ipsius, sed voluntate primi parentis, qui mouet motione generationis omnes qui ex eius origine deriuantur, sicut voluntas animæ mouet omnia membra ad actum, quibus fauet D. Augustinus in fine de Libero Arbitrio, vbi ostendit peccatum originale quodammodo fuisse voluntatem propter voluntatem Adæ.

Ad oppositum ergo dicendum est peccatum originale esse defectum gratiæ Sanctificantis præcisè ex præuaricatione Adami ortum & esse voluntarium voluntate ipsius Adami qui defectum hunc impedire poterat,

cendum & factus adultus actu concupiſcit: & talis diſpoſitio, inquit, ad peccatum non niſi culpa eſt, in ea enim conſiſtit ratio formalis omnis culpæ tam actualis quam originalis.

Reſpondetur peccatum originale conſiſtere formaliter in defectu gratiæ ſanctificantis ex Adami præuaricatione orto, vt fert ſententia communior & verior Theologorum plurium poſt D. Thomam 1. 2. q. 82 art. 2. & 3. & Scotum in 2. diſt. 32. q. vnica. Siquidem peccatum iſtud nihil poteſt eſſe poſitiuum, quia illud produceretur vel virtute naturali ipſius peccati Adami, vel quadam alia virtute ſupernaturali. Primum dici non poteſt, quia peccatum Adami non habet hanc vim, & deletum erat cum Adamus primum filium produxit infectum peccato originali. Secundum minus dici poteſt, quia ſic Deus ſolus eſſet author peccati originalis, quod ſuſtineri non poteſt. Quare fictitia eſt illa voluntas habitualis habitualiter manens, quæ dominetur puero, & illum in Dei odium impellat. Deinde pronitas ad peccatum nondum peccatum eſt, ſed diſpoſitio, ſicut nec reatus ad pœnam, qui magis eſt effectus peccati, non peccatum.

Ad oppoſitum dicendum eſt peccatum originale dici habituale quatenus habituale opponitur actui, non quatenus ſignificat propenſionem & inclinationem ad actum aliquem ſicut ſumitur à Philoſophis. Ad Henricum dicendum non ſatis rectè intellexiſſe eſſentiam peccati originalis, cum ſit difficilimum intellectu; vnde tantopere in illo explicando laborant Theologi, vt

non minus peccatum istud sit seminarium plurium opinionum erronearum quàm calamitatum humanæ vitæ.

ARTICVLVS XLIX.

Praua desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo inuitus patitur, sunt prohibita præcepto, non concupisces. Lib. eodem cap. 11. 15. & 16.

QVæritur an quidpiã desiderari possit in hac assertione, etenim verba ipsa præcepti Ex. 10. nihil aliud videntur significare, quid enim est non concupisces, nisi, nihil prauum desiderabis, nec habebis praua desideria, circa res delectabiles? at vbi lex non distinguit nec nos distinguere debemus.

Respondetur obscuram esse istam propositionem; ideoque distinguenda esse desideria, vt alia sint elicita, alia vero naturalia: elicita sunt actiones desiderij immediatè à voluntate eliciti: naturalia vero sunt ipsi motus carnis & titillationes circa res turpes, quæ exsurgunt in carne, inuita mente hominis & repugnante; quæ Apostolus vocat legem membrorum repugnantem legi mentis suæ, alij fomitem peccati vocant, alij alijs exprimunt vocibus. Praua autem desideria elicita prohibita sunt præcepto, *non concupisces*, & peccata sunt nisi inaduertẽtia, & inconsideratio omnino excusent; nec possunt esse nisi

voluntaria, quia actus sunt ipsius voluntatis, quæ à nullo obiecto creato cogi potest ad volendum Vnde primum desiderium fornicationis ex adspectu mulieris alienæ, peccatum est, etsi remordeat synderesis, & ratio non consentiat, vt actu perpetretur. Alia vero praua desideria naturalia iam explicata, quæ sunt viæ & dispositiones ad peccatum & quæ volens nolens aliquando iustus quisque patitur, non sunt obiectum præcepti non concupisces. Quia autem sensus propositionis à Baio intẽtus est de desiderijs prauis iuxta hanc vltimam acceptionem merito damnatur: ex hoc enim sequeretur remanere aliquod peccatum in renatis, & aliqua ad euitandam impossibilia esse prohibita: quæ contrariantur Concilio Tridentino, sess. 5. in Decreto de *Peccato Originali*, & sess. 6. de *Iustif.* cap. 11. Accedit quod quemadmodum praui homines laudem non merentur ex quibusdam sanctis cogitationibus, aut inspirationibus quas vel nolentes aliquando sentiunt & quibus obluctantur; sic nec sancti homines peccant, aut pœnam merentur propter prauas quasdam coucupiscentiæ commotiones quas inuiti sentiunt. Vnde nec in illis præceptum transgrediuntur.

Ad oppositum dicendum est, præceptum intelligẽdum esse de prauis desiderijs elicitis, circa quæ homo liber est, vt ea eliciat vel non eliciat: non enim cogitur adspecta muliere desiderare actum fornicationis aut adulterij, idcirco cum illum desiderat, voluntariè desiderat, & eo magis voluntariè, quod concupiscentia non minuat voluntarium sed augeat potius: distinguendum

autem desiderium, à simplici, & inefficaci complacentia.

ARTICVLVS L.

Concupiscentia siue lex membrorum & praua eius desideria, quæ inuiti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.
Ibidem.

QVæritur an à tramite veritatis deflectat hæc assertio, etenim Lutherani apud Stapletonem, lib. 3. de Iustificatione cap. 4. vrgent ab Apostolo ad Rom. 6. Concupiscentiam vocari vt minimum, quinquies peccatum, ad Rom. autem 7. sexies, & ad Rom. 8. ter. & ad Heb. 11. vocari *circumstans nos peccatum.* Apostolum autem semetipsum interpretari loqui de vero peccato, cum ad Rom 5. dicit de illa concupiscentia, quod non sit *bonum*, & quod sit *adiacens malum*, itavt propter hoc clamet, *infœlix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius*? Si autem concupiscentia sit peccatum, est legis inobedientia.

Respondetur Concilium Tridentinum hanc difficultatem explicasse sess. 5. in Decreto de peccato originali. *Hanc concupiscentiam*, inquit, *quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiã Catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè peccatum sit, sed quia ex peccato est &*

ad peccatum inclinat, si quis autem contrarium senserit, anathema sit, Quod & probatur ex eo quod baptisma delet omnia peccata, cum tamen post illud remaneat in renatis concupiscentia ad agonem; vt eodem loco explicat Concilium: ergo concupiscentia per se peccatum non est. Quæ doctrina est D. Augustini vt temere eam in suas partes trahere conentur aduersarij lib. 1. cap. 13. contra 2. *Epistolam Pelagianorum.* Dicimus baptisma dare indulgentiam omnium peccatorum & auferre crimina, non radere. Sed de concupiscentia carnis credo eos falli vel fallere, *quæ quamuis peccatum ab Apostolo vocetur, peccatum tamen non est, sed ideo sic vocatur quia peccato facta est vt Scriptura monet, vel quia ad peccatum mouet.* Atque id confirmant exempla sanctorum, vt sancti Benedicti & S. Francisci, quorum ille motibus carnis pulsatus inter vepres & spinas corpus nudum volutauit, hic vero niuibus inuoluit, quarum thesauros dicitur Deus præparasse Iob 18. in diem pugnæ & hostis. An tunc legi diuinæ inobedientes fuisse censendi sunt, cum illos æstus inuoluntariè paterentur? Præclarè D. Prosper l. 3. de *Vita Contemplatiua* cap. 1. *non concupiscentiam in nobis sentiendo, sed ei consentiendo peccamus.*

Ad oppositum dicendum est iam satis elucere ex mente Concilij ac D. Augustini quo sensu concupiscentia vocetur peccatum, à D. Paulo. Quod vero vocetur etiam malum, hoc non probat esse peccatum, cum inter malum & peccatum plurimum sit discriminis, illud enim defectus est, etiam non voluntarius, hoc

tia, sic actus humanus essentialiter est voluntarius. Vnde & qui expressius definiunt peccatum, dicunt illum esse defectum voluntarium perfectionis debitæ, quo homo deficiat à lege modum determinante ad assequendum finem vltimum beatitudinis. Et D. Augustin. l. *de Religione* c. 14. vsque adeo peccatum voluntarium malum est, vt nullo modo sit peccatum si non sit voluntarium. Quod idem repetit, l. 3. de Libero Arbitrio c. 17. & 18. Sed & lex diuina abunde id testatur cum *Deuteronomij* 22. & 30. capite, innocens & sine punitione maneat qui contra volontatem occidit, sicut & virgo quæ inuita & renitens stuprum magis patitur quam agit, quia tunc peccatum non est, defectu voluntarij actus.

Ad oppositum dicendum est in rebus moralibus sæpissime causas & principia rerum ingredi ipsarum definitionem. Et quamuis in aliquibus locis D. Augustinus peccatum definiat sine vlla mentione voluntarij, alibi tamen mentionem illius expressam habet, vt cum in libro de Duabus animabus ita definit peccatum c. 11. peccatum *est volutas retinendi vel consequendi quod iustitia vetat*, & alijs locis indicatis in corpore articuli. Quod similiter alij patres asserunt.

ARTICVLVS XLVII.

Vnde peccatum originis habet verè rationem peccati sine vlla relatione & respectu ad voluntatem à qua originem habuit. Lib. de peccato originis.

QVæritur an hæc propositio virgâ censoria percuti debuerit : non enim apparet quomodo peccatum infantium quale est originale, qui nec intelligunt, nec volunt quidquam, possit esse voluntarium , aut vllum respectum ad voluntatem cuiusquam habere.

Respondetur nodosam esse & difficilem quæstionem peccati originalis, quomodo deriuetur ad omnes homines , & per quam rimam in animas de nouo per omnipotentiam diuinam creatas ingrediatur , sicut autem illud participamus per quamdam traductionem à parentibus in filios, sic illud secretum cognoscimus per traditionem & quamdam doctrinam quæ ab antiquioribus Theologis tradita ad nos vsque peruenit, à quâ tantisper deflectere non licet sine erroris periculo. Certum est autem cum omne peccatum sit aliquo pacto voluntarium , idem competere peccato Originali, cuius causa non naturalis & physica , sed moralis fuit primus parens, quatenus ex eius voluntate & beneplacito pendebat, transfundere iustitiam originalem & gratiam sanctificantem in ea inclusam ad posteros, si mandato morigerum se præbuisset , ita enim

Deus ſtatuerat : ſicut & ſtatuerat, vt eo peccante, ineſſet in poſteris priuatio gratiæ ſanctificantis, quæ formaliter peccatum eſt originale, quatenus profluit ex Adami inobedientia ac præuaricatione voluntaria. Quare non eſt iſtud peccatum ſine reſpectu ad voluntatem Adami à quâ originem habuit: vnde Albertus Magnus in 2. ſent, diſt. 22. vocat peccatum originale voluntarium voluntate remota & antecedente, licet non propinqua & conſequente, vt originale inquit eſt voluntarium voluntate Adæ & non voluntate noſtra; & D. Thomas 1. 2. q. 81. art. 1. inordinatio quæ eſt in iſto homine ex Adam generato, non eſt voluntaria voluntate ipſius, ſed voluntate primi parentis, qui mouet motione generationis omnes qui ex eius origine deriuantur, ſicut voluntas animæ mouet omnia membra ad actum, quibus fauet D. Auguſtinus in fine de Libero Arbitrio, vbi oſtendit peccatum originale quodammodo fuiſſe voluntatem propter voluntatem Adæ.

Ad oppoſitum ergo dicendum eſt peccatum originale eſſe defectum gratiæ Sanctificantis præcisè ex præuaricatione Adami ortum & eſſe voluntarium voluntate ipſius Adami qui defectum hunc impedire poterat,

cendum & factus adultus actu concupiſcit: & talis diſpoſitio, inquit, ad peccatum non niſi culpa eſt, in ea enim conſiſtit ratio formalis omnis culpæ tam actualis quam originalis.

Reſpondetur peccatum originale conſiſtere formaliter in defectu gratiæ ſanctificantis ex Adami præuaricatione orto, vt fert ſententia communior & verior Theologorum plurium poſt D. Thomam 1. 2. q. 82 art. 2. & 3. & Scotum in 2. diſt. 32. q. vnica. Siquidem peccatum iſtud nihil poteſt eſſe poſitiuum, quia illud produceretur vel virtute naturali ipſius peccati Adami, vel quadam alia virtute ſupernaturali. Primum dici non poteſt, quia peccatum Adami non habet hanc vim, & deletum erat cum Adamus primum filium produxit infectum peccato originali. Secundum minus dici poteſt, quia ſic Deus ſolus eſſet author peccati originalis, quod ſuſtineri non poteſt. Quare fictitia eſt illa voluntas habitualis habitualiter manens, quæ dominetur puero, & illum in Dei odium impellat. Deinde pronitas ad peccatum nondum peccatum eſt, ſed diſpoſitio, ſicut nec reatus ad pœnam, qui magis eſt effectus peccati, non peccatum.

Ad oppoſitum dicendum eſt peccatum originale dici habituale quatenus habituale opponitur actui, non quatenus ſignificat propenſionem & inclinationem ad actum aliquem ſicut ſumitur à Philoſophis. Ad Henricum dicendum non ſatis rectè intellexiſſe eſſentiam peccati originalis, cum ſit difficilimum intellectu; vnde tantopere in illo explicando laborant Theologi, vt

non minus peccatum istud sit seminarium plurium opinionum erronearum quàm calamitatum humanæ vitæ.

ARTICVLVS XLIX.

Praua desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo inuitus patitur, sunt prohibita præcepto, non concupisces. Lib. eodem cap. 11. 15. & 16.

QVæritur an quidpiã desiderari possit in hac assertione, etenim verba ipsa præcepti Ex. 10. nihil aliud videntur significare, quid enim est non concupisces, nisi, nihil prauum desiderabis, nec habebis praua desideria, circa res delectabiles? at vbi lex non distinguit nec nos distinguere debemus.

Respondetur obscuram esse istam propositionem; ideoque distinguenda esse desideria, vt alia sint elicita, alia vero naturalia: elicita sunt actiones desiderij immediatè à voluntate eliciti: naturalia vero sunt ipsi motus carnis & titillationes circa res turpes, quæ exsurgunt in carne, inuita mente hominis & repugnante; quæ Apostolus vocat legem membrorum repugnantem legi mentis suæ, alij fomitem peccati vocant, alij alijs exprimunt vocibus. Praua autem desideria elicita prohibita sunt præcepto, *non concupisces*, & peccata sunt nisi inaduertẽtia, & inconsideratio omnino excusent; nec possunt esse nisi

voluntaria, quia actus sunt ipsius voluntatis, quæ à nullo obiecto creato cogi potest ad volendum Vnde primum desiderium fornicationis ex adspectu mulieris alienæ, peccatum est, etsi remordeat synderesis, & ratio non consentiat, vt actu perpetretur. Alia vero praua desideria naturalia iam explicata, quæ sunt viæ & dispositiones ad peccatum & quæ volens nolens aliquando iustus quisque patitur, non sunt obiectum præcepti non concupisces. Quia autem sensus propositionis à Baio intētus est de desiderijs prauis iuxta hanc vltimam acceptionem merito damnatur: ex hoc enim sequeretur remanere aliquod peccatum in renatis, & aliqua ad euitandam impossibilia esse prohibita: quæ contrariantur Concilio Tridentino, sess. 5. in Decreto de *Peccato Originali*, & sess. 6. de *Iustif.* cap. 11. Accedit quod quemadmodum praui homines laudem non merentur ex quibusdam sanctis cogitationibus, aut inspirationibus quas vel nolentes aliquando sentiunt & quibus obluctantur; sic nec sancti homines peccant, aut pœnam merentur propter prauas quasdam coucupiscentiæ commotiones quas inuiti sentiunt. Vnde nec in illis præceptum transgrediuntur.

Ad oppositum dicendum est, præceptum intelligēdum esse de prauis desiderijs elicitis, circa quæ homo liber est, vt ea eliciat vel non eliciat: non enim cogitur adspecta muliere desiderare actum fornicationis aut adulterij, idcirco cum illum desiderat, voluntariè desiderat, & eo magis voluntariè, quod concupiscentia non minuat voluntarium sed augeat potius: distinguendum

ad peccatum inclinat, si quis autem contrarium senserit, anathema sit, Quod & probatur ex eo quod baptisma delet omnia peccata, cum tamen post illud remaneat in renatis concupiscentia ad agonem; vt eodem loco explicat Concilium: ergo concupiscentia per se peccatum non est. Quæ doctrina est D. Augustini vt temere eam in suas partes trahere conentur aduersarij lib. 1. cap. 13. contra 2. *Epistolam Pelagianorum.* Dicimus baptisma dare indulgentiam omnium peccatorum & auferre crimina, non radere. Sed de concupiscentia carnis credo eos falli vel fallere, *quæ quamuis peccatum ab Apostolo vocetur, peccatum tamen non est, sed ideo sic vocatur quia peccato facta est vt Scriptura monet, vel quia ad peccatum mouet.* Atque id confirmant exempla sanctorum, vt sancti Benedicti & S. Francisci, quorum ille motibus carnis pulsatus inter vepres & spinas corpus nudum volutauit, hic vero niuibus inuoluit, quarum thesauros dicitur Deus præparasse Iob 38. in diem pugnæ & hostis. An tunc legi diuinæ inobedientes fuisse censendi sunt, cum illos æstus inuoluntariè paterentur? Præclarè D. Prosper l. 3. de *Vita Contemplatiua* cap. 1. *non concupiscentiam in nobis sentiendo, sed ei consentiendo peccamus.*

Ad oppositum dicendum est iam satis elucere ex mente Concilij ac D. Augustini quo sensu concupiscentia vocetur peccatum, à D. Paulo. Quod vero vocetur etiam malum, hoc non probat esse peccatum, cum inter malum & peccatum plurimum sit discriminis, illud enim defectus est, etiam non voluntarius, hoc

vero defectus voluntarius. Quia vero concupiscentia est miseria & languor etiam in corpore mortali residens, ideo exoptat Apostolus à tali corpore liberari ne forte consentiat & peccet.

ARTICVLVS LI.

Omne scelus est eius conditionis vt suum auctorem & omnes posteros, eo modo inficere possit quo infecit prima transgressio. l. eodem c. 13.

QVæritur an non immunis à damnatione debuerit esse hæc propositio, cum ei suffragari videatur D. Augustinus in enchiridio c. 45. & 46. affirmans probabiliter posse defendi peccatis etiam aliorum parentum paruulos obligari. Deinde non videtur vlla ratio cur vnum peccatum diffundatur à parente in posteros, non aliud.

Respondetur D. Thomam 2. 2. q. 81. art. 2. dissoluere nodum huius difficultatis ex eo, quod ea quæ pertinent ad indiuiduum sicut personales actus & quæ ad eos attinent, non traducuntur ad filios à parentibus, vnde pater grammaticus non gignit filium grammaticum; sed ea quæ pertinent ad naturam speciei, traducuntur à parentibus ad filios, nisi sit defectus naturæ, sicut oculatus gignit oculatum. Sicut autem ad personam pertinet aliquid secundum seipsam, & ex dono gratiæ, ita etiam ad natu-

ram potest aliquid pertinere secūdum seipsam, scilicet quod causatur ex principijs eius & aliquid ex dono gratiæ: & hoc modo iustitia originalis sicut in 1. dictum est (q. 100. art. 1.) erat quoddam donum gratiæ toti humanæ naturæ diuinitus collatum in primo parente, quod quidem primus homo amisit per primum peccatum: Vnde sicut illa originalis iustitia traducta fuisset in posteros simul cum natura, ita etiam inordinatio opposita. Sed alia peccata actualia vel primi parentis, vel aliorum non corrumpunt naturam quantum ad id quod naturæ est, sed solum quantum ad id quod personæ est, vnde alia peccata non traducuntur. Hæc D. Thomas opportunè ad propositam quæstionem. Scilicet Adamus acceperat iustitiam originalem pro se & pro suis posteris, si obediuisset: erat enim hoc pactum inter Deum & ipsum. Quod his verbis Genes. 2. exprimitur *in quacumque die comederis ex eo, morte morieris*. Ex quibus elicitur debuisse illam iustitiam pro se & pro suis posteris amittere si inobediens fuisset in præcepto singulari, de non comedendo fructu arboris. Non enim patres alij accipiunt gratiam sanctificantem pro se & posteris cum huiusmodi conditione & lege: illa est in ipsis donum gratiæ personale, vnde inordinatio illi opposita, cum eam amittunt, ad filios non transit: totaque corruptio peccati originalis est ex primo parente tanquam ex primo fonte, nec contrahitur per alios parentes proximiores, nisi tanquam per canales, per quos ab Adamo in ipsos descendit, vt

egregie differit Albertus Magnus in 2. sent. dist. 32. art.

Ad oppositum respondet idem D. Thomas D. Augustinum hanc quæstionem mouere in enchyridio, sed insolutam relinquere. Cum enim reipsa putaret peccatum originale in reatu consistere, afficianturque aliquando pœna temporali filij ob delicta parentum: maiorem ansam habuit eâ de re dubitandi. Patet ex c. 47. vbi concludit se temere nihil audere affirmare.

ARTICVLVS LII.

Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum à generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitijs, quam qui cum maioribus. Ibid. c. 6.

QVæritur an contradictio aliqua fieri possit huiusmodi propositioni, quæ nihil aliud videtur significare quam æqualitatem peccati originalis in omnibus hominibus & respectu omnium. Quod asseritur ab Alberto magno in 2. sent. dist. 32. art. 4. & D. Thoma 1. 2. q. 82. art. 4. & communiter ab aliis Theologis. Quia omnes priuantur gratiâ sanctificante propter transgressionem Adami, & æqualiter rei sunt & visione beatificâ priuandi æqualiter Licet autem inclinatio ad malum maior sit in vno quam in altero, id non est ex peccato originali, sed magis ex constitutione & com-

complexione naturali, quam quiſque habuiſſet in purâ naturâ.

Reſpondetur difficultatem huius propoſitionis in eo ſitam eſſe, quod putauerit Baius non ſolum peccatum Adami, ſed etiam aliorum parentum in filios transfundi, vt patet ex articulo præcedenti. Quia credidit ipſe peccatum patris tranſire ad filium quodcumque illud ſit, nec admittebat pactum illud] inter Deum & Adamum, quod tali lege initum fuit, vt ſi ipſe peccaret, omnes poſteri in eo peccarent, ſi non peccaret omnes in iuſtitiâ originali naſcerentur. Baianorum enim mens eſt, vt notat Ripalda to. 3. de *Ente ſupernaturali.* diſp. 3. ſect. 2. peccatum originale ex natura in poſteros transfundi, tanquam verum & naturalem eius effectum, & non moralem ab aliqua Dei lege ſeu pacto pendentem, pactum enim iſtud fictitium putant. Ex quo principio peruium eſt æſtimare etiam alia peccata & demerita parentum ad filios transfundi, iuxta verba Exodi 20. *Ego ſum Deus fortis* &c. *Viſitans iniquitates patrum in filios in tertiam & quartam generationem.* Et quædam exempla ſcripturæ in quibus filios ob delicta parentum ſuppliciis affectos videmus, quæ refert Michael Palatius in 2. ſent. diſt. 33. diſput. *Vnicâ.* Quapropter D. Auguſtinus in Enchyridio c. 47. quæſtionem hanc meticulosè tractat, nec audet quicquam definire, ne poſterius nati grauiori ſarcina peccatorum progenitorum ſuorum onerarentur. Quod autem non audebat aſſerere D. Auguſtinus, auſus eſt Baius. Et quia difficultas obuia erat de filijs qui naſ-

cuntur cum minori concupiscentia & deprauatione naturali, an æquè participes essent malorum meritorum eius à quo vitam hausissent, ideo eius propositio fuit, quæ hic damnatur. *Tantum meritorum malorum à generante contrahunt qui cum minoribus nascuntur vitiis ac qui cum maioribus.*

Ad oppositum, quicquid sit de æqualitate peccati originalis, dicendum articulum non intelligi de malis meritis solius originalis, sed aliorum etiam peccatorum, quæ transfundi à generante in filium opinabatur Baius. Quæ opinio non est ad mentem scripturæ, quæ tantum intelligit filios puniri ob delicta parentum, si Deum odio ipsi habeant & sint imitatores paternorum delictórum, vt explicat magister l. 2. sent. dist. 33. Quare cum hæresis apud Iudæos inualuisset, filios puniri ob peccata parentum, grauiter reprehenduntur per Ezechielem c. 18. *Filij Israel quæ est hæc parabola, cum dicunt in Israel: patres ederunt vuam acerbam & dentes filiorum obstupuerunt* &c. *anima quæ peccauerit ipsa morietur.* Vt notat Procopius commentarijs in Exodum.

ARTICVLVS LIII.

Diffinitiua hæc sententia, Deum homini nihil impoßibile præcepisse falso tribuitur Augustino, cum Pelagij sit. Lib. eodem cap. 12.

QVæritur au hæc assertio à vero deflectat: nam quod Pelagius hanc assertionem admiserit satis manifestum est: ex hoc enim principio necessitatem gratiæ excludebat, quod diceret Deum nihil homini præcepisse impossibile: si autem necessaria esset gratia ad præceptorum obseruationem, iam præcepta essent impossibilia & supra vires hominis. Quod vero tribuitur D. Augustino, indicat liber *de Gratia & Libero Arbitrio*, cap. 17. vbi ita habetur. *Qui ergo vult facere Dei mandatum & non potest, iam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc paruam, & inualidam, poterit autem cum magnam habuerit & iustam*: & ibidem de D. Petro asseritur, putabat se posse, quæ se velle sentiebat.

Respondetur plurimum interesse, vt in legitimo sensu intelligatur assertio, cum si mandata Dei intelligantur esse simpliciter impossibilia, ab eorum obseruatione non leuiter homines deterreantur: nemo enim, ait Ferus in cap. 4. 1. *Epist. Ioannis*, facile rem aggreditur quàm audit sibi impossibilem. Considerari igitur potest homo in duplici statu: primo quasi in puris naturalibus

quatenus destitutus est omni gratiæ auxilio Secundo, quatenus vestitus est & adiutus gratiæ auxilio. Secundum primum statum qui fictitius est, & imaginarius, præcepta si data essent homini, essent impossibilia. Secundum statum secundum qui verus & realis est hominis status, præcepta sunt possibilia, nec possunt asseri impossibilia iuxta Decretum Concilij Tridentini, sess. 6. *Nemo temeraria illa & à patribus sub anathemate*,&c. Cum frustra darentur à Deo pro statu illo in quo seruari non possent: vnde præcepta sunt homini possibilia, non tantum in statu naturæ integræ quod volebat Baius, sed etiam in statu naturæ corruptæ propter auxilium gratiæ sufficientis quo corroboratur. Fuitque illa mens D. Augustini, l. *de Peccatorum Meritis & remissione*, cap.6 dubitare non possum, *nec Deum aliquid homini impossibile præcepisse, nec Deo ad opitulandum & adiuuandum quo fiat, quod iubet, impossibile aliquid esse*, &c. Deum igitur asserebat Pelagius nihil præcepisse impossibile homini sine gratia spectato: at non ita D. Augustinus, Volebat enim præcepta esse impossibilia homini sine gratia, non homini cum gratia; vnde cum absolutè & de facto præcepta sint possibilia: infertur necessitas gratiæ sufficientis. Vide D. Augustinum, l. *de Gratia & libero Arbitrio*, cap. 16.

Ad oppositum dicendum est assertionem falso tribui D. Augustino in sensu in quo admittebatur à Pelagio, qui intendebat Deum nihil præcepisse impossibile homini gratiâ omni destituto, cui sensui non adhærebat D. Augusti-

nus vt patet ex cap. 16. libri de gratia & libero arbitrio. Vnde bènè Toſtatus Abulenſis in cap. 16. Matth. q. 178. mandata Dei poſſibilia eſſe demonſtrat, etſi ad ea requiratur gratia Dei, quia quod per aliũ poſſumus dicimur ſimpliciter poſſe, vt dicitur 3. *ethic.* quæ per amicos poſſumus & per alios dicimur poſſe, Deus autem nulli ſubtrahit auxilium generale: ideo non eſt crudelis iubendo, etiam ſi iuberet quod haberemus charitatem & gratiam, & virtutes, non eſſet crudelis, quia etiam hoc erat facile obtineri, cum quicquid ab eo petierimus ſtatim concedit, ſic eſt de neceſſariis ad ſalutem noſtram.

ARTICVLVS LIV.

Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur. Non habetur in libris Baij.

QVæritur an non ſit orthodoxa hæc propoſitio: nam homo nunc naſcitur mortalis, & varijs concupiſcentijs ſubditus atque miſerijs præſentis vitæ; & iſta omnia pœnæ ſunt peccati: cum ergo Deus hominem condidiſſet ſine peccato, non potuiſſet innocens pœnis peccatorum ſubiici & talis exiſtere qualis nunc naſcitur.

Reſpondetur, excepto peccato, nihil repugnare quo minus tam morti & miſeriis ac concupiſcentiis obnoxius crearetur à Deo quam nunc eſt: nam cum naturalis hominis compoſi-

tio ſit ex anima & corpore, ſicut huius mundi compoſitio eſt ex diuerſis elementis: ſpiritui vero & corpori competant naturaliter diuerſæ facultates & inclinationes, ex quibus neceſſe eſt oriri motuum repugnantiam ac contradictionem reciprocam, atque etiam infirmitatem ac mortalitatem corporis, Deus potuiſſet ſi ita voluiſſet, res omnes ſinere vt agerent ſecundum vires ſuas accommodando illis concurſum ſuum generalem; quis enim omnipotentem naturæ authorem ad aliter agendum poſſit adigere? poteſtati enim eius quis reſiſtit? nec iniuſtitiæ damnandus eſſet hic proceſſus, cum nihil creaturæ debeat ſupra id quod eius naturæ principiis competit. Vnde ſi ex hinc pateretur corpus, aut triſtaretur Spiritus, non immerito illud Euangelicum vſurpare poſſet.. *Amice non facio tibi iniuriam, tolle quod tuum eſt & vade.* Matth.20. Sic dicit Heruæus Britto in 3. diſt. 4. q. 1. fomes eſt habitualis inclinatio appetitus ſenſitiui in aliquod delectabile ſecundum ſenſum præter imperium rationis. Quæ quidem inclinatio poſſet eſſe in homine in puris naturalibus conſtituto, vt ſi fieret homo de lapide, & nullum ſupernaturale donum ei conferretur, & tunc eſſet talis inclinatio non culpa vel pœna, ſed tantum quidam defectus naturalis.

Ad oppoſitum dicendum aliquid poſſe competere vni rei dupliciter, vel tanquam debitum connaturale, vel tanquam pœnam aut ſupplicium peccati: igitur ſi homo ab initio talis creatus fuiſſet qualis nunc naſcitur, habuiſſet repugnantiam appetituum: mortalitatem & miſerias

vitæ velut aliquod debitum connaturale non tanquam pœnam & ſupplicium, quæ ſolutio inferiùs magis elucidabitur.

ARTICVLVS LV.

In peccato duo ſunt: actus, & reatus, tranſeunte autem actu nihil manet niſi reatus ſiue obligatio ad pœnam. Lib. de Orat. pro Defunctis.

QVæritur an deficiat in aliquo hic articulus: etenim præter illa duo non apparet quid in peccato reperiatur, & quid tranſeunte actu ſuperſit, præter reatum, ſeu obligationem ad pœnam.

Reſpõdetur inter diuerſos effectus peccati etiã numerari maculam: nam cum omne peccatum ſit priuatio perfectionis debitæ: hæc autem perfectio metaphoricè ſit quidam nitor animæ quâ peccans priuatur: priuatio autem nitoris ſit quædam macula: idcirco præter reatum manet etiam macula poſt peccatum. De qua Ioſue 22. *Vſque in præſentem diem macula huius ſceleris in vobis permanet.* Quin etiam manet auerſio quædam à Deo, quæ duplex conſiderari poteſt, vna à Deo tanquam à legiſlatore quæ eſt eſſentialis peccato, altera à Deo tanquam ab vltimo fine quæ eſt effectus peccati, ex quibus etiam ſequitur offenſa Dei ſeu prouocatio ad iram, & innumera mala quæ peccatum conſequuntur. Legendus

Doctor Angelicus 1. 2. qu. 86. art. 1. & 2.

Ad oppositum dicendum est non satis intelligere malitiam peccati, qui præter reatum nihil post illud in peccante remanere putant: remanet, inquit D. Thomas, vbi supra aliquod priuatiuè, scilicet priuatio coniunctionis ad diuinum lumen, nec remanet in eadem habitudine ad Deum in quâ erat priùs.

ARTICVLVS LVI.

Vnde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione propriè reatus peccati dumtaxat tollitur, & Ministerium Sacerdotum solum liberat à reatu. Ibid.

QVæritur an Censorium stigma inuri etiam debuerit isti propositioni, quæ ex præcedenti articulo consequens est, maximè cum D. Augustinus tract. 49. *in Joannem*. & alibi, & D. Gregorius Magnus Hom. 26. in *Euangelia*, dicant quod in suscitatione mortui Lazari significata est resuscitatio peccatoris, sed Lazarus est priùs à Domino viuificatus quam traderetur discipulis exoluendus: ergo absolutio Sacerdotis nihil operatur super culpam, tantùm ergo super reatum, vt à pœna soluatur peccator.

Respondetur propositionem Baij duplici modo sustineri à quibusdam, ab his enim defenditur quod credant prærequiri perfectam contritionem, vt dispositionem & necessariam & præuiam absolutioni Sacerdotis: quo posito semper

absolutio inueniet culpam remissam; vnde tantum operabitur in reatum pœnæ, illum tollendo: ab alijs defenditur quod nihil præter reatum remanere putant transeunte actu peccati; vnde & in solum reatum virtutem exercere posse Sacerdotẽ existimadt Sed vterque modus explodi debet, primus quidem quia baptismus vt plurimum confertur infantibus, in quibus extat peccatum originale nullo præuio contritionis actu deletũ: quod etiam similiter in adultis inuenitur, in quibus peccata remanent quia plures solum disponuntur ad Sacramentum Pœnitentiæ per actum attritionis, qui insufficiens est ad deletionem peccatorum sine actuali absolutione. Secundus etiam modus, qui est magis ad mentem Baij reiiciendus est, quia transeunte actu peccati, remanet macula seu peccatum habituale, siue illud consistat in priuatione gratiæ, vel in actu ipso peccaminoso non retracto & moraliter remanente, de quo disputant Theologi, Macula autem illa seu peccatum habituale tollitur per Baptismum & Pœnitentiam. Cuius rei ratio est quod forma horum Sacramentorum significet, remissionem veri peccati: efficiunt autem id quod significant, parum enim esset vt bene ait Durandus in 4. dist. 18. q. 2. quod Sacerdos Euangelicus virtute clauium solum ostendat culpam à Deo dimissam, sicut Sacerdos legalis solum ostendebat in aliquo lepram esse mundatam, istud enim est contra dignitatem Sacramentorum nouæ legis quæ efficiunt quod figurant, ipsa autem forma absolutionis significat dimissionem peccati.

Ad oppositum, dicendum est duplicem distingui viuificationem peccatoris: vnam per gratiam excitantem, alteram per gratiam iustificantem, prior autem viuificatio nondum tollit culpam: & secundum illam peccator debet esse viuificatus vt se sistat Sacerdoti: non vero necessario secundum posteriorem viuificationem, quam operatur sæpe sæpius Sacerdos in adultis solum attritis, & penes hoc debet intelligi comparatio Lazari cum pœnitente.

ARTICVLVS LVII.

Peccator penitens non viuificatur ministerio sacerdotis absoluentis, sed à solo Deo, qui penitentiam suggerens & inspirans viuificat eum, & resuscitat, ministerio autem Sacerdotis solum reatus tollitur. Ibid.

QVæritur an hæc propositio in eadem damnatione reputari debeat cum duabus præcedentibus quibus affinis est: etenim Hugo de sancto Victore qui paruus Augustinus dictus est, huius assertor est l. 2. *de Sacramentis* parte 14. c. 8. Vbi modum explicans quo peccatum remittitur. Hoc benè, inquit, in resuscitatione Lazari significatum est, quem ipse Dominus per se prius intrinsecus à vinculo mortis absoluit, viuificatum autem deforis ministerio ipsorum Apostolorum solui præce-

pit. Sic namque in sanctâ Ecclesiâ nunc mortuos peccatis per solam gratiam suam interius viuificans ad compunctionem accendit, atque viuificatos per confessionem foras venire præcipit: ac sic deinde confitentes per ministerium sacerdotum ab interiori vinculo, hoc est, à debito damnationis absoluit.

Respondetur ex supradictis satis patere sacerdotem non solum à reatu, qui est effectus peccati, sed etiam ab ipsomet peccato, aut culpa seu macula absoluere. Quare D. Ioannes Chrysostomus hom. 6. in 2. Epist. ad Cor. sic loquitur de Deo, nec hoc solum mirum est quod *viuificat*, sed etiam eadem faciendi potestatem alijs quoque tribuit. *Accipite* enim inquit, *Spiritum Sanctum* &c. Quibus addendum est ex Concilio Tridentino sess. 6. in decreto de *Iustificatione* c. 14. pœnam æternam vel sacramento vel sacramenti voto vnâ cum culpâ remitti. Et Michael Palatius in 4. sent. dist. 18 disp. 2. ait Vgonem viam nouam excogitasse quam nullus Theologorum probatam iam habet, ideoque exolita via est. Et dilemmate, inquit, isto agam contra Vgonem, quia vel hic iustificatus manet obligatus ad pœnam æternam, vel non manet: si non manet, igitur dimissa est pœna æterna: si manet obligatus, ergo manet sub crimine, si quidem à posteriori si rem agis, reatus ad ipsam pœnam est ipsum crimen. Quare Dominus Matth. 5. crimen subindicans ait, *qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit Gehennæ ignis*. Et criminosi in scripturâ rei Gehennæ appellitantur &c. Igitur

ipſum peccatum eſt indignitas ad poſſidendum regnum Dei. Ablato igitur peccato ex Dei gratiâ, neceſſario iuſtificatus dignus eſt vitâ æternâ, ſi dignus illâ quomodo manet obligatus ad æterna ſupplicia? Nam obſecro quid differt ab inimico aut quomodo intelliges purgatam eſſe inimicitiam, ſi obligatio adhuc manet ad æterna ſupplicia? Nonne Paulus inquit ad Rom. 8. *nihil damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto*: at ſte iuſtificatus, ante abſolutionem eſt in Chriſto, vt tu fateris. Et demum ſicut ſtipendia peccati mors, ita ſtipendia gratiæ eſt vita æterna.

Ad oppoſitum dicendum eſt, comparationem Lazari cum peccatore reſurgente in alio puncto conſiſtere, vt ſupra explicatum, nec habendam eſſe rationem authoritatis Magiſtri Vgonis, cum in hac quæſtione valde perplexi fuerint antiqui qudam Scolaſtici ac parum conuenientia ſcripſerint. Cum nondum per Cõcilia res elucidata fuiſſet, nec D. Thomæ opuſculum 22. *de forma abſolutionis* lucem non modicam attuliſſet ad quædam tunc obſcura & difficilia explananda, quem poſtea omnes Theologi ſequuti ſunt.

ARTICVLVS LVIII.

Quando per Eleemoſynas, aliaque pœnitentiæ opera Deo ſatisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis noſtris offerimus, ſicut quidam errantes autumant, nam alioqui eſſemus aliqua ex parte redemptores, ſed aliquid facimus, cuius intuitu Chriſti ſatisfactio nobis applicatur & communicatur. l. de Indulgentiis c. 8.

QVæritur an à lineâ recti & veri abſcedat hæc propoſitio: etenim videtur extollere dignitatem Chriſti Domini, qui pro nobis ita abundè ſatisfecit virtute & efficaciâ paſſionis ſuæ, vt cooperatoribus non indigeat, qui ſi illi addantur, videtur per illos derogari exellentiæ ſatisfactionis illius, de quâ ſic D. Ioan. 1. Epiſt. canon. c. 2. *& ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantum, ſed etiam pro totius mundi.* Imo docent Theologi communiter ſatisfactionem Chriſti ſufficientem fuiſſe ad exhaurienda peccata mundorum infinitorum, ſi tot extitiſſent. Superflua ergo eſt hominum ſatisfactio, & ſine neceſſitate admittitur iuſtum pretium in eorum operibus ad ſatisfaciendum.

Reſpondetur bona opera quæ fiunt ab homine iuſtificato, eſſe iuſtum & æquale pretium

pro Redemptione pœnæ temporalis quæ superesse solet post remissionem culpæ neque id habere ex applicatione satisfactionis Christi, quasi non aliter essent satisfactoria quam per communicationem satisfactionis Christi quæ det illis formam ipsius satisfactionis aut partiale supplementum sine quo non essent satisfactoria. Probatur quia eodem modo Theologizare conuenit de merito vitæ æternæ, ac de satisfactione nostra pro pœnâ temporali, cum æqualiter dependeant opera nostra à Christo vt meritoria & vt satisfactoria: at opera iustorum ex gratiâ profecta habent condignitatem ad vitam æternam absque eo quod constituantur in esse meritorio per meritum Christi illis applicatum: ergo multo magis habebunt condignitatem ad redimendas pœnas temporales, absque eo quod communicetur illis satisfactio Christi ad constituendum vel totum vel partialem illorum valorem. Probatur consequentia, quia vita æterna plus excedit opera nostra quam pœna temporalis: ergo si ad hanc acquirendam habent æqualitatem, multo magis ad illam redimendam. Fauet quoque Concilium Tridentinum sess. 6. c. 14. *de Iustificatione* vbi asseritur in pœnitentiâ contineri satisfactionem per Elemosynas & ieiunia pro pœnâ temporali. Quod intelligitur de satisfactione ex condigno & non tantum ex congruo: nam sic essent etiam pro pœna æterna. Lege de his Suarem de Gratiâ l. 12. c. 19. & Cardinalem de Lugo de pœnit. disp. 24. sect. 1.

Ad oppositum dicendum est nullam iniuriam

irrogari meritis aut ſatisfactioni Chriſti ex operibus noſtris meritorjis aut ſatisfactorijs, quia valor omnis operum noſtrorum fundatur ſaltem remotè in paſſione Chriſti à qua habemus gratiam & auxilia, quibus operemur meritorie & ſatisfactoriè: nec inconueniens eſt ſi aliquâ ex parte dicamur noſtri Redemptores, ſcilicet minus principaliter & dono Chriſti, iuxta illud Danielis 4. *peccata tua Eleemoſynis redime* Vnde quo magis theatricè iſtud obtrudunt hæretici, eo inanius eſt.

ARTICVLVS LIX.

Per paßiones Sanctorum in indulgentijs communicatas non propriè redimuntur noſtra delicta; ſed per communionem charitatis nobis eorum paßiones impertiuntur, vt digni ſimus, qui pretio ſanguinis Chriſti à pœnis pro peccatis debitis liberemur. Ibidem.

QVæritur an quid ſit eterodoxum & minus doctrinæ communi Theologorum conforme in hoc articulo, multum enim illi fauere videtur Magiſter lib. 4. ſent. diſt. 18. & ad illam diſtinctionem art. 12. Albertus Magnus aſſerens ibi charitatem Eccleſiæ dimittere peccata, quia dicitur, participem me fac Deus omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua, ergo in participatione bonorum Eccleſiæ dimittuntur

peccata. Sed charitas eſt quæ facit bona communia & participabilia à diuerſis. Adhuc vnus articulus eſt *Sanctorum Communionem*, & ab omnibus ſolet exponi, Credo in Spiritum Sanctum per charitatem communicantem bona Eccleſiæ: ſed per bona remittuntur mala: ergo videtur quod per charitatem Eccleſiæ ſoluantur delicta. Adhuc prouerb. 10. *vniuerſa delicta* operit charitas.

Reſpondetur Michaelem Baium per huius articuli verba intendiſſe tollere poteſtatem iuriſdictionis quæ eſt in Eccleſiâ, maximè in Summo Pontifice ad concedendas indulgentias, quibus extra ſacramentum per applicationem ſatisfactionum Chriſti ac ſanctorum ſoluerentur iuſti à pœnis temporalibus poſt remiſſionem culpæ remanentibus. Indulgentia enim abſolutio dici poteſt reſpectu viuorum, ſolutio vero reſpectu defunctorum vt docet Bellarminus l. 1. *de Indulgentiis* c. 5. eſſe autem poteſtatem in Eccleſiâ ad concedendas indulgentias definit Concilium Tridentinum in decreto *de Indulgentijs* & Leo decimus in *Bullâ* contra Lutherum, & demonſtrat antiquiſſimus Summorum Pontificum vſus: qua in re credi non poteſt aut deceptos aut deceptores fuiſſe, itaut errauerint in illis concedendis. Itaque indulgentia non eſt negotium ſolius charitatis quæ reddat bona amantium communia, ſed etiam negotium eſt poteſtatis & iuriſdictionis, quâ Summus Pontifex ad paſcendas oues Chriſti, ſuper abundantes quorumdam ſanctorum plus habentium ſatisfactiones alijs applicat minus habentibus,

bentibus, idque iuridice & cum potestate extra sacramentum.

Ad oppositum dicendum est Albertum Magnum ita asserere charitatem Ecclesiæ dimittere peccata, id est pœnas temporales peccatorum, vt tamen id fiat per potestatem clauium ijs qui sunt in charitate. Vnde & docet ad dist. 20. eiusdem libri, Pontificem extra charitatem existentem concedere indulgentias (art. 20.) quia tali Papæ influit Spiritus Sanctus ea quæ sunt potestatis, & dare indulgentias est, inquit, gratia gratis data, quæ potestatis est, non bonitatis vitæ aut probitatis.

ARTICVLVS LX.

Illa Doctorum distinctio, diuinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum; hoc est ad modum meritorum, commentitia est & explodenda. l. 2. de Meritis operum c. 1.

QVæritur an immerito impetat illam distinctionem: cùm enim Scolastici Theologi aliqui scaturiant pluribus distinctionibus friuolis & leuibus, forsan illarum de numero hæc

esset. Vult enim Deus obseruari sua mandata perfectè, vt eum amemus ex toto corde, operando modo sublimiori. Deuter.16. *iustè quod iustum est persequeris*: ergo videntur mandata non posse obseruari quoad substantiam, nisi etiam obseruentur cum omnibus circumstantijs quibus ita perfectè obseruentur, vt valeant operantem ad regna cœlorum perducere.

Respondetur constantissimam esse doctrinam Theologorum quod omnis actus moraliter bonus non est meritorius vitæ æternæ, nisi fiat cum aliquibus circumstantijs & conditionibus quæ ad meritum requiruntur, vt puta quod fiat liberè, ab homine viatore, existente in statu gratiæ & secundum plures quod actu referatur in Deum per charitatem vel per religionem. Certum est etiam quod possunt plures homines facere aliquod opus bonum & præceptum, quod non habebit propterea omnes circumstantias ad meritum requisitas. Vt puta si fiat ab homine existente in statu peccati, aut cum intentione aliquâ temporali: vnde tunc implet mandatum quoad substantiam & non seruat modum secundum quem potest esse meritorium vitæ æternæ. Ex quo nascitur hæc distinctio, quæ in re solidâ fundatur, vt non possit haberi leuis & friuola seu commentitia & explodenda.

Ad oppositum dicendum est post D. Thomam 1.2. q. 100. art. 11. Modum præcepti non cadere sub præceptum, modus charitatis inquit, non cadit sub præcepto. Hoc est dicere quod in hoc præcepto, Honora patrem, non inclu-

ditur quod honoretur pater ex charitate, sed solum quod honoretur pater. Vnde qui honorat patrem, licet non habeat charitatem, non efficitur transgressor huius præcepti: & si transgressor præcepti, de actu charitatis.

ARTICVLVS LXI.

Illa quoque distinctio qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex obiecto & omnibus circumstantijs rectum est & bonum, quod moraliter bonum appellare consueuerunt, vel quia est meritorium regni æterni, eo quod fit à viuo Christi membro, per spiritum charitatis, reijcienda est. Ibid. c. 6.

QVæritur an non rectè doctor Baius incedat in explodendâ illâ distinctione: etenim non videtur admittendum vllum opus bonum ex obiecto & circumstantijs omnibus sine gratiâ: gratia autem efficit hominem viuum Christi membrum & infert secum iustificationem, quia est efficax & includit fidem per dilectionem operantem: ergo non potest separari opus bonum à statu in quo homo est viuum Christi membrum: frustra ergo distinguitur opus bifariam bonum eo modo qui explicatur in articulo.

Respondetur Doctorem Baium consequen-

ter loqui ad sua principia : posito enim quod non sit alia gratia per Christum, nisi efficax quæ infert iustificationem hominis & reddit eum viuum Christi membrum : posito rursus quod nullum opus bonum elici possit ab homine nisi habeat gratiam illam efficacem , iam optimè sequitur , nullum opus bonum morale produci ab homine , nisi sit iustificatus & sit viuum Christi membrum : vnde fit vt distinctio illa euanescat. Sed quia ordinarium est vt dato vno absurdo aliud absurdum sequatur , idcirco datis & admissis illis principijs absurdis, sequitur etiam illud absurdum , quod talis distinctio reijcienda sit , cum potius retinenda sit, tanquam maximè conformis doctrinæ veræ . & Theologicæ , & principia illa , ex quibus infertur esse reijciendam , falsa sint Datur enim aliqua gratia per Christum quæ præuenit Liberum Arbitrium mouetque & adiuuat vt aliqua bona agat quibus se disponit ad iustificationis gratiam. Patet ex scripturis passim & ex Concilio Tridentino sess. 6. *de Iustificatione* can. 3. & 4. Potest etiam homo plura bona moralia agere ex virtute & cum adiutorio gratiæ præuenientis , etsi non inferat ipsam iustificationem, etiam in statu naturæ corruptæ. Nam aliqua bona opera non sunt ipsi naturæ improportionata & aliunde si natura ipsa nihil posset nisi malum , peior esset dæmonibus ipsis, qui non peccant cum credunt & contremiscunt, etiam sine adiutorio præuenientis gratiæ.

Ad oppositum dicendum est aliqua bona opera elici posse ab homine in statu peccati exi-

ſtente, ex adiutorio gratiæ præuenientis : vnde obiectio innititur falſis principijs. Legi poteſt de ijs Faber Fauentinus in diſput. Theolog. de Prædeſt. q 1. diſput. 61.

ARTICVLVS LXII.

Sed & illa diſtinctio duplicis iuſtitiæ, alterius quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem; alterius quæ fit ex inſpiratione quidem Spiritus ſancti cor ad pœnitentiam excitantis, ſed nondum cor inhabitantis & in eo charitatem diffundentis, qua diuinæ legis iuſtificatio impleatur, ſimiliter reijcitur. lib. 7. de charitate quantum ad ſenſum.

QVæritur an non iuſtè damnetur hæc diſtinctio : etenim hic ſermo eſt de ſtatu naturæ corruptæ quæ potentiori auxilio indiget quam natura integra, cui ſatis erat gratia excitans & ſufficiens ad benè operandum ſi vellet, vnde tunc locum habere poterat inſpiratio Spiritus ſancti, cui liberum & arbitrarium eſſet voluntati reſiſtere : at poſt peccatum natura eſt extremè abiecta & infirma, vt opus illi ſit gratia efficaci quæ inferat Spiritum charitatis inhabitantem. ergo in ſtatu naturæ corruptæ malè aſſertur diſtinctio illa qua ſtabilitur gratia quædam ſufficiens, cum non ſit niſi gratia efficax quæ reddit

Spiritum Sanctum in anima inhabitantem?

Respondetur distinctionem illam satis expressè fundari in verbis Apocalypsis, cap. 3. *Ego sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam & aperuerit mihi ianuam, introibo ad illum & coenabo cum illo & ipse mecum.* Quin & in Canticis Canticorum idem exhibetur cum sponsus loquitur ad sponsam inuitãs illam vt sibi portam cordis referet, quo apud illam fixâ mansione residere possit, cap. 5. *Aperi mihi soror mea, amica mea, &c.* & cap. 6. *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum vt pascatur in hortis, &c.* Vbi videmus sponsum animarum mòx excitare ipsas ad bona opera, mox in ipsismet inhabitare scilicet, vt rectè Louanienses asserunt *in perdoctâ explicatione damnationis articulorum Baij*, ante remissionem peccatorum, atque inhabitantem Spiritum & iustificationis & vitæ: quædam inchoationes dumtaxat sunt conceptionibus, vt loquitu ruguſtinus, q. 2. ad *Simplicianum*, similes: at non solum spiritaliter concipi, verum etiam nasci opus est, ac tum demum cœptum iustificationis opus ac viuificationis infusione viuificæ charitatis absoluitur.

Ad oppositum dicendum est eamdem esse naturam humanam in statu naturæ integræ, & in statu naturæ corruptæ: tantumque differre quod in illo statu habebat gratiam qua motus concupiscentiæ reprimebantur: in hoc habet priuationem gratiæ, quo fit vt motus concupiscenriæ validius agant. Ad hoc autem resarciendum non opus est vt gratia in præsenti statu sit alterius speciei; sed tantum vt sit paulo potentior ad impe-

tus concupiscentiæ moderandos. Vnde necesse non est vt semper sit efficax & inferat actualem Spiritus sancti inhabitationem.

ARTICVLVS LXIII.

Item & illa distinctio duplicis viuificationis, alterius qua viuificatur peccator, dum ei, pœnitentia & vitæ nouæ propositum & inchoatio per Dei gratiam inspiratur: alterius qua viuificatur qui verè iustificatur, & palmes viuus in vite Christi efficitur, pariter commentitia est, & scripturis minimé congruens.

QVæritur an non iure Doctor Baius insurgat aduersus hanc distinctionem: quâ quidam Theologi soluunt, quod ait Magister l. 4. sent. dist. 18. post aliquot patres, Christum obtulisse Lazarum iam viuificatum discipulis soluendum, ad probandum quod Sacerdotes nihil possunt in ipsam culpam, vt eam diluant, sed à solo Deo remittatur cum præsupponitur peccator iam viuificatus antequam confiteatur, ergo gratia sanctificante donatus, quæ est vita hominis interioris, iuxta quem modum scriptura viuos appellare solet qui sunt in gratia constituti, mortuos qui ea priuati sunt, sicut dicitur Apoc. 3. de Episcopo Sardensi. *Nomen habes quod viuas & mortuus es.*

Respondetur improbationem duplicis huius

viuificationis ex eodem fundamento ortam eſſe ac improbationem præcedentium diſtinctionum; ſcilicet non concinit Baius doctrinæ communi in Eccleſia receptæ, quod peccator ſæpè per gratias præuenientes & inefficaces adhuc iuſtificationis realis, moueatur, incitetur ac adiuuetur ad diſponendum ſe ſanctificationi, per varios actus fidei, ſpei, & charitatis, & Pœnitentiæ ſeu Contritionis.. Vult iſtos omnes pios motus produci, & cauſari à gratia ipſa ſanctificante quæ vita eſt hominis. Quaſi vero gratia ſanctificans eſſet medium ad illos pios motus, qui etiam metaphoricè dici poſſunt vita hominis ſaltem inchoata, & non potius illi motus pij eſſent medium ad gratiam ſanctificantem acquirendam, ad quam ſunt diſpoſitiones iuxta Conc. Trid. ſeſſ. 6. in decreto iuſtificationis cap, 6. *Diſponuntur autem ad iſtam iuſtificationem*, *&c.* & iuxta D. Thomam 1. 2. q. 109. art. 6. vbi ſatis euidenter ſe explicat, licet alibi à ſeipſo diſſentire videatur. Quare priuſquam peccator iuſtificetur, ex inſpiratione & adiutorio Spiritus ſancti primum aliquos producit pios motus, quibus paulatim diſponitur ad gratiam iuſtificantem. Raro enim in inſtanti perficitur hæc diſpoſitio, ſed paulatim præparatur voluntas à Domino.

Ad oppoſitum dicendũ etiam peccatorem qui ex gratia excitãte mouetur, & diſponit ſe ad gratiam ſanctificantem metaphoricè dici poſſe viuum; quia habet aliquas actiones vitæ ſpiritalis, etſi etiam metaphoricè dici poſſet mortuus propter priuationem gratiæ habitualis, aut ſemiuiuus, vel ſemimortuus quia vita eius nondum perfecta

est: nec istud alienum à Scriptura, quæ Luc. 10 exhibens hominem in statu peccati, semiuiuum relictum esse dicit post plagas peccati, quia adhuc elicit quasdam actiones vitæ spiritualis ex motione spiritus sancti: nec necesse est comparationes ad vnguem seruari quoad omnia. Vide Alensem in cap. 3. *Apoc.* vbi quatuor affert signa vitæ spiritualis.

ARTICVLVS LXIV.

Non nisi Pelagiano errore admitti potest vsus aliquis Liberi Arbitrij bonus, siue non malus, & gratiæ Christi iniuriam facit, qui ita sentit & docet. Nec est in Baij libris.

QVæritur an peruersum dogma contineat hæc propositio: etenim nihil familiarius est in scriprura, quàm hominem nihil posse boni operari sine gratia Christi Ioan. 16. *Sine me nihil potestis facere.* & D. Augustinus epist. 47. post D. Cyprianum, omnia quæ pertinent ad bonos mores vult esse petenda à Deo in oratione, *ne de libero*, inquit, *præsumentes arbitrio à diuinâ gratiâ excidamus*; at non petimus à Deo id quod habemus in potestate: ergo nullum bonum morale est in potestate Liberi arbitrij, sed omnia tribuenda sunt gratiæ per Christum quæ est efficax & infert ipsam charitatem. Vnde in mente D. Augustini actiones infidelium, etsi studiosæ apparerent, peccata sunt.

Respondetur post Fabrum Fauentinum in disp. de *prædest.* q. 1. disp. 61. cap. 2. ex hac propositione, quod nihil boni operari possit natura humana, sequi illam magis esse imperfectam, quam quæcumque alia natura creata irrationalis & inanimata: imo videretur esse figmentum diaboli: consequentia probatur quia ex propriis viribus non posset facere nisi malum; nullum autem bonum non solum supernaturale, sed nec naturale & ordinis inferioris: cæteræ autem creaturæ ex viribus suis naturalibus cum influentia generali, possunt efficere bonum opus sibi proportionatum. Certè maximæ indignitatis & imperfectionis est quod natura humana non habeat omnia requisita ad faciendum opera sibi connaturalia, vt ad subueniendū pauperi: ad honorandum patrem: ignis autem ad comburendum, & aqua ad madefaciendum habeat omnia requisita & auxilium Dei generale paratum, & possit operari opera conuenientia suæ naturæ & speciei. Hæc Fauentinus & plura ibidem digna quæ legantur à Baianis, & si nobis necesse non sit admittere, quod ista fiant sine Dei gratia, qui præuenit hominem & ad bene operandum incitat ac adiuuat: etsi non sit illa gratia efficax & inuincibiliter iustificans ac charitatem importans, quam solam gratiam per Christum male agnoscunt.

Ad oppositum dicendum est textum D. Ioannis intelligi de operibus quibus homines disponuntur ad gratiam quæ sine gratia Christi fieri non possunt, & de operibus ibidem meritorijs vitæ æternæ: quod autem bona opera petantur

in oratione, hoc non arguit necessitatem gratiæ efficacis ad illa operanda, sicut quando petitur pluuia aut panis quotidianus in oratione, non inde fit vt gratia efficax sit requisita ad illa; quod autem requirunt actum amoris Dei, ad bonum opus, & si ista admitteretur tamen gratia excitans sufficere ad faciendum aliquod opus intuitu Dei, nec video cur tàm difficilis appareat aliquis actus amoris Dei, vt in illo eliciendo, nescio quem Herculem domandum sibi fingant Quod vero spectat ad actiones studiosas infidelium, præter ea quæ dicta sunt in superioribus articulis addimus ex doctissimo Thomâ Hurtado disp. 18. de *supernaturalitate* rerum *controuersia* 5. membro 3. vocari à D, Augustino peccata, negatiuè non positiuè, quia non sunt vt oportet ad vitam æternam, attamen non inferunt reatum pœnæ, nec hoc vllibi dixit D. Augustinus.

ARTICVLVS XLV.

Sola violentia repugnat hominis libertati naturali. Lib. de Libero Arbitrio cap. 7.

QVæritur an ista propositio censuræ latus præbeat: etenim qui hanc arguendam esse putant, eâ maximè ratione ducuntur quod etiam necessitas repugnet hominis libertati naturali: ita vt non sit liberum quod fit necessario, quam-

uis voluntariè fiat & ſine coactione: at id minimè admittendum eſt; quandoquidem in ſententia Scoti, Spiritus ſanctus producitur liberè à Patre & Filio, etſi producatur neceſſariò: ergo neceſſitas non repugnat libertati, ſed ſolum violentia & coactio: & D. Auguſtinus in Enchyridio cap. 105. ſic enim prius oportebat hominem fieri, vt & benè velle poſſit & malè: nec gratis ſi benè, nec impunè ſi malè: poſtea vero ſic erit, vt male velle non poſſit, nec ideo libero carebit arbitrio; *multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino ſeruire non poterit peccato*: ergo homo non deſinit liberum habere arbitrium etiamſi neceſſitetur ad bonum.

Reſpondetur Baium & eius aſſeclas opinioni iſti de libertate adhærere, eo quod ſit illis medium ad defendendam gratiam efficacem in præiudicium gratiæ ſufficientis: cùm enim viderent ſibi opponendum fore, admiſſa illa gratia cui voluntas neceſſario obtemperare deberet, ſequi deſtructionem libertatis ad agẽdum & non agẽdum, mutauerunt eſſentiam libertatis humanæ vt ſe habet in præſenti ſtatu, dixeruntque illam minimè bilancis inſtar hinc & inde ferri poſſe, ſed quamuis neceſſario vni parti adſtricta ſit, dũ voluntariè & ſine violenta manu id fiat, liberè fieri, quia liberum & neceſſarium ſimul cõueniunt nec ſibi inuicem repugnant. Sicque error de gratia efficaci impulit in errorem iſtum de libertate præſentis ſtatus. Nam cum hæc libertas ſit idonea merito & demerito, non poſſit vero eſſe meritum & demeritum, vbi eſt neceſſitas agendi: nec poteſt eſſe libertas præſentis ſtatus

cum hac necessitate. Et certè mens Baij fuit, hominem in statu naturæ integræ, fuisse liberum ad bonum & malum: in statu autem naturæ corruptæ ante auxilium speciale, quod vocant, gratiæ efficacis, non posse nisi malum agere, posito vero illo auxilio, necessariò bonum agere ad quod mouet volontatem. Cum tamen scriptura sacra satis innuat esse in hominis arbitrio agere vel non agere bonum, vt cum dicitur Matt. 16. *si quis vult venire post me abneget semetipsum* & c. 19 *si vis ad vitam ingredi serua mandata.* Quod si ita non esset, frustra essent consilia, exhortationes, alijque conatus, quibus ad bene agendum excitantur homines.

Ad oppositum, Sctoi caliginem dispelles, intelligēdo ipsum intellexisse per produci liberè Spiritum Sanctum, produci à volontate, sicut quando dicit filium produci naturaliter intelligit produci ab intellectu: patet ex q.1. prologi in *reportatis* art. 3. vbi dicit Spiritum Sanctum liberè produci, filium non liberè sed naturaliter. At si liberum nihil aliud diceret quam spontaneum, æquè filius produceretur liberè. Vnde ait differentiam productionis filij esse in principio, scilicet intellectu, qui est de essentiâ naturæ intellectualis, non sic autem volontas. Quod spectat ad D. Augustinum: hic est controuersia de Libero Arbitrio secundum statum præsentis vitæ, prout est capax meriti & demeriti. Sic autem sumptæ libertati, non solum coactio sed etiam necessitas repugnat, quia non meremur ijs quæ necessario facimus. At D. Augu-

stinus loquitur de Libero Arbitrio secundum statum futuræ vitæ, quod non se extendit ad malum, sed ad bonum aliquod vnum ex pluribus. De quo diximus plura in Theol. *Affect.* 1. p. tract. 4. medit. 14.

ARTICVLVS LXVI.

Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessario facit. Non est in Baij libris.

QVæritur an cupabilis sit hic articulus: nam D. Augustinus l. de Libero Arbitrio c. 18. eius patrocinium suscipere videtur dicens. *Sunt etiam necessitate facta improbanda, vbi vult homo rectè facere & non potest.* Vbi apparet satis euidenter peccandi necessitas, quæ tamen improbanda decernitur à Sancto Doctore Augustino.

Respondetur nihil euidentius esse in doctrinâ etiam D. Augustini, neminem peccare in eo quod vitare non potest: sic enim loquitur l. *de duabus animabus* c. 12. *peccati* reum teneri aliquem, quia non fecit quod facere non *potuit, summæ iniquitatis & insaniæ. est* Et ibidem *si ita coguntur vt resistendi potestas nulla sit non peccant* & l. 3. de Libero Arbitrio c. 18. *quis enim peccat in eo quod nullo modo caueri potest? peccatur autem: caueri igitur potest*: plures sunt alij textus D. Augustini qui in eamdem sententiam con-

ſpirant, quam omnes eo ipſo veriſſimam habent, quod mandata Dei in quorum tranſgreſſione peccatur, non ſint impoſſibilia, vnde homo non neceſſitatur ad ea tranſgredienda cum ſint poſſibilia, Deo ſuppeditante cuilibet ſufficiens auxilium ad eorum obſeruationem: ſed cum Baius negaret iſtud auxilium ſufficiens videretque ſibi opponi, homines neceſſario tranſgreſſuros præcepta Dei, & in illa tranſgreſſione fore innocentes, cum aliter agere non potuiſſent: vt defenderet illum errorem de gratiâ, aſſeruit nihilominus homines damnandos fore nonobſtante neceſſariâ præcepti tranſgreſſione. Sicque abyſſus abyſſum inuocat, & error errorem trahit, & qui vnum abſurdum mordicus defendunt abſurda alia pleraque ſine fronte admittunt: talis eſt doctrina huius articuli Baiani, quo admiſſo, ſequitur hominem in hac vitâ peioris eſſe conditionis quam ipſi dæmones & damnati, quibus nullus accedit nouæ damnationis gradus ob quaſcumque tranſgreſſiones quibus ex neceſſitate ſuccumbunt quotidie: tam abſurdum eſt ei non refragari.

Ad oppoſitum dicendum eſt, eo Loci ſermonem eſſe D. Auguſtino de Vitijs & concupiſcentijs, earumque motibus inuoluntarijs quos nolentes aliquando ſentimus. At hi motus non ſunt propriè peccata & culpæ, etſi ita vocentur quod ex peccato primi parentis inſurgant & peccatorum cauſæ ſint ac radices. Quare ſunt improbandi, ſatiſque in progreſſu huius textus demonſtrat D. Auguſtinus in hominis eſſe poteſtate his motibus ad peccandum non

consentire ; ob præsens Dei auxilium.

ARTICVLVS LXVII.

Infidelitas purè negatiua, in his in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est. Nec est in eius libris.

QVæritur an erroneus sit hic articulus : etenim D. Augustinus l. de Gratia & Libero Arbitrio c. 3. agens de fide & ignorantiâ in his qui nihil de fide audierunt, ait non sic illos per eam excusari vt non sint æternis pœnis obnoxij, sed sic *vt leuius saltem illis torqueantur.* Quod firmari potest hoc argumento, quia si quis excusaretur à peccato ob infidelitatem negatiuam, maximè ob defectum reuelationis fidei. Sed defectus ille non potest excusare, quia est pœna inflicta homini ob peccatum Adæ : quæ pæna cum sit volontaria in suâ causâ, quæ est peccatum Adæ, non excusat à peccato.

Respondetur infidelitatem negatiuam seu priuatiuam in Barbaris & infidelibus qui de fide nihil audierunt, non esse peccatum, nec propter illam damnandos fore, sed propter alia peccata quæ admiserunt. Sic censet D. Augustinus tract. 89. in Ioan. & D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 1 probaturque ex verbo Christi Ioan. 15. *si non venissem & loquutus eis fuissem, peccatum non haberent* : at Christus non est loquutus ad plures infideles

infideles qui nullum vnquam prædicatorem audierunt : & quamuis Deus illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum, infundatque varias inſpirationes etiam in animabus Barbarorum : primæ tamen eius illuminationes & inſpirationes non ferunt directè ad fidem habendam primo, ſed alia quædam bona moralia, quæ ſi peragerent diſponerentur vt etiam illuminarentur & inſpirarentur ad fidem capeſcendam : Quare pluribus non loquitur Deus vllo modo de fide, ſicque ex intentione humanâ eam capeſcere non poſſunt. Vnde immunes ſunt à peccato ex hoc capite, quod præcisè fidem non habent.

Ad oppoſitum dicendum eſt mentem D. Auguſtini eo Loci eſſe quod infideles iſti non excuſabuntur ab alijs peccatis contra legem naturæ perpetratis propter infidelitatem & ignorantiam myſteriorum fidei. Quod vero additur eſſe voluntariam in voluntate primi hominis, non ſequitur magis eſſe peccatum, quam ſit ipſa mortalitas quæ peccatum non eſt, etſi in pœnam peccati inuecta.

ARTICVLVS LXVIII.

Iustificatio impij fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem & inspirationem gratiæ, quæ per eam faciat iustificatos implere legem. l. de Iustitia. c. 5.

QVæritur an discordet hic articulus à Doctrinâ Christiana: Namque scriptura sacra videtur attribuere iustificationem hominis ipsimet obseruationi mandatorum quæ includitur in charitate & dilectione quæ est plenitudo legis & præcepti. Prouerb. 10. *Vniuersa delicta operit charitas* & 1. Petri 4. *charitas operit multitudinem peccatorum*. Id autem est iustificatio. Deinde D. Augustini effatum est l. de nat. & grat. c. vltimo charitatem inchoatam esse inchoatam iustitiam charitatem prouectam esse iustitiam prouectam & charitatẽ perfectam esse perfectam iustitiam: ergo dilectio Dei in quo includitur obseruatio mandatorum formalis est sanctitas & formaliter hominem sanctificat: absque communicatione illâ & inspiratione alterius formæ sanctificantis, quæ dicitur gratia habitualis.

Respondetur pluries Concilium Tridentinum declarare actus pios spei, timoris, pœnitentiæ & dilectionis quibus continetur obe-

dientia legis diuinæ & mandatorum obseruatio, esse tantum dispositiones ad gratiam Dei habitualem ac iustificationem consequendam. Sic dicit sess. 6. in decreto *iustific.* can. 13. *si quis dixerit sine Spiritus Sancti inspiratione hominem credere, sperare, pœnitere aut diligere posse sicut oportet vt ei iustificationis gratia conferatur, Anathema sit.* & cap. 7. asserit iustitiam qua iustificamur dari vnicuique secundum propriam vniuscuiusque dispositionem: non datur autem obedientia legis secundum propriam vniuscuiusque dispositionem: ergo ipsa obedientia legis non est id quo formaliter iustificantur impij. Plura argumenta suppeditabit in eam rem, Cardinalis de Lugo de pœnit. disp. 8. sect. 4.

Ad oppositum dicendum est & scripturam Sacram & D. Augustinum attribuere iustificationem & dilectioni & iustitiæ quâ legi obtemperatur, sed non tanquam causæ formali, sed tantum tanquam dispositioni. Sicut in eodem sensu remissio peccatorum tribuitur Eleemosynæ.

ARTICVLVS LXIX.

Homo existens in peccato mortali, siue in reatu æternæ damnationis potest habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis. Lib. de Charitate cap. 7.

QVæritur an hallucinatus sit Baius in hoc articulo asserendo: neque enim peccatum mortale habet vllam repugnantiam cum gratia habituali: quia peccatum essentialiter est priuatio rectitudinis debitæ actui, non gratiæ aut charitatis: quod ex eo manifestum est, quod si peccatum mortale esset priuatio gratiæ, aut charitatis: omnia peccata essent eiusdem speciei & naturæ, cum essent priuationes eiusdem habitus aut formæ, cum ergo peccatum non sit essentialiter priuatio gratiæ aut veritatis, quid repugnat quo minus possit peccatum consistere cum gratia, aut charitas cum reatu æternæ damnationis?

Respondetur quamuis inter Theologos disputetur probabiliter ex vtraque parte, apud Fabrum Fauentinum in 4. sent. dist. 14. q. 1. cap 9. an peccatum expellat gratiam phisicè & formaliter an vero tantum moraliter & demeritoriè: tamen non posse probabiliter ex vtraque parte disputari, an expellat vel non expellat, quoquo modo id fiat, quia per peccatum mortale

de quo hic ſermo eſt, homo eſt inuiſus Deo & inacceptus ad vitam æternam, per gratiam vero & charitatem homo eſt gratus Deo & acceptus ad vitam æternam: quæ duo ſunt incompoſſibilia & ſimul non poſsunt ſubſiſtere. Vnde Scriptura loquens de Iuſtificatione demonſtrat illam eſse tranſitum à ſtatu peccati ad ſtatum iuſtitiæ ad Coloſ. 1. *Tranſtulit nos in regnum filij dilectionis ſuæ*: & Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 4. *in Decreto Juſtificationis*, ait quod illa ſit, *translatio ab eo ſtatu in quo homo naſcitur filius primi Adæ in ſtatum gratiæ & adoptionis filiorum Dei*: ex quibus ſequitur hominem non habere gratiam quin tranſeat à ſtatu peccati. Sicque peccatum & iuſtitia ſimul conſiſtere non poſsunt.

Ad oppoſitum dicendum eſt, peccatum actuale eſse priuationem rectitudinis debitæ, peccatum vero habituale quod ſemper coniungitur peccato actuali non retractato, eſse priuationem gratiæ ex peccato actuali ortam, vnde quamuis diuerſa peccata priuent hominem eadem forma gratiæ & charitatis, quia tamen priuant in ordine ad diuerſa peccata actualia, eo ipſo plura ſunt & diuerſa, quia eſt priuatio ob diuerſos titulos & cauſas.

ARTICVLVS LXX.

Per Contritionem etiam cum charitate perfecta, & cum vero voto suscipiendi Sacramentum coniunctum, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrij sine actuali susceptione Sacramenti. Ibidem.

QVæritur an hæc propositio inter damnatas reponenda sit: nam D. Augustinus scribit tract. 13. in Ioan. *Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat, non illi dimittitur nisi cum venerit ad baptismum.* Quod confirmatur ex hoc, quod Concilium requirat Confessionem in Sacerdote celebraturo, nisi in necessitate & defectu Sacerdotum: at si Contritio delet peccata, frustra requiritur Confessio.

Respondetur D. Augustinum esse in contraria sententia cum scribit cap. vltimo libri de natura & gratia, *Charitas incboata, incboata iustitia est, charitas prouecta prouecta iustitia est, charitas magna, magna iustitia est.* Sed & Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. ait iustificationem quæ aliquando habetur ante Sacramentum susceptum non esse adscribendam ipsi contritioni sine Sacramenti voto, ex quo euidentissimè deducitur, vi Contritionis ante susceptum Sacra-

mentum aliquando iustificari hominem, scilicet si contingat illum, contritione donatum esse. Quod ex eo adhuc magis elucet quod non sit minoris virtutis & efficaciæ Contritio in lege noua quàm erat in veteri lege: at in veteri lege remittebatur peccatum ex virtute Contritionis, neque enim Sacramenta id operabantur. Quare dicitur Isai. 30. *Cum ingemuerit peccator tunc salus erit*, iuxta 70. & Ezechiel 33. *Impietas impij non nocebit ei in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua.* Quare mirum est Franciscum Syluium, Doctorem Duacensem huic Baij placito adhæsisse in q. 5. supplementi D. Thomæ art. 1.

Ad oppositum, dicendum D. Augustinum ita loquutum fuisse, quia regulariter non fit vt Catechumenus ad perfectionem Contritionis assurgat, sed raro admodum. Quod autem confessio præmittenda sit ante celebrationem id ex præcepto diuino est, Apostolo dicente. 1. cor. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Quæ verba continent præceptum Confessionis: quæ idcirco duplici titulo præmittenda est, & ad mundandam securius animam, & ad satisfaciendum præcepto diuino.

ARTICVLVS LXXI.

Omnes omnino iustorum afflictiones sunt vltiones peccatorum ipsorum: Vnde & Iob & martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt. Non habetur in eius libris.

QVæritur an vacillet tantisper hic articulus vt per censuram pungi debuerit: namque cum ordine & iustitia omnia humana Deus disponit, vt quia peccato debetur pœna, hæc illud iusté consequatur, & sine culpâ miseria locum non habeat in hominibus. Vnde D. Augustinus l. 6. de Ciuitate Dei cap. 13 Loquens de dæmonibus damnatis, sic ait: porro quia prouidentia summi Dei, sicut etiam ipsi fatentur; non fortuita temeritate regitur mundus, *numquam esset istorũ æterna miseria nisi esset magna malitia.* Inde videtur cõsequens, vt si natura in statu integro stetisset, quod expers debuisset esse omniũ pœnarũ & cruciatuum quibus nũc post peccatũ concutitur, vt quemadmodum in illo statu fœlicitatis illis esset connaturalis, sic nunc miseria sit contranaturalis, si hoc verbo vti fas est, nec nisi in vindictam peccati homines quiuis tribulationibus impetantur.

Respondetur hunc articulum Baij affinem esse alteri, in quo dicit, *Deus non potuisset ab initio creare talem hominem qualis nunc nascitur,* scilicet concupiscentijs agitatus, & mortalitate ac

ægritudinibus quibus ad mortem paulatim disponitur, obnoxius, quia vult omnimodam fœlicitatem debitam fuisse primo homini titulo creationis, non satis perspiciẽs quid ex liberalitate & magnificentia addidisset Deus dono primo creationis, si innocenter vixisset primus Adam: magnum enim malum concupiscentiæ mortalitasque ac cruciatus qui eam commitantur aut præcedunt, hominis conditionem consequuntur, qui cum sit naturæ sensitiuæ, impressionibus agẽtium externorum, alterationibusque diuersis sic expositus est, sicut cæteræ animantes criminis nesciæ & expertes: quod etiam fatetur D. Augustinus l. 1. retract. cap. 9. dicens, *quamuis ignorantia & difficultas essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus esset Deus, sed laudandus.* Itaque etiam si aliqui iusti in hac vita, variis crucientur miseriis ac tormentis, non semper id fit, eorum peccatis id exigentibus, sed sæpe ob altiores quasdam rationes sicut dicitur Tobiæ 2. de illo. *Hanc autem tentationem ideo permisit Deus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Job*: ad eorum perfectionem conducit tribulatio Discunt ex tribulationibus ob dona Dei non superbire, ex hinc cæteri agnoscunt eorum erga Deum fidelitatem, probatur eorum erga Deum confidentia, merita adaugentur, illustrioresque redduntur vt sæpè sæpius longè sublimiora Deus meditetur in afflictionibus iustorum quam eorum punitionem, vt non immerito Baiani consolatores onerosi dici debeant, sicut amici Iob, qui eius peccatis flagella illius imputabant.

Ad oppositum dicendum est pœnas & cruciatus spectari posse vel secundum se, vel quatenus sunt in punitionem & vindictam. In priori acceptione possunt absque culpa conuenire naturæ sensitiuæ inter aduersa sua & contraria degenti, in posteriori non conueniunt nisi naturæ peccato obstrictæ. Secundum posteriorem acceptionem loquitur D. Augustinus.

ARTICVLVS LXXII.

Nemo præter Christum est absque peccato Originali: hinc beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque eius afflictiones in hac vita, sicut & aliorum iustorum, fuerant vltiones peccati Actualis vel Originalis. Nec est in eius libris.

QVæritur an non sit conformis hic articulus & Scripturis Sacris quæ omnes in Adam peccasse ac mortuos esse prædicant, ac sanctis patribus qui cõtra Pelagium & Cœlestium hæreticos negantes pueros nasci cum peccato Originali, fortiter vrgent omnes nascentes Adæ peccato inuolutos esse, ac proinde baptismo & gratia Christi indigere, qui solus immaculatus agnus est, vt mundi peccata tollat: quàm sententiam inter præcipuos exagerat D. Augustinus tract. 79. *in Ioannem*, ac pluribus in libris, vbi-

contra Pelagianos disputat: vt inde alij inferant iniuriam ipsius gloriæ irrogari, si alius sine peccato natus asseratur, vel à peccato, ipsius morte non redemptus.

Respondetur duplici titulo improbandum esse hunc articulum. Primo quod asserat fuisse in S. Virgine peccatum Originale quam sententiam alias impugnauimus in *Theologia Affectiua*.3. p. tract. 2. Medit. 2. his tribus considerationibus, 1. quod possibile Deo fuerit reddere immunem B. Virginem à peccato Originali. 2. quod id decens fuerit. 3. quod actu & de facto immunis fuerit. Quæ hic repetere non iuuat; cum aliunde plures hoc argumentum explicauerint, vt in honorem B. Virginis asseri possit istud Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea & macula non est in te.* Secundo vero quod & si præsupponeretur ipsam pro aliquanto tempore in peccato Originali extitisse, cum tamen ab ipso statim liberata fuerit, vt defendunt Authores Catholici, qui salua fidei compage, illud peccatum in illa adstruunt, non rectè infertur omnes eius afflictiones fuisse vltiones istius peccati, aut quod magis horrerent piæ aures, peccati Actualis quod ipsa aliquando admisisset, tam feruentes enim ac frequentes diuini amoris actus ipsa elicuit, vt ipsorum virtute omnem pœnam satisfactoriam absorptam fuisse minimè dubitandum sit, si enim id iustis perfectioribus competit quanto magis id de Matre Dei credendum est. Sed absit vt hanc quicquam inquinamenti habuisse vnquam putemus.

Ad oppositum dicendum est D. Augustinum

hanc protestationem fecisse in l. de naturâ & gratiâ c. 36 *exceptâ itaque Sanctâ Virgine Mariâ, de quâ cum de peccatis agitur propter honorem Domini nullam prorsus habere volo quæstionem.* Vnde in istis loquutionibus semper venit excipienda Beatissima Virgo, cuius gloria, Filij gloria est, cum scriptum sit à Sapiente, Eccles. 3. *dedecus Filij Mater sine honore.* Nec propterea desinit morte ipsius esse liberata per præseruationem scilicet ne peccatum incurreret, non per liberationem à peccato quod incurrisset. Quamuis autem dicat Heruæus Brito in 3. sent. dist. 4. q. 1. mortem esse pœnam peccati originalis, & nullum puniri pro peccato quod non incurrit quantumcumque incursurus esset, hoc nihil est. Quia Virgo mortem subiit, non pro peccato proprio quod incurrerit aut incursura esset, sed pro peccato Adami, qui eius morte punitus est, non ipsa, cum nullam habuerit filiam immortalem, & quæ propter eius transgressionem mortua non est, vnde mors Virginis punitio Adami est.

ARTICVLVS LXXIII.

Concupiſcentia in Renatis Relapſis in peccatum mortale, in quibus iam dominatur, peccatum eſt, ſicut & alij habitus praui. **Nec eſt.**

QVæritur an ſit locus cenſuræ contra iſtum articulum : dicit enim D. Auguſtinus l. 19. de ciuitate Dei c. 4. *nonnullum peccatum eſt, quando caro concupiſcit aduerſus ſpiritum* vt dicitur ad *Galatas* 5. & ſi opponatur ideo articulum hunc cenſuræ locum præbere quod habitus prauos vocet peccata, puta habitus intemperantiæ aut iniuſtitæ, diçi poteſt etiam peccata vocari poſſe, quia ſeparant à Deo : quod enim à Deo ſeparat, mors animæ eſt & peccatum.

Reſpondetur ex eo maximè improbandum eſſe hunc articulum, quod velit habitus prauos, quibus homo inclinatur ad malum & qui ſæpè remanent etiam peractâ pœnitentiâ, eſſe peccata, non ſecus ac ipſam concupiſcentiam quæ dominatur. Vt enim admittamus concupiſcentiam dominantem, id eſt actu & de facto, ferentem & ducentem animam ad actum prohibitum cum conſenſu, vt ſic, eſſe peccatum, id tamen admitti non debet de vitijs & prauis habitibus, qui per ipſam abſolutionem non deſtruuntur, ſed per plures actus virtutum jis contrarios : ſicut per plures actus peruerſos

acquiſiti ſunt. Sic enim etiam dormiens homo peccaret, cum retineat habitus illos, imo & benè operans cum nonobſtante virtutis actu, remaneat vitium & habitus prauus, qui nihil aliud eſt quam promptitudo quædam & facilitas ad male operandum ex pluribus malis actibus acquiſita.

Ad oppoſitum, dicendum eſt non fideliter allegari textum D. Auguſtini l 19. de ciuit. c. 4. vt verum ſit plures errores in Auguſtinum eos intuliſſe, quam in Auguſtino inueniſſe. Sic enim ibi habetur *neque enim nullum eſt vitium cum caro concupiſcit aduerſus ſpiritum*. Quod durante conflictu inter carnem & ſpiritum vix eſt quiſpiam qui aliquo vitio non detineatur. Qua propter & in eodem capite D. Auguſtinus vocat eam rebellionem infirmitatem, peſtem & languorem: notum autem eſt diſcrimen apud eos qui vel elementa Theologia callent, inter vitium & peccatum. Ex quo diſcrimine ſolui etiam poteſt quod obiicitur de habitibus prauis, qui vitia ſunt quæ à Deo ſeparant diſpoſitiuè, non autem formaliter, ſicut ipſum peccatum.

ARTICVLVS LXXIV.

Motus praui concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati prohibiti præcepto non concupisces. Vnde homo eos sentiens & non consentiens transgreditur præceptum, non concupisces, quamuis transgreßio in peccatum non deputetur. l. de peccato orig. c. 11. 15. 16.

QVæritur an distringi debuerit censura in hunc articulum. Nam dicitur 1. Ioan. 2. *omne quod est in mundo aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ quæ non est ex patre sed ex mundo*· Vnde concluditur concupiscentiam cum non sit ex Deo sed ex mundo, esse peccatum, & ideo, contra Dei legem· non enim solum ad superbiam refertur quod dicit *non est ex patre*, sed ad ipsam concupiscentiam cum suis omnibus membris.

Respondetur cum ibi sermo sit de motibus primis concupiscentiæ inuolontarijs & qui rationem præuenire solent, proptereaque euitari non possunt, iure merito non esse computandos inter ea quæ à Deo in præceptis decalogi prohibita sunt: cum alias præcepta Dei ad impossibilia obligarent. Quæ sententia etsi Baianorum sensui sit conformis, reprobatur tamen à Doctoribus Catholicis & in superiorum

articulorum discussione improbata est : insuper D. Augustinus l. 1. de ciuitate Dei c. 25. manifestè asserit motus illos concupiscentiæ non esse peccata. *Quod si*, inquit, *illa concupiscentialis inobedientia, quæ adhuc in moribundis habitat, præter nostræ voluntatis legem, quasi lege suâ mouetur: quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis?* Et satis mirum est cur velit Baius istos motus inuoluntarios esse contra præceptum Dei : & tamen non imputari ad peccatum, cum peccatum definiatur à D. Augustino l. 22. contra Faustum, *dictum, factum vel concupitum contra legem Dei æternam* & à D. Ambrosio, *Diuinæ Legis transgressio & Cælestium inobedientia mandatorum l. de Paradiso* c. 8. & D. Ioannes 1. Epist. canon. c 3. vocet peccatum, ἀνομίαν id est exorbitationem à lege ἐστιν ἡ ἀνομία.

Ad oppositum dicendum est rectè dici concupiscentiam non esse ex patre, sed ex mundo, etiam si peccatum non sit, quia motus indeliberati concupiscentiæ non extitissent de facto absque peccato, posito eo rerum statu quem Deus instituerat de iustitiâ originali : sicut dicitur de morte, quod Deus eam non fecerit, quia posito statu à Deo instituto, mors non extitisset, quamtumuis sit naturalis homini in statu puræ naturæ spectato.

ARTI-

ARTICVLVS LXXV.

Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

QVæritur an non eximi debuerit à vexatione censuræ hic articulus: etenim probatum est dogma D. Augustini, quod vbi est charitas perfecta, nulla sit cupiditas, cum generatio vnius sit corruptio alterius: sic Homil. 8. in lib. 50. homiliarum. Et quia radix omnium malorum est cupiditas & radix omnium bonorum est charitas, & simul ambæ esse non possunt, nisi vna radicitus euulsa fuerit, alia plantari non poterit.

Respondetur, dicendum motus concupiscentiæ indeliberatos reperiri aliquando posse in viris perfectis, qui Deum toto corde amant, cum sint instar Iebusæorum quos Deus in medio nostri reliquit ad agonem, ad exercendum Israelem, & ne deficiente aduersario virtus tepescat otio, quæ in infirmitate ista continenda perficitur: sic D. Paulus Deum toto corde diligebat, si quis inter mortales, ipse tamen profitetur de seipso ad Rom. 7. *Sentio legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captiuantem me in lege peccati*: id est me inuitum & nolentem motibus concupiscentiæ (quos ipse inuisos habebat) con-

cutientem, qui motus apti nati erant ad peccatum ipsum allicere, nisi restitisset: sed & D. Augustinus serm. 5. de Verbis Apostoli, disertè asserit motus istos concupiscentiæ inuoluntarios non impedire, quominus homo dicatur spiritualis, qualis est qui præceptis Dei obtemperat. *Quicumque*, inquit, *carnalibus concupiscentijs credis atque consentis, totus carnalis es, si autem concupiscis quidem* (en motus primo primi) *post concupiscentias autem tuas non eas, mente spiritualis es, carne carnalis*, &c. Huius rei ratio est quod exercitiũ virtutum magis perfectarum durante hac vita, non nisi in lucta & conflictu contra aduersarias potestates, perficiatur, cum simus in statu Ecclesiæ militantis. Quod verum est non tantum respectu Ecclesiæ vniuersalis, sed etiam respectu cuiuslibet animæ in indiuiduo spectatæ: itavt viri maximè spirituales inter orandum & etiam sacrificandum nonnumquam confundantur, dum procurante sathana, aut alia ex causa motus isti vel inuitis sese ingerunt, de quibus legi potest Ioannes à cruce Carmelita in lib. 1. *Obscuræ noctis*, c. 4. & Richardus à S. Victore annot. in Psal. 28.

Ad oppositum dicendum est D. Augustinum ibi explicare ad quid tendere & conari debet homo in hac vita, scilicet ad cupiditatem radicitus & funditus euellendam & charitatem acquirendam: sic enim ante hæc verba, *Loquitur beatus Apostolus*, ait, *velut spiritalis ac peritissimus medicus, quid fugere & quid expetere debeamus ostendit, & quia radix, &c.* Quidquod ibi sermo est de auaritia voluntaria, quæstio autem est de motibus inuoluntarijs.

ARTICVLVS LXXVI.

Satisfactiones laboriosæ iustificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam Lib. de Indulgentijs cap. 8.

QVæritur an hæc propositio censuræ obnoxia esse debuerit, etenim Christi est pro peccatis hominum satisfacere, & iniuriam videtur illi irrogare, qui alterius satisfactionem virtute aliquâ pollere censet, quasi eius satisfactio non fuerit plenissima.

Respondetur Catholicos scriptores impugnare hæreticos qui eumdem articulum defendere solent, vt Lessius q. 13. in additiones D. Thom. *seu supplementi*, art. 1. dubio 4. Cardinalis de Lugo *de Sacramento Pœnitentiæ*, disput. 24. sect. 1. vbi & ea ratione probat satisfactiones iustificatorum expiare de condigno pœnas temporales restantes post remissam culpam, quia per Bullam Pij V. & Gregorij XIII. damnatus sit hic articulus cum alio præcedenti, qui in eumdem sensum coalescit. Probatur autem per scripturam Prouerb. 16 *Misericordia & veritate redimitur iniquitas*, & 1. ad Cor. 11. *si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur à Domino*. i. si nosmetipsos puniremus non puniremur à Deo in altera vita, & per Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 4. Vbi in pœnitentia

ait contineri *satisfactionem per ieiunia, eleemosynas & non quidem pro pœna æterna quæ vel Sacramento vel sacramenti voto vna cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali.* Quibus verbis satis asserit pro pœna temporali satisfieri, id est, exhiberi sufficiens pretium ad earum redemptionem. Probatur etiam ratione, quia opera bona iustificatorum digna sunt vita æterna, iuxta illud 2. ad Timoth. 4. *Reposita est mihi corona iustitiæ quam reddet mihi iustus iudex.* Ergo multo magis condigna sunt pro redemptione pœnæ temporalis: quæ multo minor est quam vita æterna, maxime cum eædem conditiones ad merendum requisitæ reperiantur in operibus bonis ad satisfaciendum: nam satisfacientes in Dei gratia sunt constituti, opera eorum sunt supernaturalia & debito proportionata, extatque Dei promissio: quare nihil desiderari potest ad valorem condignæ satisfactionis: sed & D. Augustinus in Enchirid. cap 7. *Deus miserendo delet commissa peccata si non satisfactio congrua negligatur*, & hom. 50. cap. 15. *non sufficit mores in melius commutare, nisi etiam de his quæ facta sunt satisfiat Deo*: quid clarius?

Ad oppositum dicendum est non magis satisfactiones iustificatorum præiudicium inferre satisfactionibus Christi, quam eorum orationes orationibus Christi: imo in honorem eius cedunt in hoc quod non tantum pro nobis satisfecit, sed etiam virtutem dedit satisfaciendi ad applicandam nobis virtutem satisfactionis suæ per varia media quæ ad hunc finem sunt ab ipso instituta, vt sunt varia sacramenta, fides ac bona

opera: sic vt cedit aliquomodo in honorem Dei non solum quod omnia operatur sed etiam quod virtutem operandi nobis dederit.

ARTICVLVS LXXVII.

Immortalitas primi hominis non est gratiæ beneficium, sed naturalis conditio. Non habetur in eius libris.

QVæritur an non omnium calculis laudari debuerit hæc assertio, tantum abest vt censuræ notam incurrere debuerit: etenim cum anima sit immortalis, æquum non est, vt ipsa coniungatur corpori mortali. Vnde D. Augustinus lib. 13. de Ciuit. Dei cap. 15. *Constat inter Christianos veraciter tenentes fidem Catholicam*, etiam ipsam nobis corporis *mortem non legè naturæ sed merito inflictam esse peccati*, & Concilium Arausicanum 2. *Canone* 2. sic statuit. *Si quis soli Adæ præuaricationem suam, non & eius propagini asserit nocuisse, aut certè mortem tantum corporis (quæ pœna peccati est) non autem & peccatum, quod mors est animæ per vnum hominem in omne genus humanum transisse testatur, iniustitiam Deo dabit contradicens Apostolo dicenti (ad Rom. 5.) per vnum hominem peccatum intrauit in mundum & per pecatum mors in omnes homines pertransiit in quo omnes peccauerunt* Vnde colligitur mortem esse præter naturam hominis & non nisi in pœnam peccati.

Respondetur distinguendos esse diuersos status hominis. Primus status puræ naturæ: secundus status naturæ integræ,& pluribus priuilegijs supra debitum naturæ locupletatæ ampliori Dei beneficentia. Tertius est status naturæ corruptæ, & in corruptione sua derelictæ: quartus est status naturæ reparatæ per Christi gratiam, qui status diuersos habet gradus: status autem puræ naturæ licet possibilis fuerit,numquam extitit, quia Deus statim naturæ plura liberaliter addidit beneficia. Status etiam naturæ corruptæ & in corruptione derelictæ numquam extitit, licet etiam possibilis fuerit, quia Deus plura beneficia gratiæ ex merito passionis futuræ, statim contulit naturæ corruptæ. Homo igitur secundum statum puræ naturæ, si extitisset, morti obnoxius erat propter diuersitatem elementorum inter se pugnantium quibus constabat: sed quia hic status de facto non extitit propter beneficia creatoris, creatus est immortalis ex beneficio Dei, mortalisque effectus est de facto merito peccati in pœnam inobedientiæ. Vnde ait sapiens; *Deus mortem non fecit*, & hoc confirmat D. Augustinus lib. 6. de Genesi ad litteram. cap. 25. *Aliud est*, inquit, *non posse mori, aliud posse non mori, secundum quemdam modum primus creatus est homo immortalis quod & præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ*, & paulo post: *mortalis ergo erat conditione corpoporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris* Quam veritatem adhuc confirmat libro 13. de Ciuit. Dei, cap. 27. & lib. 1. de *peccatorum meritis & remission.* cap. 4. & pluribus alijs in locis.

Quod amplius confirmari potest ex eo quod homo extra Paradisum Terrestrem in quo immortalis fuisset creatus sit, vt intelligeret dona illius loci ex superaddita gratia sibi concedi, & non esse sibi naturalia: ac certè immortalis nec à natura hominis ex contrarijs, & sibi inuicem repugnantibus humoribus conflata oriri poterat, nec in illa natura sufficientem causam habebat.

Ad oppositũ dicendum est non esse necesse omnia quæ aptissime rebus congruunt, debita esse naturali iure; sicut optimè decens est hominem creatorem non offendere, non tamen id illi debitum est naturaliter, & nihilominus quia animæ immortali corpus immortale congruebat, de facto Deus dederat homini corpus immortale beneficio ligni vitæ, & alijs mediis. Vnde hoc præsupposito, dicit D. Augustinus mortem *merito peccati* inflictam fuisse, *non lege naturæ*, quia de facto ita inflicta est, non quod aliter accidere non potuerit: quomodo soluitur etiam obiectio ex Arausicana Synodo.

ARTICVLVS LXXVIII.

Falsa est Doctorum sententia primum hominem potuisse à Deo creari & institui sine iustitia naturali. Nec habetur in Baij Libris.

QVæritur an quidquam acerbius decernere ac sancire debuerit Summus Pontifex contra hanc assertionem, quâ contendit Doctor Baius hominem non potuisse creari in puris naturalibus, vt vocant, sinè gratia Dei quæ ei naturaliter debita sit, & quâ fiat, vt potentiæ eius inferiores superoribus subditæ sint, & quâ Deo anima subdita sit prout exigit iustitia: ratio vero desumitur ex eo quod Deus non potuerit creare hominem cum aliquâ miseriâ, antequam pecasset, cum sit illa peccati pœna. Et ex eo quod non potuit condere hominem nisi propter vltimum finem beatitudinis: at posito quod homo creatus sit propter hunc vltimum finem, debuit etiam creari cum medijs proportionatis & sufficientibus ad hunc vltimum finem assequendum, quæ propterea quasi naturaliter illi debentur: ergo debuit creari cum gratiâ & iustitiâ naturali, quia est medium sine quo finis ille non potest possideri. Et augetur hæc difficultas ex appetitu naturali quem habet homo ad beatitudinem, quapropter extra illam non satiatur, sicut dicit D. Au-

gustinus l. 1 confess. c. 4. *fecisti nos Domine ad te & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.*

Respondetur assertionem hanc Doctoris Baij multum accedere ad opinionem Begardorum & Beguinarum damnatam à Clemente V. in Concilio Vienensi *de hæreticis*, asserentium quod quælibet intellectualis natura in seipsâ naturaliter. Est beata &c Merito autem improbatur quia cum iustitia originalis quæ naturalis vocatur à Baio, sit accidens hominis & extra eius essentiam, valde mirum esset, si Deus hominem sine illa creare non posset, quid enim hîc omnipotentiæ eius limites statueret? Sed & diuinam gratiam nulli deberi creaturæ satis diserte probat Daniel à Sancto Iosepho Carmelita tom. 1. in *D. Thomam* disput 12. c 5. & disput. 14. c. 1. Quia gratia diuina est terminus amicitiæ diuinæ, quam vlli deberi creaturæ tam repugnat quam vllam à Deo produci quæ ex propriâ creatæ rei conditione eius serua non sit. Sed & natura sua esset impeccabilis creatura si naturali iure & gratia & beatitudo illi deberentur: sed & D. Augustinus sine cuius authoritate nihil Baianis sapit, l. 12. de ciuit. Dei c. 1. ait, *quia creatura est*, (scilicet assequi beatitudinem) *non ex se potest quia ex nihilo creata est.* Vnde infertur esse supra debitum illius naturæ, cum creatura dicatur ex se posse quod ex naturalibus potest.

Ad oppositum dicendum est fere omnia ibi contenta neganda esse. Primo illud quod affertur non potuisse Deum supremum Domi-

num creare hominem cum aliquâ miseriâ antequam peccasset. Quid ergo? non potuisset Deus creare hominem in zonâ frigidâ aut torridâ, ne frigore aut calore nimio adureretur? non potuisset creare monoculum aut claudum? quis hoc credat? *Quis enim ei diceret*, inquit D. Augustinus in Psal. 70. *quid fecisti si damnaret iustum*? Quem textum corrumpunt Baiani, dicuntque legendum esse iniustum. Deinde negatur quod dicitur, non potuisse condi, nisi propter beatitudinem, quamuis enim beatitudo hominis, sit pro præsenti statu finis vltimus hominis, non est tamen vltimus finis Dei, qui est eius gloria, quam multis modis posset sibi conquirere extra beatitudinem supernaturalem hominis: deinde posito quod homo creatus sit propter illum finem, poterat Deus ad ipsum sine gratia & iustitia originali eleuare hominem. Quod additur de appetitu naturali ad videndum Deum, etiam si admitteretur, non sequitur tamen posse naturaliter illud consequi, quia vt benè arguit Bellarminus de *primi hominis gratiâ* c. 7. anima separata habet appetitum naturalem ad vnionem cum corpore proprio, cui tamen non nisi supernaturali virtute iterum vnietur in resurrectione, quæ non erit opus naturale.

ARTICVLVS LXXIX.

Quæ censurarum notæ propositionibus singulis Michelis Baij affigi poßint.

HActenus conati sumus demonstrare methodo Scolastica singulas Baij propositiones falsitatis aut erroris alicuius vitio laborare, adductis in huius rei confirmationem aliquibus momentis, & dissolutis nonnullis obiectionibus contrarijs, ex quarum oppositione veritas effulgeret, per legem contrariorum, quâ sibi inuicem opposita magis elucescunt Quamuis autem pauca ad singulos articulos dixerimus, vt librum prolixiorem non ederemus, quia tamen eædem propositiones sæpius repetuntur, quas quibuscumque verborum inuolucris circumuestitæ essent tolerare noluerunt Summi Pontifices, qui omnia quæ ad idem spectant per varios articulos dispersa in vnum collegerit, forsan plura inueniet quam primâ facie appareat. Consulto autem abstinuimus à designatione notarum quæ cuilibet propositioni conuenire possint, quia id nondum præstiterunt Summi pontifices, & magis id deceat fieri authoritate publicâ quam priuatâ. Attamen idipsum est quod multi expetunt & expectant, quorum votis vt aliquâ ex parte satisfaciamus, donec expressius iudicium Summi Pontificis accedat, hîc operæ prætium arbi-

trati sumus mentem, sacræ facultatis Theologiæ Parisiensis de ijs notis censorijs contra plures propositionum harum, vt ex actis illius exscribuntur, ad calcem huius secundæ partis adiungere, vt certius instruantur qui & veritatem amant sine fuco ac verborum pimgentis manifestatam, & facultatis primariæ auctoritatem ita suspiciunt, vt eius decretis fidem adhibere non detrectent.

ANNO Domini millesimo quingentesimo sexagesimo, die Iouis vigesimâ septima Mensis Iunij, sacratissima Theologiæ facultas Parisiensis post missam apud Collegium Sorbonæ ex more celebratam, in eodem collegio, per iuramentum congregata est in materia fidei super propositionibus infra scriptis per eandem facultatem cum matura deliberatione Magistrorum nostrorum censurâ notatis, quas Fr. Petrus De Guercu, Gardiadianus Conuentus Niuellensis & Fr. Ægidius de Guerceto Gardianus Athiensis Prædictæ facultati Theologiæ miserunt, Sigillis Prædictorum Conuentuum signatas, rogantes obnixè vt super ijs dicta facultas censuram ferret. Quarum propositionum tenor sequitur cum censura ad easdem.

Prima propositio Liberum Arbitrium hominis non habet potestatem ad opposita, nec illi conuenit ea potestas ex ipsius naturali & intrinseca ratione.

Censura. Prima pars huius propositionis est hæretica, secunda est falsa, & Erronea, & Morali Philosopiæ aduersa.

Secunda propositio. Libertas & necessitas ei-

dem conueniunt respectu eiusdem : & sola violentia repugnat libertati naturali hominis.

Censura. Huius propositionis prima pars includit contradictionem & est hæretica ; secunda est falsa.

Tertia propositio. Liberum Arbitrium ex sua ratione intrinseca non habet vt ex se, de se, & per se efficiat actum liberum.

Censura. Hæc propositio est falsa, Erronea & perniciosa.

Quarta propositio Liberũ Arbitriũ ex se non potest nisi peccare, & omne opus Liberi Arbitrij sibi dimissi, est peccatum mortale, aut veniale.

Censura. Hæc propositio pro vtraque parte est hær etica.

Quinta propositio. Homo faciendo quod in se est, peccat & non potest non peccare faciendo quod in se est.

Censura. Tota hæc propositio est hæretica.

Sexta propositio. Posse peccare non est de ratione Liberi Arbitrij hominis : nec eiusmodi potentia peccati, homini data est à Deo.

Censura. Huius propositionis prima pars est falsa, & secunda hæretica.

Septima propositio. Liberum Arbitriumhominis non potest absque speciali gratia Dei vitare peccatum ; vnde fit vt omne opus hominis purè infidelis, sit peccatum.

Censura. Huius propositonis secunda pars est falsa & male ex præcedenti infertur.

Octaua propositio. Liberum Arbitrium libere vult quidquid sponte sua voluntariè vult, ita vt quodnecessario vult, idem libere velit.

Censura. Huius propositionis secunda pars implicat contradictionem , & est hæretica.

Nona propositio. Hæreticus , Schismaticus & homo non purè infidelis , meretur quandoque de condigno vitam æternam.

Censura. Hæc propositio est plane hæretica.

Decima propositio. Homo existens in peccato mortali siue eius reatu ad æternam mortem, habet in se charitatem.

Censura. Hæc propositio est hæretica.

Vndecima propositio. Per contritionem non adhibito realiter sacramento Baptismi vel pœnitentiæ non dimittitur crimen extra casum martyrij & necessitatis.

Censura. Hæc propositio est hæretica.

Duodecima propositio. Peccator si faciat quod mandatur per contritionem , & confessionem factam sacerdoti non remittitur illi peccatum nisi sacerdos , absoluat etiam si per malitiam absque ratione sacerdos illi neget absolutionem.

Censura. Hæc propositio est hæretica

Decimatertia propositio. Non nisi pelagiano errore admitti potest ante primam iustificationem in homine Liberi Arbitrij vsus bonus & qui se præparat ad eam, peccat , vt is qui pessimè abutitur suis bonis naturalibus. Nam ante eam omnia opera hominis sunt peccata damnatione digna.

Censura. Hæc propositio pro omnibus partibus est hæretica.

Decima quarta propositio. Non datur gratia nisi

reluctanti, perinde nec prima iustificatio quæ iustificatio est ipsa fides: fides enim est quâ ex impio quis fit pius.

Censura. Huius propositionis duæ primæ partes sunt hæreticæ, & tertia est falsa.

Decima quinta propositio. Homo necessario peccat etiam damnabiliter in aliqua specie peccati, & actus ad quem necessario fertur, est illi peccatum, quare vt libere feratur in actum non est conditio necessaria ad peccandum.

Censura. Hæc propositio est hæretica pro omnibus partibus.

Decima sexta propositio. Nemo præter Christum est absque peccato originali; hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum quod contraxerat ex Adam; omnesque eius afflictiones in hac vita, sicut & aliorum iustorum, sunt vltiones peccati originalis vel actualis. Vnde & Iob passus est, & Martyres propter peccata sua.

Censura. Hæc propositio pro omnibus partibus est hæretica & Beatæ Mariæ Virgini Dei Genitrici & sanctis iniuriosa.

Decima septima propositio. Omnia in gloriam Dei facite; & dico vobis non resistere malo, sunt simpliciter vt præcepta accipienda

Censura. Huius propositionis posterior pars, vt iacet, est hæretica.

Decima octaua propositio. Omne opus bonum est meritorium vitæ æternæ. Quod si aliquod remuneretur temporaliter tantum non dignum vita æterna, illud malum est, quia nullum est opus meritorium nisi æternæ vitæ.

Censura. Hæc tota propositio repugnat Sacræ Scripturæ.

Hæc sunt decreta Facultatis Parisiensis ante nonaginta, & duos annos edita ab his Doctoribus, quorum multi damnauerant errores Lutheri & Caluini ante Synodum vniuersalem Tridentinam, & ab his qui feruescente in Gallia hæresi Caluinistarum, contra ipsos pro fide & doctrina sæpius decertabant. Sed vt Baiani Bullas Summorum Pontificum Pij V. contra Baium; & Vrbani VIII. contra Iansenium, etiam ipsis Pontificibus adhuc superstitibus, subreptitias, dolo extortas, aut etiam commentitias obseruatis temporum consignatione, epithetis, apicibus aliisque pluribus, quibus respondendum esse duximus in 1. parte huius operis: sic de censura hac facultatis, quantumuis in eius regestis suo loco inscripta reperiatur, idem facere pridem moliti sunt: nunc obseruātes latam fuisse die vicesima septima mensis Iunij, quæ non est dies comitiorum: quasi censuræ tanti ponderis extra Calendas mensium non conderentur, cum soleant examinari propositiones censurâ notandæ in pluribus congregationibus, vt sæpè vidimus obseruatum: vnde mirum non est si die comitijs insolita lata fuerit. Nunc conquerentes confirmatā non fuisse. At moris est facultatis, vt quæ acta sunt in vna congregatione & consignata actis publicis, robur obtineant ac pro confirmatis habeantur, si in congregatione sequenti non retractentur immutentur ve. Nunc etiam expostulantes inueniri exemplaria varijs in locis huius censuræ cum aliqua immutatione in

titulo

titulo aut præfatiuncula, sed vbi res ipsa tenetur & habetur corpus censuræ, non admodum de titulo litigandum est. Quamuis hic præfatiuncula, vt ex chartofilacio publico exscripta est, exhibeatur, vt inspiciant qui Baianis dogmatibus addicti sunt, quot eorum de hæresæos labe iam damnata sint à facultate, metuantque illam iuris canonici sententiam 24. q. 1. *Qui hæresim iam damnatam sequitur, eius se damnationis participem facit*, quam in Achatium protulit Gelasius Pontifex

Porro ex hac præfatiuncula, licet obiter animaduertere, quorum zelo ac pietate facultas decreuerit in hanc doctrinam, Franciscanorum scilicet, qui & ipsi maximè egerunt apud Summùm Pontificem Pium V. vt postquam facultas Parisiensis præfulsisset & ipse Baij propositiones proscriberet. Quod demonstrare possumus ex Epistola Decani pro tempore sacræ Theologicæ Facultatis Duacenæ ad Fulgentium Louaniensem Doctorem, vbi ita de discipulis Scoti: verum tamen principem palmam ac trophæum de damnatis illis articulis numquam sinent sibi eripi, illi quibus iam in hanc ipsam palmam concessistis libello, cui titulus splendidus, *vulpes capta*, cap. 6. his Baij verbis: *Fratres Minores in Prouincia Flandriæ, qui nobis nil tale suspicantibus libellos nostros allegabant & improbabant, ad confratres Hispanos recurrerunt, per quos primum præiudicia, deinde post multam & longam sollicitationem, etiam Pij V. tempore incœptam. tandem à sanctissimo D. nostro Pio V. obtinuerunt Bullam datam Calendis Octobris 1567. in qua*

damnantur 76. sententiæ. Audis damnatas omnes, fatente Baio, scilicet, vt falsas, nam veritas non damnatur à Deo eiusque vicario. Hæc ibi: ex quibus magis confirmatur, quæ in hac secunda parte adstruere conati sumus, attamen quia multum his obstare existimatur Apologiæ liber *pro sanctis Patribus Ecclesiæ, gratiæ Christi defensoribus*: Quo multi detinentur in vinculis, ita vt etiam ad eum librum prouocent à se dissentientes, ipsum librum tantisper discutere nobis propositum est, cum ea moderatione quæ Theologum non dedeceat, inuocato priùs Christi auxilio ob cuius amorem, eius erga omnes animas amorem tueri suscipimus.



ARTICVLI DISPVTATI DE GRATIA.

TERTIA PARS.

LIBERATIO SANCTORVM Patrum ab Apologiâ pro ſanctis Patribus &c.

ARTICVLVS I.

Præludia & præſupponenda quædam.

VT numquam Ianſenij & Baij Diſcipulis argumenta deſint, quibus credant vel ſe expugnare poſſe ſibi repugnantes, vel tueri ſe laceſſitos, ex totâ, vt autumant, antiquitatis, gazâ ,certam authoritatum ſupellectilem congeſſerunt, atque etiam ordine digeſſerunt in volumine inſignito gallicè. *Apologia pro ſanctis patribus Eccleſiæ, defenſoribus gratiæ Chriſti.* In cuius libri frontiſpicio incidunt in decretum

Cōcilij Tridentini *seſſ*.4.tacito nomine authoris, vnde cum Tertuliano l. 4. contra Marcionem, *Poſſem hic gradum figere non agnoſcendum contendens opus, quod non erigat frontem, quod nullam conſtantiam præferat, nullam fidem repromittat de plenitudine tituli & profeſſione debita authoris*. Hanc autem non minus victricem & inexpugnabilem cenſent Apologiam quam gratiam Chriſti illic adſertam. Velut ouantes & triomphantes gloriantur in iſto opere, inſultantque cæteris à ſeipſis diſſidentibus, quos vbique fere Moliniſtas vocant; tantaque eſt eorum propter huius libri excellentiam, præſidentia, vt nuper ſcripſerit vnus ex eorum proſeucâ, in relatione geſtorum collationis habitæ hoc anno 1652. in Preſbyterio Sancti Sulpitij in Epiſtola huic relationi inſerta paginâ 27. & 28. librum huius Apologiæ vltimo ictu mortifero partem gratiæ ſufficientis & generalis feriiſſe, quæ vltimos ſpiritus exhalat. Verba gallica ſunt. *Dans le Liure de l'Apologie des Peres qui a donné le dernier coup mortel au party de la grace ſuffiſante & generale qui ne fait plus que palpiter*. Sed bene eſt quod ad internecionem deleti nonduū ſumus & quod adhuc tantiſper palpitemus, opitulante Deo, ſatis erit nobis ſpiritus ad concutiendum ſaltem, hoc vltimum Ianſeniſmi propugnaculum.

Quia vero in hoc opere multa ſunt controuerſiarum priuatarum capita contra duos Sorbonæ Doctores nouæ eorum Doctrinæ verbis ſcriptiſque maximè infenſos, Magiſtros Claudium *Morel* & Alphonſum *le Moine* & alios

quoſdam, illa capita intacta relinquimus, quod ob multam illorum ſapientiam & eruditionem, nemo ipſiſmet poſſit eſſe melior cauſæ ſuæ defenſor ac patronus. Eaque tantum tractamus quibus aduerſantur Sanguini Chriſti pro omnibus effuſo, ac gratiæ ſufficienti nullo adulto ac rationis compoti denegatæ. Id vnum maximè intendentes, quaſi ſolam facti quæſtionem agitaremus, inefficaces eſſe eorum probationes, nec rectè ac vere inferri ex ipſis illud quod intendunt, oſtendere.

Præſupponimus autem quæ alias ſcripſimus, triplicem eſſe fructum aut beneficium mortis Chriſti, ſeu quod in idem recidit, triplicem eſſe gradum Redemptionis humani generis quam Chriſtus moriendo præſtitit. Primus eſt gradus Redemptionis ſeu liberationis ab impotentiâ ſalutis conſequendæ, quam impotentiam omnes homines contraxerant ex peccato Adami, propter quod priuandi erant omni gratia ſufficienti & medijs ad vitam æternam obtinendam neceſſarijs. Secundus eſt gradus Redemptionis ab ipſo peccato per iuſtificationem. Tertius eſt gradus Redemptionis ab omni pœna & miſeria per collationem gloriæ & aſſequutionem beatitudinis alterius vitæ. Ex quibus tribus gradibus ſeu beneficijs ac fructibus, primũ tantũ de facto omnibus cõuenire aſſerimus loco & tẽpore.

Præſupponimus etiam per gratiam ſufficientem interiorem hic intelligi aliquam intellectionem ac ſimul piam voluntatis motionem quâ diuinitus impellatur anima ad faciendum ea quibus iuſtificetur, vel in iuſtificatione iam ha-

bita permaneat. Quæ gratia aliquando impellit ad ea facienda quæ ſunt tantum diſpoſitio remota ad iuſtificationem, vt eſt quilibet actus bonus præter actum charitatis, ex gratia elicitus: aliquando vero impellit ad actum qui eſt proxima diſpoſitio ad iuſtificationem, vt eſt actus contritionis perfectæ. Etſi enim Deus aliquos in momento per gratiam ſuam interiorem ad actum perfectæ contritionis aut charitatis attrahat: ille tamen modus agendi non eſt tam frequens ac ordinarius, quam alter, quo ſenſim à minus perfectis actibus ad perfectiores vocat, ſicut in rerum naturalium productionibus contingere ſolet. Vnde D. Proſper l. 2. de vocatione gentium c. 11. aſſerens quoſdam ab initio perfectiſſimâ gratiâ donari, ſubiungit. *Non facile tamen reperitur in exordio maturitas & in inchoatione perfectio.* &c. *Multoque numeroſior pars illa hominum eſt, cui particulatim, quicquid ſuperna largitas donat, accreſcit.* Legi poteſt Bellarminus l. 2. de *Naturâ & Gratia*. c. 5. & 7.

Ex hoc naſcitur prima diuiſio gratiæ ſufficientis tam ad iuſtificationem conſequendam, quam ad perſeuerandum in eadem iuſtificatione vſque ad vltimum ſpiritum, in gratiam ſufficientem proximam & remotam, ſeu initialem & adultam: quarum vtraque ſubdiuiditur in auxilia ſpecialia, ſpecialiora & ſpecialiſſima, quæ alij vocant communia, ſpecialia & heroica: quarum etiam vtraque mediatè vel immediatè, eſt ſufficiens. Proxima quidem, quia illâ poſitâ ſine vlteriori gratia prærequiſita ex parte Dei, præter concurſum generalem, poteſt anima produ-

cere actum illum qui infert iustificationem per gratiam habitualem & sanctificantem, quia ex hypothesi est gratia sufficiens proximè: remota etiam est sufficiens ad iustificationem, quia si anima producat actum illum ad quem immediatè attrahit, statim datur ex liberali misericordia Dei altera gratia quâ producere valeat alterum actũ perfectiorem & illo producto si nondum sit vltima dispositio ad iustificationem, adhuc altera, quâ producat actum proximè disponentem ad ipsam iustificationem, vt sic anima in minimo fidelis supra multa constituatur & gradatim sanctificetur: sic enim rectè scriptum est ab Enodio lib. 5. Epist. 14. *Diuina beneficia gradibus semper accedunt, & quibus bona conferunt meliora pollicentur.*

Porro ex hoc fit, aliquando patres scribere aliquem non habere gratiam (proximam intellige) ad actum, vel fidei vel charitatis, vel alterius virtutis heroicæ, qui tamen non desinit habere gratiam sufficientem remotam, ad eosdem actus, quia talis est rerum supernaturalium dispositio, vt si gratia sufficiente qua donatus est rectè vteretur vt potest, hæc gratia illi concederetur ad prædictos actus fidei, charitatis, aut virtutum heroicarum: ita Deus vnumquemque statim non vocat ad sublimiora legis præcepta, vt patet ex Discipulis quos Christus in monte de beatitudinibus docebat Math. 5. de quibus dixit D. Augustinus de sermone Domini in monte. *Cum autem minora minoribus, maiora maioribus dantur, ab eo dantur, qui solus nouit congruentem suis temporibus exhibere medicinam, &c.* Quare iure

prima gratia sufficiens data supernaturaliter ad quemlibet actum pium, qui sit quædam inchoatio vitæ spiritualis, etiam si esset ad orandum dumtaxat, dici potest semen cæterarum omnium gratiarum, imo & ipsius gloriæ æternæ, quia ista omnia in prima illa gratia continentur: sicut ingens arbor cum ramis, folijs & fructibus continetur in surculo vel semine, & cum Deus ex meritis Christi, dat primam illam gratiam sufficientem, cēsendus est virtualiter dare gratias cæteras & ipsammet gloriam. Quemadmodum qui dat semen, virtualiter dat arborem quæ ex eo pullulat, quo solo titulo, quãuis alij non desint, quamuis Christus solum mortuus esset pro reprobis ad acquirendam illis gratiam hanc remotè sufficientem, iure dici posset pro eorum æterna salute mortuus, quandoquidem æterna illa salus virtute continetur in prima gratia sufficiente, quemadmodum & continetur in mediis externis Sacramentorum, quæ pro omnibus instituit, & quibus ex merito passionis virtutem sanctificandi animas & ad beatitudinem perducendi acquisiuit. Quare non satis consequenter scribit R. Iprensis lib. . de gratia Christi c. 21. vbi tam ambiguè loqaitur de morte Christi pro reprobis: vbi contra morem suum parum constanter scribens, dicit, quod si Christus pro reprobis mortuus est, tantum mortuum fuisse pro acquirendis illis *quibusdam iustitiæ temporalis effectibus*: cum enim in illis effectibus iustitiæ temporalis seu gratiæ non perseuerantis vsque ad finem ius ad gloriam æternam includeretur, non est ambigendum quin si mortuus sit pro iis iusti-

tiæ effectibus quos recipiunt plures reprobi, etiam pro eorum æterna salute mortuus sit, non tantum sufficienter, sed etiam efficienter, à qua tamen exciderunt suâ culpa: quemadmodum si quis laborasset ad acquirendum ius alicui ad hæreditatem, existimari etiam posset laborasse pro acquirenda illi hæreditate, quamuis ex aliquo casu eam non possedisset vnquam.

Aduertendum insuper gratiam sufficientem etiam si detur per modum actus transeuntis, relinquere nihilominus quoddam robur ac firmitatem maiorem in voluntate, quâ ad aliquod saltem tempus nobis absconditum, manet potentior ad ea quæ sunt salutis: ideoque eius virtus ad multa sufficit pro aliquo tempore, etiam si homo actu ab ea pulsari se non sentiat: si enim est hæc graitæ externæ, vt alicuius orationis & exhortationis efficacia, multo magis erit gratiæ internæ, quam Deus ineffabili, mirabili, occultâ & secretâ potestate producit, quia in sua entitate ineffabilis est, mirabilis occulta & secreta; sicut est Deus ipsemet, in quantum est author, & finis supernaturalis. Atque hoc cõfirmari vel illustrari potest, ex resolutione Tostati Abulensis q. 67. in cap. 18. Matthæi, quâ docet Angelum Custodem etiamsi in cœlo sit, nihilominus hominem custodire quia per ea quæ agit Angelus circa hominem quando manet cum eo, dicitur homo custodiri quando est Angelus absens, eo quod impressio facta ab ipso in homine durat aliquanto tempore, fortes enim impressiones durant aliquanto tempore post quam factæ sunt, sicut patet in motibus violen-

tis: nam mouetur lapis pulsus per impressionem factam quando emittitur de manu: & tamen postea diu durat impressio & mouetur nullo tangente: sic & in spiritualibus per impressionem factam ad bonum ab Angelo semel, manet homo aliquanto tempore inclinatus ad bonum: sicut si quis concipit nunc ab aliquo agente, feruorem ad orandum, durat homo aliquot diebus deuoté orans ex illo feruore; & tamen quamdiu durat impressio facta in passo, per quem ipsum mouetur, dicitur agere agens. Ex quibus colligimus hominem corroborari à Deo, etiam si non se actualiter inspirari sentiat, quia impressio quæ fit in eius voluntate per gratiam aliquam præuenientem, non est minoris virtutis quam ea quæ fit per operationem Angelicæ custodiæ; ita vt homo non debeatur haberi omnino derelictus à Deo, etsi pro aliquo tempore non experiatur in se illuminationes: & inspirationes diuinarum gratiarum.

Præsupponendum denique nomen gratiæ apud sanctos Patres valde esse æquiuocum & vt sunt, multa Dei dona, multipliciter admodum sumi. Nec sine causa. D. Petrus epist. 1 c. 4. vocauit gratiam Dei multiformem. Aliquando sumitur pro gratia actuali, aliquando pro habituali, aut sanctificante, aliquando pro gratia interna, aliquando & sæpé pro gratia externa, puta pro lege noua, aut pro prædicatione Euangelij. Aliquando pro gratia remota sufficiente quæ vlteriorem requirit, aliquando pro proxima: quam diuisionem aduersarij dum nolunt intelligere, sæpè hallucinantur: aliquando sumitur pro fide, vt cum

D. Augustinus in Enchyridio cap. 16. dicit de libero arbitrio, nec omnino per seipsum, sed per solam Dei gratiam, *quæ in fide Christi* posita est, liberatur; vt voluntas, sicut scriptum est, à Domino præparetur, quâ cætera Dei munera captātur per quæ venitur ad munus æternum. Dum autem Baiani semper intento suo nomen gratiæ adaptant, non habito respectu ad antecedentia, aut consequentia, maximam confusionem induxerunt, quâ simplices facilè decipiuntur in eorum vltimâ Apologiâ, in quâ plerosque ex sanctis Patribus contra eorum mentem incluserunt, & vt *creatura vanitati subiecta est non volens*, inquit Apostolus ad Rom. 8. sic illi errori tuendo inseruiunt, contra propriam mentem, inuiti ac nolentes, vt pietas sit, exosa illis non futura, si ex illa Apologia tamquam ex tenebricoso quodam limbo virtute saluatoris Domini nostri Iesu Christi liberentur.

ARTICVLVS II.

An cœptum opus censuræ an. 1649. Calendis Iulij in facultate Parisiensi, sit maximè irregulare, iniustum, & violentia plusquam tyrannica.

ITa censet Author Apologiæ in sua Præfatione postquam multum & variè exagitauit illustrissimum Episcopum Vabrensem: verumtamen ex iis quæ sincerè diximus in 1. parte huius ope-

ris art. 1. ſatis manifeſtum eſt prudenti cuique rerum æſtimatori nihil contra aut præter ordidinem Sacræ Facultatis intentatum fuiſſe aut à venerãdo D. Syndico, aut à Deputatis, aut ab ipſa facultate, itavt ſi quid factitatum eſt quod tam funeſta epitheta mereatur, illis imputandum ſit, per quos motâ contentione germanorum rixæ non multum abſimili, & turbatis ordinibus, libertas comitiorum, raro exemplo, violata eſt: itavt propter ea, iam opus ſit eaſdem quinque propoſitiones in curiâ Romanâ ad quietem Reipublicæ Chriſtianæ iudicari: quod obnixè poſtulauerunt à Summo Pontifice Innocentio decimo, Galliæ Epiſcopi pluſquam octuaginta, quod harum propoſitionum diſceptatio ſit periculoſior, ac contentio ardentior. Atque hic eſt fructus clamoſæ huius & intempeſtiuæ contentionis: ſed vt bene ſcriptum eſt ab Alberto Magno in cap. 13. Danielis: *Contentioſorum mos eſt clamore velle vincere.* E contra vt ſcitè monuit Vincentius Lirinenſis commonitorij 1. parte, cap. 9. *Mos iſte ſemper in Eccleſia viguit, vt quo quiſque foret in Eccleſia religioſior, eo promptius nouellis adinuentionibus contrairet: exemplis talibus plena ſunt omnia.*

At, inquit, Apologiſta, tunc agebatur de damnando D. Auguſtino, per Moliniſtas eius aduerſarios ac iudices conſtitutos: ſcilicet tantum obcæcata erat facultas, vt ſancti Doctoris Auguſtini, in quem ſemper propenſa fuit, præiudicia aut non poſſet diſcernere, aut non vellet auertere, ſi quicquam Doctores ab ea ſelecti quicquam cenſuiſſent contra eius animum.

Sed vt inter ipsos aderam, meâ intereſt rationem aliquam reddere eorum quæ in eo doctiſſimorum (me dempto) deputatorum cœtu dicta ac audita ſunt, prout aliqua eorum memoriæ commendare potui, quibuſdam nihilominus additis quæ forſan locum ſuppleant eorum quæ è memoriâ minus tenaci exciderunt, itàut nec omnia, nec ſola hic referam.

I. PROPOSITIO.

Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus & conantibus ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoßibilia, deeſt quoque ijs gratia qua poßibilia fiant.

Judicium Deputatorum.

Hæc doctrina eſt hæretica.

MOti ſunt Deputati facultatis ad infligendã hanc notam, ex eo, maximè quod doctrina eſt cenſenda hæretica, quæ euidenter aduerſatur ſcripturis Sacris & doctrinæ Conciliorum generalium: ac talis eſt doctrina huius propoſitionis Ianſenianæ: ergo &c. Maior reuocari non poteſt in dubium. Minor probatur quia 1. Ioan. 2. dicitur *& mandata eius grauia non ſunt*. Et Chriſtus dicit de lege ſuâ Matth. 11. *Iugum enim meum ſuaue & onus meum leue*: At ſi eſſent impoſſibilia & deeſſet pluribus

gratia, qua possibilia fierent, verè grauissima essent, nec iugum suaue aut onus leue dici deberent. Rursus huius propositionis doctrina pugnat ex diametro cum doctrina Concilij Tridentini sess. 6. de iustif. c. 11. *nemo temeraria illa & à patribus sub anathemate prohibita voce vti* (supple debet) *Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum impossibilia. Nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet & facere quod possis & petere quod non possis* (ex D. Augustino l. de nat. & gratia c. 43.) *& adiuuat vt possis.* & can. 18. *si quis dixerit Dei præcepta homini etiam iustificato & sub gratia constituto, esse ad obseruandum impossibilia, anathema sit.* Quem canonem non euitant nescio quid distinguentes de homine sub gratia constituto, quasi non essent sub gratia constituti, quicumque volunt & conantur Dei mandatis obtemperare, cum voluntas illà & conatus non sit aliunde quam ex ipsa gratia excitante. Nec prodest aliud effugium quo contendunt Concilium Tridentinum damnasse assertionem de impossibilitate mandatorum tantum in eo sensu in quo defendebatur à Luthero. Enimuero quicquid sit de canone Concilii, at doctrina capitis præcitati, absolute damnat asserentes mandata esse impossibilia & damnat in eo sensu in quo damnarunt patres antiqui qui de Luthero ne somniauerunt quidem. Nemo, inquit, temeraria illa voce *& à patribus sub anathemate prohibita* &c.

Nec formidandum erat si facultas tota abiret in sententiam Deputatorum suorum, ne probi

viri & Magistri sapientissimi ipsi D. Augustino stigma censorium inurerent, vt metuebat quidam ex Iansenij Gregalibus: quasi D. Augustinus mandata esse impossibilia censuisset, docuissetque. Sufficit enim ad vanam hanc formidinem repellendam sola auctoritas Concilij Tridentini, quod ipsiusmet D. Augustini auctoritate vtitur fulcitque illius axiomate doctrinam de possibilitate præceptorum diuinorum: tantum abest vt vnquam putauerit eum esse in contraria sententia.

Et reuera nihil apertius est in libris illius. Serm. 61. de tempore sic loquitur de Deo. *Nec impossibile aliquid potuit imperare qui iustus est: nec damnaturus est hominem pro eo quod non potuit vitare, qui pius est.* l. de fide contra Manichæos c. 10. *Quis non clamet stultum esse dare præcepta ei cui liberum non est quod præcipitur, facere, & iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas iussa complere? Has iniustitias & iniquitates miseri* (Iansenistæ) *non intelligunt Deo se adscribere.* l. de duabus animabus contra Manichæos c. 11. *Nec hi libri obscuri scrutandi mihi erant vnde dicerem neminem supplicio dignum qui aut id velit quod iustitia velle non prohibet: aut id non faciat quod facere non potest. Nonne ista cantant & in montibus pastores & in theatris poetæ, & indocti in circulis & docti in Bibliothecis & Magistri in Scolis & antistites in Sacris Locis & in orbe terrarum genus humanum?* Item initio Ps. 56. sed pluribus huiusmodi textibus ex D. Augustino exscribendis supersedeo, quod hi quibus hi textus ad introspiciendam eius men-

tem non sufficerint, vere cœci habendi sunt.

Sed indagarunt quosdam alios textus obscuriores in quibus se melius perspicere putant sententiam D. Augustini quam in textibus præcitatis luce meridiana clarioribus. Sic l de Gratia & Libero Arbitrio c. 17. scribit. *Qui ergo vult facere Dei mandatum & non potest, iam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc paruam & inualidam: poterit autem cum magnam habuerit & robustam.* Sed huiusmodi nebulæ quibus illorum animi inuoluuntur, distinctione duplicis potentiæ proximæ & remotæ dispelluntur. Omnes scilicet possunt vel potentiâ proximâ vel remota præcepta Dei adimplere: aliqui non possunt potentia proxima, qui remota possunt: sicut qui supinus iacet, currere potest potentia saltem remota, quia potest surgere, vt proximè currere valeat. Sic qui habet adhuc voluntatem inualidam, elicere potest actum robustiorem voluntatis, & qui ita tepidè orat vt non obtineat, feruentius orare potest vt obtineat media potentiora ad mandata adimplenda.

Quare huiusmodi obiectiones remoram inijcere non potuerunt, quo minus doctrina huius primæ propositionis de hæresi notaretur absque offensione D. Augustini, cuius honori multo melius consulitur à nobis quam ab istis, cum eum patronum esse volunt huius doctrinæ qua fides ortodoxa & morum pietas valde labefactaretur. Vnde & anno 1522. hæc Lutheri assertio, *qui negat Deum impossibile iussisse pessimè facit & qui hoc falsum esse dicit plusquam pessimè facit*, sic notata est à facultate Parisiensi.

Hæc

Hæc propositio est scandalosa, impia, Legis Christianæ infamatiua ac authore Augustino in Deum blasphæma.

II. PROPOSITIO.

Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

Judicium Deputatorum.

Hæc propositio est contraria sacris scripturis.

NIhil modestius dici poterat in hanc propositionem, quæ vtinam vera esset, non tot impijs & peccatoribus scateret mundus, nec tot animæ ignibus sempiternis comburerentur, nec tot iniurijs Dei honor violaretur. Sed nec quicquam verius cum toties in scripturis sacris conqueratur Deus de neglectu gratiarũ suarũ. *Quoties*, inquit Christus Matt 23. *volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas & noluisti?* Act. 7. D. Stephanus eo nomine increpabat Iudæos. *Vos semper Spiritui sancto resistitis sicut patres vestri ita & vos* Qui locus non potest intelligi de solâ gratiâ exteriori cum Spiritus Sancti operatio potissimum sit in corde hominis. D. Paulus ad Hæbr. 12. *contemplantes ne quis desit gratiæ.* 2. cor. 6 *exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* Quid pluribus in re apertâ opus est? Soline sancti sunt baiani qui nun-

quam deſunt gratiæ Dei. Sed & ſi nunquam reſiſtitur gratiæ interiori, cur ipſi ac ipſorum deuoti ac deuotæ accuſant ſe aliquando de neglectu inſpirationum diuinarum mentiunturne tunc? Cur Deus tantopere conqueritur de impijs, prou. 1. *vocaui & renuiſtis.* &c. Vt propterea ſe eos in interitu ſuo irriſuros, id eſt, æternis tormentis cruciaturos minetur?

Nec D. Auguſtinus aduerſatur in hac parte. Sic enim loquitur l. 83. quæſt. quæſt. 68. ad *illam cœnam neque omnes qui vocati ſunt venire voluerunt, neque qui noluerunt venire alteri debent tribuere, ſed tantum ſibi, quoniam vt venirent vocati, erat in eorum libera poteſtate.* Sed quoties ipſe in libris confeſſionum oſtendit ſe motibus diuinæ gratiæ reſtitiſſe, cum tamdiu procraſtinabat ac remorabatur conuerſionem. Parum in lectione horum librorum verſati ſunt, qui id non deprehendant.

Quod vero dicat D. Auguſtinus l. de prædeſtinat. ſanctorum c. 8. *hæc itaque gratia quæ occultè cordibus humanis diuinâ largitate tribuitur à nullo duro corde reſpuitur: ideo quippe tribuitur vt cordis duritia primitus auferatur*, non ibi ſermo eſt D. Auguſtino de Gratia quacumque interiori, ſed de quadam gratia particulari. *Hæc itaque gratia*, inquit, hæc ſcilicet quæ datur ſecundum propoſitum, id eſt, intuitu prædeſtinationis & cum præparatione eorum mediorum quæ Deus nouit infaillibiliter effectum fœlicem ſortitura. Huic gratiæ etſi poſſint ſancti reſiſtere, nunquam tamen vſque ad finem reſiſtunt. Cum quo ſtare poteſt quod al-

teri gratiæ ſæpius reſiſtant homines.

III. PROPOSITIO.

Ad merendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceßitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

Iudicium Deputatorum.

Hæc doctrina deſtruit rationem meriti & demeriti & eſt hæretica.

SI error eſt in cenſura tertiæ huius propoſitionis, totus reijciendus eſſet in principem Theologorum D. Thomam, ex quo de verbo ad verbum deprompta eſt. Sic enim ille quæſt. 6. *de malo*, articulo vnico: vbi excutiens aduerſariorum ſententiam antequam naſcerentur, ſic de ea cenſuit. Dicendum quod quidam poſuerunt, quod voluntas hominis ex neceſſitate mouetur ad aliquid eligendum: nec tamen ponebant quod voluntas cogeretur: non enim omne neceſſarium eſt violentum, ſed ſolum id cuius principium eſt extra. *Hæc autem opinio eſt hæretica*: tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur eſſe demeritorium vel meritorium, quod aliquis ſic ex neceſſitate agit vt vitare non poſſit: eſt etiam annumeranda inter extraneas philoſophiæ opiniones, quia non ſolum contrariatur fidei, ſed ſubuertit omnia principia Philoſophiæ Moralis.

Si enim non ſit liberum aliquid in nobis, ſed ex neceſſitate mouemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum & punitio; laus & vituperium: circa quæ Moralis Philoſophia conſiſtit. Huiuſmodi autem opiniones quæ deſtruunt principia alicuius partis Philoſophiæ dicuntur poſitiones extraneæ: ſicut nihil moueri, quod deſtruit principia Philoſophiæ naturalis. Ad huiuſmodi autem poſitiones ponendas inducti ſunt aliqui homines, partim quidem propter proteruiam, partim propter aliquas rationes Sophiſticas, quas ſoluere non potuerunt. Hæc Doctor Angelicus, cuius doctrina ore ipſius Chriſti commendata eſt & toti Eccleſiæ iamdudum probata, vt non temerariè egerint deputati ipſius cenſuram innouando, cum error quem tam acriter & tot rationibus impugnat, non ſit minus arguendus in hoc ſæculo, quam in illo in quo ſcribebat D. Thomas. Cuius ſententiæ ſi addatur cenſura Facultatis Pariſienſis anni 1560. die 27. Menſis Iunij in quo extraordinariè & extra primum diem Menſis, vt ſolet aliquando in rebus magis arduis congregata per iuramentum apud Collegium Sorbonæ in materia fidei, ſimilem propoſitionem de concordia libertatis & neceſſitatis, ſimili hæreſos nota inuſſit pluries, iudicabit facile quilibet mentem facultatis ipſius quæ conſtanter ſuis decretis inhæret, aſſequutos fuiſſe deputatos in hac cenſuræ nota: Cuius etiam Doctrinæ non mediocriter fauet D. Auguſtinus diſp. 1. contra Fortunatum. Vbi nducit animam Deum ſic alloquentem vt ſe

immunem à peccato asserat, si ex necessitate peccauerit. *Quid peccaui*, inquit anima, *quid merui, quid me expulisti de regnis tuis? corrupta sum, non est mihi seruatum Liberum Arbitrium, tu nosti necessitatem quâ pressa sum: cum ergó noueris necessitatem qua hic oppressa sum, quâ respirare non potui quid me accusas quasi peccantem?* Nec ad rem est, quod idem sic scribit l. 3. de Libero Arbitrio c. 18. *sunt etiam necessitate facta improbanda vbi vult homo rectè facere & non potest.* Cum eo loci sermonem habeat de concupiscentia, quam Metaphoricè peccatum vocat, quemadmodum sermo dicitur lingua, quod sit effectus peccati vt ibidem semetipsum interpretatur. Qua de re satis dictum est à nobis in secunda parte huius operis.

IV. PROPOSITIO.

Semi-Pelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant heretici quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset hnmana voluntas resistere vel obtemperare.

Iudicium Deputatorum.

Prima pars huius propositionis est falsa & temeraria. Secunda vero quæ asserit heræticum esse admittere gratiam cui possit humana voluntas resistere, est hæretica.

IN duas partes diuisa est hæc propositio & in vtramque pro merito animaduerterunt

Deputati. Primæ falsitatis & temeritatis notam affixerunt, quod vellet aliquid astruere contra communem & receptam ab omnibus veram sententiam, idque sine graui aliqua ratione aut authoritate, quod vocatur temerarium. Excussæ sunt in comitijs ac diligenter examinatæ D. Prosperi, tum D. Hilarij Arelatensis Episcopi ad D. Augustinum Epistolæ, quod ijs mens Massiliensium seu Semi-Pelagianorum contineretur, ex ijsque pateret apertè eos initium fidei & bonorum actuum ad naturalem hominis facultatem vel ad prædicationem verbi externam retulisse, non ad præuenientem gratiam interiorem. Sic enim habet D. Prosper de Massiliensibus.

1. *Atque hanc gratiam qua in Christo renascimur peruenire per naturalem scilicet facultatem petendo, quærendo, pulsando.*

2. *Et ad hoc salutis donum* (de Baptismo loquitur) *omnes homines vniuersaliter siue per naturalem, siue per scriptam legem, siue per Euangelicam legem vocari.*

3. *Qui ex Libero Arbitrio aut faciant quæ iubentur aut negligant.*

4. *Et quantum quisque facultatis ab bonum, quantum habeat ad malum.*

5. *Nec considerant se gratiam Dei quam comitem non præuenientem volunt esse meritorum etiam illis voluntatibus subdere quas ab ea secundum suam Phantasiam volunt esse præuentas*, Intellige hoc vltimum, per naturalem legem vel prædicationem.

6. Loquens de infidelibus. *Quando quidem*

inexcusabiles sint qui & ad vnius veri Dei cultum instrui potuerint intelligentia naturali.

7. Cum duo sint quæ humanam operantur salutem, Dei scilicet gratia & hominis obedientia, *Priorem volunt obedientiam esse quam gratiam, vt initium salutis ex eo qui saluatur, non ex eo qui saluat credendum sit stare & voluntas hominis diuinæ gratiæ sibi pariat opem non gratia sibi humanam subijciat volontatem.*

8. *In istis Pelagianæ prauitatis reliquijs non mediocris virulentiæ fibra nutritur si principium salutis male in homine collocatur.*

Ex quibus omnibus vel cæcis ipsis elucescere potest, Semi Pelagianorum errorem in eo fuisse quod exclusa gratiæ interioris necessitate solam facultatem naturalem ac auxilia exteriora Legis ac Prædicationis sufficere putarent ad initium salutis, quam proinde facultatem naturalem nomine initialis gratiæ intelligebant.

Ac de ijsdem sermonem habens D. Hilarius. *Vnde consequens putant exhibendam ab eo fidem: cuius naturæ id voluntate conditoris concessum est, & nullam ita deprauatam vel extinctam putant, vt non debeat vel possit se sanari.*

Quod vero in eadem Epistola habeatur. *Cæterum ad nullum opus vel incipiendum vel perficiendum quemque sibi sufficere posse consentiunt*; Id ita est, quod Semi-Pelagiani distinguebant inter actus & opera, inter actum & opus vt ex adiunctis verbis manifestum est. *Neque enim alicui operi curationis annumerandum putant,*

exterrita & supplici voluntate vnum quemque ægrotum velle sanari. Sic igitur prærequirebant gratiam ad bona opera exteriora adimplenda, nullam vero requirebant ad bonos actus interiores, piorum scilicet desideriorum ac actuum fidei, sufficientes ad id vires putabant esse naturales solas voluntatis omni gratia supernaturali interiori etiam denudatæ. Ex qua sola proinde discretionem reproborum ac electorum repetebant. Ex cuius discriminis oscitabunda inconsideratione profluxit Iansenistarum hallucinatio. Quæ proinde merito à Deputatis notata est.

Nec illorum causæ patrocinatur, quod Gennadius de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 19. aliqua intermisceat de inspiratione Dei, dum sensa sua aperit, ipse Semi-Pelagianus. Nec enim ibi loquitur de primo voluntatis pio motu, de quo est controuersia. Nec loquitur de ista inspiratione tanquam necessaria esset, quod est alterum caput controuersiæ. Et rectè annotat Cuikius Episcopus Ruremondensis in annot. ad Cassiani Libros, Semi-Pelagianum Chæremonem docere quædam bene geri ex præueniente gratia, quædam sine illa. Quod scilicet necessitatem illam præuenientis gratiæ non admitterent.

Quod spectat ad secundam partem censuræ, iure quodam talionis vsi sunt Deputati. Vnde enim illis emanauit hoc priuilegium, vt fideles omnes qui hactenus existimauerunt plures ex hominibus parum fideliter gratijs diuinis cooperari, Semipelagianos ac hæreticos nuncupent,

ac eorum ſententiam Catholicam vt hæreticam traducere audeant, ipſorum vero ſententia etiam poſt definitionem Concilij qua lucidè damnatur, intacta manebit, & non licebit illam proprio nomine donare, quod eſt hæreſis? An obſcura ſunt verba Concilij Tridentini ſeſſ. 6. de Iuſtific. cap. 5. *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abijcere poteſt, neque tamen ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit.* & can. 4. eiuſdem ſeſſionis, *ſi quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam iuſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet, neque poſſe diſſentire ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſiuè ſe habere, anathema ſit.* Vel hoc ſolo canone fulminatur ſententia ſequacium Ianſenij, ita vt vel Ianſenius debeat cædere authoritati Patrum Tridentinorum, vel ipſi Patres Tridentini Ianſenij ſententiæ: ex quibus duobus, vtrum ſit æquius, iudex eſſe quiuis poteſt.

Nec enim cauillationes, quibus huius canonis authoritatem infringere, quidam conantur, minus quam ridiculæ ſunt. Poteſt diſſentire ſi velit, ſed numquam volet inquiunt, at propoſitio notata, non eſt de actu, ſed de poſſe: ſed & ſi de actu ipſo ageretur, cum ſint innumeræ hominum voluntates omnes variæ & ferè inconſtantes, quî fieri poſſet, vt nulla diſſentiret actu ex innumeris voluntatibus hominum, quæ tamen

dissentire possent? sed & quis posset dicere homini ex necessitate quadam ab externo agente determinato ad aliquid agendum, potes non agere si velis? aut quo sensu dici possit insuperabilis illa gratia, ad hominem loquor, si ex Concilio, voluntas illi potest resistere?

Sed obstare videtur quod asserit D. Augustinus l. de correptione & gratia, cap 11 & 12. vbi statuit discrimen inter adiutorium datum primo homini in statu innocentiæ, & adiutorium eidem datum in statu naturæ corruptæ, in quo voluntas humana per peccatum sauciata & denudata ijs virtutibus quibus in paradiso vestita erat conditoris largitate, potentiori quodam adiutorio indiget, de quo sic loquitur. Subuentum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia *indeclinabiliter atque insuperabiliter* ageretur, & ideo quamuis infirma, non tamen deficeret, neque aduersitate aliqua vinceretur: & post pauca Fortissimo (supple Adamo) dimisit atque permisit facere quod vellet, infirmis seruauit, vt ipso donante *inuictissimè*, quod bonum est vellent, & hoc deserere *inuictissimè* nollent: ex quo conficitur voluntatem humanam in præsenti statu naturæ corruptæ adiutorio Dei non posse resistere.

A quibusdam soluitur difficultas ista grauis, asserendo synonima esse apud D. Augustinum indeclinabiliter, inuictissimè ac certissimè, sicut cum l. de Perseuerantia, cap. 14. definit Prædestinationem, præparationem beneficiorum Dei *quibus certissimè liberantur quicumque liberantur*. Vbi æque potuisset dicere, quibus inuictissimè

liberantur quicumque liberantur : sicque hac via effugium patet difficultati : attamen quia in eodem libro de correptione & gratia cap. 11 vocat D. Augustinus eam gratiam potentiorem, primam, quæ data fuit primo Adam in statu innocentiæ, ideo considerandum est D. Augustinum statuere discrimen inter gratiam status innocentiæ & gratiam status naturæ corruptæ, quod illa daret tantum posse agere, non velle: quia scilicet gratia status innocentiæ in sola illuminatione intellectus consistebat, cum voluntas nullis adhuc acta concupiscentiæ stimulis motione non indigeret, nihil enim vt loquitur ibidem D. Augustinus *concupiscentialiter ex seipsa illi resistebat*: at gratia status præsentis potentior est in eo quod præter illuminationem adhuc inspirationem cõtineat, quâ moueatur voluntas ad bonum contra impetus concupiscentiarum, quæ à bono ipsam retrahunt. Quare dicit D. Augustinus gratiam illam dare non tãtum posse, sed etiam velle. Quod vero dicat illâ inuictissimè ac insuperabiliter agi hominem, considerandum est D. Augustinum in eo loco instituere comparationem prædestinati cum Adamo & gratiam prædestinati in eo potentiorem asserere, quod per eam tamdem & finaliter superatis omnibus aduersis perseueret vsque ad mortem quod Adamo in statu innocentiæ non contigit. Sic enim D. Augustinus concludit profundam istam ratiocinationem c. 13. *Hæc de his loquor qui prædestinati sunt in regnum Dei, quorum ita certus est numerus, vt nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis: non de his, qui cum annuntiasset & loquutus esset, mul-*

tiplicati sunt super numerum, ipsi autem vocati dici possunt non autem electi, quia non secundum propositum vocati. Cuius discriminis radicem refert in Dei gratiam, voluntatem ipsam proximè excitãtem in prædestinatis, ita vt detur eis gratia bonæ ac piæ volitionis, quâ mediante perseuerent, cũ Adamo non sit data illa gratia piæ necessariò volitionis, sed perseuerantia relicta sit in eius arbitrio ac voluntate, quæ tales vires habebat, cum sine vllo fuisset instituta peccato & nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resisteret, vt facile perseuerare posset, non addita illa gratiâ piæ ac bonæ volitionis: quâ gratiâ insuperabiliter aguntur prædestinati duplici sensu. Primo quia resistere non possunt isti gratiæ quoad primùm & formalem eius effectum, qui est motam esse & inclinatam eorum voluntatem ad bonum perficiendum, inuincibiliter enim mouetur eorum voluntas ad bonum; nec possunt facere quin mota sit, cum sit iste effectus formalis gratiæ prę-uenientis & excitantis in statu naturæ corruptæ, cuius infirmitas maioribus donis adiuuanda remansit quam in statu naturæ innocentis cui gratia illuminationis satis erat: possunt autem resistere absolutè secundo eius effectui qui est exequutio, & adimpletio boni ad quod inclinantur, licet hypoteticè & ex suppositione quod gratia illa piæ inspirationis data sit secundum propositum, id est ex intuitu & præuisione prædestinationis, & cum præparatione illorum mediorum ac beneficiorum, *quibus certissimè liberantur quicumque liberantur*, quæ Deus præuidit effectum habitura, illi finaliter resistere non possint, sed

inuictè per illam perseuerent. Vnde nascitur pax & concordia inter Concilium Tridentinum & D. Augustinum, quia illud intellexit liberum hominis arbitrium seu voluntatem resistere posse gratiæ quoad secundum eius effectum non adimplendo bonum ad quod excitatur: Hic vero intellexit voluntatem hominis in statu corrupto non posse resistere gratiæ piæ volitionis quoad eius formalem & proximum effectum, qui est τὸ esse motam & inclinatam per adiutorium proximum supernaturale, quod Adamo non competebat, cuius voluntas immota remanere poterat, nonobstante gratia illuminationis; nec solum hoc sensit D. Augustinus, sed insuper intellexit non posse resistere hypoteticè, & ex suppositione prædestinationis, quoad secundùm eius effectum qui est finalis adimpletio & exequutio boni quod voluntati inspiratum est, licet absolutè posset resistere quoad illum effectum, sicut de facto resistunt qui non sunt secundum propositum & ex intuitu prædestinationis vocati, quod pluribus in locis asserit idem D. Augustiuus. Si quis tamen priorem solutionem præferre velit, vt quæ sit facilior, considerare potest gratiam in statu naturæ corruptæ potentiorem dici, quod proximè afficiat tam voluntatem quam intellectum.

V. PROPOSITIO.

Semipelagianorum error est, dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Iudicium Deputatorum.

Ista propositio est falsa, scandalosa, insimulans erroris veritatem Sacris. Scripturis contentam, & in Concilio Tridentino declaratam.

VT quâ æquitate & veritate notata sit per censuram hæc propositio, præsupponennendum Semipelagianos docuisse Christum pro omnibus esse mortuum, & ea de caussâ male audiisse ac reprehensos fuisse, quia non simpliciter vt verba sonant, istud docebant, verum etiam cum adiuncto: itavt mors Christi pro omnibus sufficeret omnibus ad salutem inchoandam sine vllo superaddito gratiæ interioris auxilio ex solâ voluntatis facultate naturali. Hoc enim sensu arguuntur Semipelagiani àD Prospero in Epistola ad D. Augustinum, *Vniuersis tamen hominibus*, inquit, *propitiationem quæ est in Sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam, vt quicumque ad fidem, & ad baptismum accedere voluerint salui esse possint*; *&c.* In qua propositione, pænes omnes esse asserebant Dominicæ mortis beneficium, vel repudiare, vel admittere ex propriis viribus sine gratiæ interioris adiuto-

rio, quia vim sufficientem esse putabant in solâ ac nudâ facultate naturali ad fruendum isto beneficio in baptismo aut iustificatione per aliud medium adueniente: sic autem merito arguenda venit hæc propositio: at si intelligatur, vt verba præ se ferunt, quod Christus mortem suam pro omnibus obtulerit, error non est, nec sic vnquam intellecta est à Semipelegianis. Vnde Deputati censuerunt propositionem in terminis acceptam, primo falsam esse, quia nec error est nec à Semipelagianis asserta vt error dici possit. Secundo censuerunt esse scandalosam quia exiguam charitatem Christi asserit & ab amando Christo non parum homines deterret: & si sola eius perfectio satis esse deberet ad inflāmanda eorum pectora, quæ est tamen hominum infirmitas, plures alliciuntur eo motiuo ad eum diligendum quod ipse prior eos dilexerit, cum pro omnibus mortuus sit. Tertio censuerunt eam erroris insimulare veritatem Sacris Scripturis contentam, & in Concilio Tridentino declaratam: tum quia nihil est euidentius scripturarum authoritate assertum, quam Christum pro omnibus mortuum fuisse, vt ex dicendis in hac tertia parte satis abundè patebit, ne pluries idem repetatur, quia hæc fuit mens Concilij Tridentini sess. 6. de Iustif. cap. 3. vbi contra Caluini sententiam declarat Christum mortuum fuisse pro omnibus, quod negabat Caluinus, nec obstare quod plures mortis eius beneficium iustificationis non recipiant; quia cum triplex sit beneficiū mortis Christi, seu triplex fructus passionis, aut triplex gradus redemptionis, iuxta superius dicta & alibi ex-

pressa, Concilium ibi loquitur de solo secundo beneficio, iustificationis scilicet, vt inspici potest ex titulo ipsi capiti infixo, tacetque de cęteris: Etsi ergo plures pro quibus mortuus est Christus, secundum beneficium passionis Christi non recipiant in iustificatione, quam numquam consequuntur, primum tamen beneficium recipiunt, quod est liberatio seu redemptio ab impotentia salutem operandi per gratiam sufficientem aut media omnibus parata, & proposita ex merito mortis illius. Quemadmodum ergo si dicerem Rex Galliæ omnes struma laborantes tetigit etsi non omnes sanati sunt, significarem eos etiam ab eo tactos fuisse qui non conualescerent; Pari modo magna Synodus dicens: *& si ille pro omnibus mortuus est, non tamen mortis eius beneficium recipiunt*, scilicet iustificationem, de qua sola ibi sermo est, vt indicat ipse titulus, significat etiam pro illis mortuum esse, qui non sunt iustificati: scilicet mortuus est Christus pro omnibus liberandis, vel ab impotentia salutem operandi in qua primario consistit ruina & captiuitas humani generis per Adamum innata, vel liberandis à culpâ ipsa per beneficium iustificationis, vel insuper etiam à morte & ab omni miseria ac calamitate per glorificationem. A primo gradu redemptionis nullus eximitur: à secundo & tertio extranei sunt qui primo non bene vtuntur; sic passio Christi omnibus prodest, licet non omnibus medeatur: & cum sanguis Domini nostri Iesu Christi pretium totius mundi sit, ab eo tamen extranei sunt, vt loquitur idem D. Prosper in responsionibus ad capitula Gallorum cap.
6. Qui

6. *Qui aut delectati captiuitate redimi noluerunt, aut post redemptionem ad eamdem sunt seruitutem reuersi.* Quæ etsi alibi copiosius dicta, iterum memoriæ obliuiosorum repræsentantur, quod hic articulus de morte Christi non bene intellectus ab aliquibus, veluti sit annulus, ex quo plurium errorum cathena pendet.

Vnde Iansenio incumbebat omnes ingenij neruos contendere ad hunc articulum solidissimè firmandum, ex quo maiores rumores & conquestus contra eius dogmata exoriri debebant, & tamen, vt annotarunt quidam ex deputatis, nullum fere dogma illius magis immunitum est, aut infirmius ab ipso probatur. Nam omisis iis quę punctũ difficultatis non attingũt, Maior vis probationum quas affert ex D. Augustino, est in hoc textu epist.102. *Non perit vnus ex illis pro quibus Christus mortuus est.* Vbi sanctus Doctor loquitur de iis qui gloriantur in cruce Christi, & à via crucis non recedunt, etiam si ignorent ea quæ subtilissimè disseruntur. Dicitque vnum ex istiusmodi hominibus non perire pro quibus Christus mortuus est, an propterea asserit non fuisse mortuum pro aliis? si quis diceret, non perit vnus ex Baij discipulis vere pœnitentibus pro quibus Christus mortuus est, an propterea negaret fuisse pro aliis Christum crucifixum? Quinimo D. Augustinus paulo ante in eadem epistola supra duas lineas, contrarium insinuat. *Nam si propter eos solos, inquit, Christus mortuus est, qui certa intelligentia possunt ista discernere, pene frustra in Ecclesia laboramus.* Quod alibi pluries & euidentius asserit.

pressa, Concilium ibi loquitur de solo secundo beneficio, iustificationis scilicet, vt inspici potest ex titulo ipsi capiti infixo, tacetque de cęteris: Etsi ergo plures pro quibus mortuus est Christus, secundum beneficium passionis Christi non recipiant in iustificatione, quam numquam consequuntur, primum tamen beneficium recipiunt, quod est liberatio seu redemptio ab impotentia salutem operandi per gratiam sufficientem aut media omnibus parata, & proposita ex merito mortis illius. Quemadmodum ergo si dicerem Rex Galliæ omnes struma laborantes tetigit etsi non omnes sanati sunt, significarem eos etiam ab eo tactos fuisse qui non conualescerent; Pari modo magna Synodus dicens: *& si ille pro omnibus mortuus est, non tamen mortis eius beneficium recipiunt*, scilicet iustificationem, de qua sola ibi sermo est, vt indicat ipse titulus, significat etiam pro illis mortuum esse, qui non sunt iustificati: scilicet mortuus est Christus pro omnibus liberandis, vel ab impotentia salutem operandi in qua primario consistit ruina & captiuitas humani generis per Adamum innata, vel liberandis à culpâ ipsa per beneficium iustificationis, vel insuper etiam à morte & ab omni miseria ac calamitate per glorificationem. A primo gradu redemptionis nullus eximitur: à secundo & tertio extranei sunt qui primo non bene vtuntur; sic passio Christi omnibus prodest, licet non omnibus medeatur: & cum sanguis Domini nostri Iesu Christi pretium totius mundi sit, ab eo tamen extranei sunt, vt loquitur idem D. Prosper in responsionibus ad capitula Gallorum cap.

6. Qui

6. *Qui aut delectati captiuitate redimi noluerunt, aut post redemptionem ad eamdem sunt seruitutem reuersi.* Quæ etsi alibi copiosius dicta, iterum memoriæ obliuiosorum repræsentantur, quod hic articulus de morte Christi non bene intellectus ab aliquibus, veluti sit annulus, ex quo plurium errorum cathena pendet.

Vnde Iansenio incumbebat omnes ingenij neruos contendere ad hunc articulum sollicitissimè firmandum, ex quo maiores rumores & conquestus contra eius dogmata exoriri debebant, & tamen, vt annotarunt quidam ex deputatis, nullum fere dogma illius magis immunitum est, aut infirmius ab ipso probatur. Nam omisis iis quę punctũ difficultatis non attingũt, Maior vis probationum quas affert ex D. Augustino, est in hoc textu epist. 102. *Non perit vnus ex illis pro quibus Christus mortuus est.* Vbi sanctus Doctor loquitur de iis qui gloriantur in cruce Christi, & à via crucis non recedunt, etiam si ignorent ea quæ subtilissimè disseruntur. Dicitque vnum ex istiusmodi hominibus non perire pro quibus Christus mortuus est, an propterea asserit non fuisse mortuum pro aliis? si quis diceret, non perit vnus ex Baij discipulis vere pœnitentibus pro quibus Christus mortuus est, an propterea negaret fuisse pro aliis Christum crucifixum? Quinimo D. Augustinus paulo ante in eadem epistola supra duas lineas, contrarium insinuat. *Nam si propter eos solos, inquit, Christus mortuus est, qui certa intelligentia possunt ista discernere, pene frustra in Ecclesia laboramus.* Quod alibi pluries & euidentius asserit.

Atque hactenus Theologica deputatorum iudicia, quæ dicas aquas Syloe, *quæ fluunt cum silentio* (Isai 8.) in quibus cæcus si lauet se, visum recipiat (Ioan. 9.) scilicet malleus & securis audita non sunt in domo Domini cum ædificaretur (3. reg. 6.) & Isaias dicit de Christo (c. 42.) vero Theologiæ Magistro , *Iudicium proferet gentibus , non clamabit , nec audietur vox eius foris.*

Supersunt duæ aliæ propositiones in eodem cœtu Deputatorum examinatæ, sed quia hæ spectāt ad pœnitentiam ; à me modo prætermittuntur , sicut & quæ disputat Apologista de authore librorum de vocatione gentium , quem vult esse scriptorem cuiusdam Epistolæ *ad Demetriadem.* cui tam remota narranti sine authoritate non credimus. Quæ autem perstringit in secunda parte , de mente Authoris librorum illorum de vocatione gentium , suo loco difficilia discutientur.

Interim concludimus nihil irregulare, aut iniustum , aut violentum plusquam tyrannicè , in molimine censuræ actum fuisse , quæ etsi effectum tūc non habuerit ob perturbatos ordines , speramus tamen gloriosius habituram , cum Summus Pontifex Innocentius decimus , vita comite, quid de istis quinq; propositionibus sentiendum sit, clarè & distinctè definierit : neque enim continget , vt cōstitutiones istas retractet, quibus Iansenij librum propositiones damnatas continere ad cautelam vniuersorū ipse post Vrbanum VIII. prædecessorem suum publicauit.

ARTICVLVS III.

Diluuntur obiectiones duorum priorum articulorum puncti 2. tertiæ partis Apologiæ circa mortem Christi pro omnibus.

NOn contendam, an voluntas antecedens de danda gloriâ æternâ omnibus hominibus fuerit tantum in Deo velleitas, non absoluta voluntas: mihi enim iam dudum placuit iste sensus, antequam apud nos controuersia ista moueretur; sed dũ istud volens cædo, aliud mihi, par pari referendo, concedant, Deum in hoc sensu voluisse antecedente voluntate omnium salutem, in quantum voluit absolutè omnibus dare aliqua media antecedentia ad salutem & ad eam sufficientia, iuxta quem modum spectatæ scientiæ Theologi plures de quibus postea, voluntatem Dei antecedentem de salute omnium interpretati sunt. Si enim inter nos de his conueniat, non in paucis concordiam inire poterimus, multasque cõtentionum inutilium radices euellemus, admissis enim ex vtraque parte quæ admitti possunt, in solo puncto controuersiæ hærebimus.

Sed vt ad rem propius accedamus, quia in pluribus Scripturæ locis asseritur Christum pro omnibus mortuum, ne cogerentur ex vi termini istius, *omnes*, agnoscere Christi charitatem ad omnes animas ad Dei imaginem creatas dif-

fusam aliquando fuisse, obiiciunt 2. puncto articuli 1. Scripturam Sacram sæpe vsurpare nomen *omnes* pro aliquibus duntaxat.

Respondeo nec præcisé ex vi termini istius, *omnis*, si solitarie sumatur, conuinci posse pertinaces disputantes, quod Christus pro omnibus nullo excepto, mortuus sit, sed conuinci posse ex quibusdam adiunctis isti termino, quæ adiuncta ostendunt nullum eximi posse. Sic verba ista 1. ad Timoth. 2. *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*: videntur intelligi de omnibus nullo excepto quia omnes mortui sunt in peccato originali. Sic verba ista 1. epist. Ioan. cap. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*, inferunt Christum obtulisse se victimam pro omnibus, nullo excepto propter particulam aduersatiuam, *non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*, maximè cum D. Ioannes non soleat loqui de mundo in bonam partem, scilicet de mundo electorum, sed in malam partem, asserens illum totum in maligno positum esse.

Obiiciunt in 2. art. Scripturam explicare nomen *omnes*, per nomen *Plurium* Math. 26, *hic est sanguis, &c. qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Marc 10. *Filius hominis venit dare animam suam redemptionem pro multis* ad Hebr. 9. *Christus semel mortuus est ad multorum exhaurienda peccata.*

Respondeo sæpè etiam Scripturam per plures intelligere omnes, vt cum ad Rom. 5. dicitur *Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in*

condemnationem: sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, &c. sed demus hæc loca intelligi debere ad litteram de multis, non de omnibus, sed tunc dicimus ibi agi de redēptione Christi quoad secundum gradum, qui non est communis omnibus, & verba ipsa hoc indicant, *Qui pro vobis effundetur in remißionem peccatorum*: nec enim temere scriptura hæc verba vsurpat, *in remißionem peccatorum*, aut ista *ad multorum exhaurienda peccata.* Vnde D. Bernardus hom. 2. super *Missus est.* Si enim nec folium de arbore, sine causa, nec vnus de passeribus sine Patre cœlesti cadit, putem ergo de ore sancti Euangelistæ superfluum diffluere verbum, præsertim in sancti historia verbi? non puto. Plena quippe sunt omnia supernis mysterijs, si tamen diligentem habeant inspectorem, qui nouerit sugere mel de petra oleumque de saxo durissimo. Scilicet diuersimodè Christus saluat homines, alios solum ab impotentia salutem operandi, in quâ maximè consistit captiuitas & seruitus hominum ex peccato Adami orta, alios etiam à remissione actuali peccatorum, alios insuper ab omni miseria corporis & animæ; nunc autem loquitur scriptura de vno modo, aliàs de altero modo, quod itidem obseruandum est in Patribus; videndum enim de qua salute & de quo gradu salutis loquuntur, quod dum non attendunt discipuli Iansenij multa obtrudunt, quæ eorum causam non iuuant, nisi apud eos qui non nisi in obscuritate tenebrarum degunt: atque hunc sensum

videtur sequi expresse, Dionysius Carthusianus in cap.10. Ioannis, quamuis in cap.20. Matt, aliam nec incongruam suppeditet solutionem, dicens Christum venisse dare animam suam redemptionem, idest, inquit, pretium liberatiuum pro *multis* hominibus non pro dæmonibus Quod autem obtenditur Scripturam sæpe asserere Christum pro ouibus suis animam posuisse iuxta illud Ioan. 10. *& animam meam pono pro ouibus meis*, idest vt interpretantur, pro prædestinatis: Quamuis istud admitteremus pro eorum voto, prædestinatos intelligi per oues Christi, hoc nihil ad controuersiam, cum omnes conueniamus Christum pro prædestinatis animam posuisse: & tantum inter nos decertamus, an non etiam pro reprobis animam posuerit de quo articulo altum est silentium in his locis Scripturæ: sed & Christum intelligere vtrosque sub nomine ouium suarum, satis demonstrat locus iste Ioannis 21. *Pasce oues meas, pasce agnos meos*: si enim solos prædestinatos hic intelligeret, Ecclesiam quàm Petri regimini subiecit Christus, ex solis prædestinatis coalescere, non malè inferrent Caluinistæ, quare non immerito Ambrosius Catharinus in annotationibus aduersus Caietanum pagina 275. eum arguit, quod illa verba de solis prædestinatis intellexit, quæ non dubito inquit esse falsa & periculosa, si enim Petro non esset mandata cura nisi super solis prædestinatis, profecto super alijs non habebit: quod est falsum & hæreticum: ad hæc ignoraremus, immo ipse ignorasset super quibus mandata esset ei cura, non enim

ſciebat, qui eſſent prædeſtinati, quod eſt ſtultum fateri. Atq; de eodem plura notari poſſunt apud Stapletonum tom. 1. controuerſiæ 2. l. 6..cap. 10. Vnde non eſt neceſſe excludere ab ouili Chriſti pro quo mortuus eſt, reprobos omnes; ſcilicet Chriſtus eſt magnus paſtor qui ouile magnum habet in quo oues ſunt ſanæ & ſcabioſæ, prædeſtinati & reprobi, & omnes committit Chriſtus vicario ſuo vt ex amore & charitate omnes paſcat, ſicut ipſe pro omnibus animam poſuit. Quid autem mirum, addit ibidem Catharinus, ſi & non prædeſtinati ouium vocabulo ſignificentur, quando etiam ſignificantur per regnum cœlorum quod ſagenæ comparatur bonos & malos congreganti? quare derogat ibi verbo Chriſti proculdubio reuerendiſſimus dicens quod ſecundum veritatem nemo rapit oues & non diſperguntur, cum Chriſtus docet, quod *venit lupus & rapit & diſpergit oues*, Hæc ille, quibus addimus, ſi Chriſtus de ijſdem ouibus dicat, *nemo rapiet eas de manu mea*, in hoc ſenſu ibi dictum eſſe, quod violenter & repugnantibus ac contranitentibus ouibus non rapiuntur à dæmone, cum vim ipſe non inferat, ſed tentando alliciat, animas quæ pereunt, cum nullus niſi volens peccet & damnetur iuxta illud Pſalmi 139. *Ne tradas me Domine à deſiderio meo peccatori.* Quia ſemper concupiſcentia & voluntas nos reos faciunt, vt commentatur Bellarminus in hunc Pſalmum. Denique totam hanc difficultatem iuxta mentem noſtram reſoluit Dionyſius Carthuſianus in cap. 10. Ioan. Vbi explicans quo

ſenſu dicat Chriſtus ſe animam ſuam ponere pro ouibus ſuis, id eſt electis: nam inquit, licet Chriſtus paſſus ſit,&ſatisfecerit pro omnibus ſufficienter, non tamen efficienter, quia in ſolis electis paſſio Chriſti fructificat per cõſequutionem ſui finalis effectus qui eſt ſalus æterna. Quibus verbis Doctor extaticus Rikelius videtur agnouiſſe plures eſſe diſtinguendos fructus aut effectus paſſionis Dominicæ, licet clarè non expreſſerit, cum enim loquitur de vltimo illius effectu ſupponit aut quemdam, aut quoſdam alios anteriores eſſe.

ARTICVLVS IV.

An Chriſtus omnes amauerit homines.

OBijciunt in tertio articulo Chriſtum mortuum eſſe ſecundum ſcripturas & patres pro ijs quos dilexit, non vero eos dilexiſſe qui in peccato remanſerunt cum peccatum ſit obiectum odij illius erga peccatores.

Reſpondeo. Cum amàre aliquem, ſit illi velle bonum, Chriſtum eos omnes amaſſe quibus bonum aliquod voluit aut reipſa contulit. Eſt autem bonum, liberum eſſe ab impotentiâ ſalutem operandi: quare cum mors, Chriſti libertatem illam attulerit etiam ijs qui de facto non iuſtificantur, eos etiam amaſſe dicendus eſt ſecundum aliquem gradum amoris. Et ſi Deus omnia diligit quæ ſunt & nihil odio

eorum habet quæ fecit, quia saltem bona aliqua naturalia contulit, quanto magis dicendus est eos amasse quibus gratiæ præuenientis auxilia pleraque impertitur, & pro quibus sacramenta instituit expectans eos in multa patientia. *Fidem eorum desideraui & vetustatem inueni* ait ipse Christus apud S. Augustinum in Psal. 68. Quid quod gratia illa præueniens sit semen cæterarum gratiarum, & ipsius gloriæ? atque etiam per illam, quamuis homo non iustificetur aut perseueret, multa tamen grauissima peccata euitantur à reprobis. Quare mitius in inferno habebunt ob plura peccata non admissa per virtutem illius, vt si non à toto, à tanto liberentur tormento. Vt est in Theologiâ Affectiua 3. p. tract. 1. medit. 39. puncto 2. editionis 3. & 4. ad quæ dum non attendunt dogmatistæ isti, Christum charitate spoliant, minusque sitientem salutis hominum exhibent quam sint plerique homines, quos charitas vrget ad desiderandam & procurandam pro viribus salutem omnium. Tam irrationabile est dogma & Christo tam iniuriosum, cuius charitas omnibus supereminet, vt si sola hæc inesset ratio, mihi esset horrori sicut omnibus Christum amantibus, esse debet. Itaque tantum discernendi sunt amoris gradus varij qui in Deo sunt ac in Christi animâ, & dissoluntur omnia istius articuli dubia.

ARTICVLVS V.

Satisfit obiectionibus articulorum sequentium 4. & 5.

IN articulo 4. obiiciunt patres & concilia quorum verbis determinatur Christum pro mundo electorum mortem subiisse. Patres illi sunt Clemens Romanus in Epistolam ad Rom. quæ Constantinopoli missa est ad regem Angliæ & à paucis mensibus typis edita. Ecclesia Smyrnensis in Epistola circulari ad cæteras Ecclesias. D. Hilarius Pictauiensis contra Constantium Augustum. S. Auitus in fragmentis. Nicolaus I. Gregorius Magnus, Adrianus secundus Papa. Addunt istis concilia duo prouincialia Valentinum sub Leone IV. & Lingonense.

Sed in ista farragine authoritatum operam ludunt Apologistæ: legi enim & iterum legi, nec aliud lego nisi quod aliqui ex his patribus indicant Christum mortuum fuisse pro electis aut pro populo Christiano, eosque redemisse: at istud lubentes admittimus, nec ea de re controuersia est. Non negant autem isti patres etiam mortuum fuisse pro alijs. Ad quid igitur ista nisi ad fastum & pompam & ad simplicicium deceptionem, paginam occupant in eorum Apologiâ? imo inquies Alcimus Auitus dicit expresse Christum condidisse ante diem mortis testamentum nouum, *in quo exhæredatis omnibus solus hæres instituitur populus Christianus* ex serm. de

natali calicis. Attende Lector an ex hoc inferri possit Christum mortem pro solo populo Christiano, qui hodie solus gloriam cœlestem consequitur, eò quod extra Ecclesiam salus non sit, Quid ergo sancti veteris testamenti Abraham, Isaac, Iacob, Dauid, Prophetæ cæteri, exheredes sunt, quia non sunt de populo Christiano? sed nec ipse inficiatur plures ex Christianis hæreditate cœlesti priuatos aut priuandos fore. An non propterea Christus non redemit eos secundum aliquem gradum redemptionis?

Quod vero spectat ad Concilium Valentinum certum est illud cap. 4. condemnasse opinionem quorumdam Scotorum asserentium, Christum mortuum fuisse, vt de facto liberaret infideles damnatos ante mortem eius, contra illud Osee 13. *ero mors tua ô mors: morsus tuus ero ô inferne*: hic enim error aliquandiu viguit, vt testis est Philastrius de *Hæresibus* & Gregor. Magnus l. 6. *Registri* Epist. 15. quam opinionem propterea expressis verbis impugnat hom. 22. in *Euangelia* pugnatque contra verba prophetica Osee 13. morsus tuus ero ô inferne, quibus significatur Christum tantum partem inferni de facto abstulisse scilicet patres limbi, non vero damnatos, vt acutè ratiocinatur D. Augustinus serm. 137. de tempore. *Quia vero ex inferno partem reliquit, non occidit funditus, sed momordit infernum*: Hæc fuit mens Concilij Valentini 3. at hoc nihil contra nos militat, qui non asserimus Christum mortuum fuisse eâ intentione pro his impijs, sed tantum vt quo-

dam modo solueret pretium earum gratiarum seu excitantium seu sanctificantium, quæ ipsis veluti anticipata solutione ob meritum Christi futurum, à Deo concessæ fuerant. sicut concedebantur ante mortem Christi. Quod norunt omnes qui Theologiam sciunt, & crucis scientiam. Vt nihil nouum hic afferamus.

Sed quia aduersarij in Concilio illo Valentino 3. maximum dogmatis sui robur se habere putant, itaut quidam ex ipsis, tabulis æneis incudi illud curauerit, vt cum otio & deuotione contemplaretur fictitios vultus patrum illius Synodi, quod præter illam damnationem Scotorum, improbasset etiam quatuor capitula alterius Concilij Carisiacensis, quæ videre est apud Hincmarum in præfatione librorum de prædestinatione, quibus damnabantur totidem errores Gotescalchi monachi, qui inter cætera negabat mortuum Christum pro omnibus, Semel hic annotare iuuat Anti-nomiam illam Conciliorum profluxisse ex diuersa interpretatione propositionum versuti illius Monachi, cum enim confunderentur à multis gradus redemptionis ac liberationis hominum per mortem Christi, nec dum satis expresse distinguerentur tria crucis beneficia, damnatus est Gotescalchus à patribus Synodi Moguntinæ & Carisiacensis, qui ipso prius audito intelligebant ipsum credere Christum non fuisse mortuum pro omnibus ne quidem quoad primum gradum Redemptionis: patres vero Concilij Valentini & Lingonensis, nec non Ecclesia Lugdunensis cum tantum ex fama & relatione aliorum nossent eius propo-

ſitiones, nec ipſam belluam (hoc enim cognomine donatur à Baronnio ad annum Chriſti 848.) ſua ſenſa ore proprio expromentem audijſſent, intellexerunt ipſum docere Chriſtum non fuiſſe mortuum pro omnibus efficienter quoad ſecundum & tertium gradum; quod ſatis colligi poteſt ex verbis Concilij Valentini, cum eo ſenſu c. 5. dicat Eccleſiam Fidelium Redemptam Chriſti ſanguine quod à peccatis expiata fuerit in Baptiſmo, ſolum ſecundum gradum Redemptionis attingens. Fuitque eadem mens Eccleſiæ Lugdunenſis. Itaque diſſentio illarum Synodorum ex diuerſa intelligentiâ doctrinæ Goteſcalci nata eſt, & in vario ſenſu loquũtur dum vna improbat quod altera videtur approbare. Facilis quippe eſt inter homines hallucinatio in huiuſmodi arcanæ doctrinæ capitulis diſcernendis. Præferri tamen debet quod geſtum eſt à prioribus Synodis Moguntinâ & Cariſiacenſi, quibus melius introſpecta fuit mens Goteſcalchi, cum ipſum loquentem & examinatum audierint, vt ſenſum illius doctrinæ melius agnoſcerent.

ARTICVLVS VI.

Quomodo Chriſtus ſit Saluator omnium, maximè fidelium.

VT Apologiæ conditores arma nobis eripiant quibus ipſos impugnamus, obiiciunt

in articulo ſexto locum Apoſtoli 1. ad Timot. 4 in quo aſſeritur Chriſtus Saluator eſſe omnium maximè fidelium, non probare mortem Chriſti pro omnibus, quia hic locus eſt intelligendus de Deo qui eſt Saluator omnium ſecundum ſalutem corporalem, fidelium vero ſecundum ſalutem ſpiritualem, provt interpretantur D. Ioannes Chryſoſtomus, Ambroſiaſter, Priinaſius, Beda, Oecumenius, D. Thomas, Eſtius, quibus addere poſſent D. Brunonem, Goranum & alios qui ſic locum illum interpretantur; eo modo quo verba pſalmiſtæ de ſalute corporali ſolent aliqui intelligere Pſ. 35. *Homines & iumenta tu ſaluabis Domine.*

Ad hoc reſpondetur vnius eiuſdemque ſcripturæ loci plures eſſe poſſe ſenſus litterales veros & germanos à Spiritu Sancto intentos, quare ad miſſa tot patrum interpretatione dicimus etiam Apoſtolum legitime intelligi poſſe de ſolâ ſalute ſpirituali, vt Chriſtus ſit ſaluator omnium ſecundum aliquem gradum ſalutis & Redemptionis, maximè vero fidelium quos in Baptiſmo liberat à peccato & ſi perſeuerent in gratia vſque ad mortem liberat & ſaluat ab omni miſeria, impertiens illis ſalutem conſummatam in gloriâ: ſic enim diuerſæ liberatorum à Chriſto differentiæ & diuerſi redemptionis gradus indicantur eſtque ſublimis hic ſenſus, excellentiſſimus & conformis iis quæ paſſus eſt Apoſtolus maximè ob prædicationem reſurrectionis Chriſti Domini. *In hoc enim*, inquit, *laboramus & maledicimur*, *quia ſperamus in Deum viuum*, id eſt in Chriſtum à mortuis ſuſ-

citatum, *qui est saluator omnium maxime fidelium: praecipe hæc & doce.* Sic interpretatur Catharinus qui primas videtur mihi obtinere inter Apostoli commentatores, sui sæculi, nullique esse inferior. Addit inquit ille saluatorem, *omnium hominum*, quantum ex se est, vt qui omnibus remedium comparauerit ad salutem. Sed quia ii soli patientur qui erunt fideles & exercuerint pietatem ideo ait: *& maxime fidelium.* Locus certus contra quorundam prædicationem crudelem, qui volunt Christum non venisse ad omnium comparandam salutem, sed certorum & predestinatorum tantum, quos ipsi eligent, id est, seipsos, & qui ea credunt quæ ipsi docent: vt ipsi, non Deus creent electos. Hæc Catharinus contra hæreticos, quæ si Bajani contra seipsos antequam nascerentur scripta non intelligant, parum perspicaces esse oportet. Sed & Gamachæus in 1. 2. ad quæst. 1x1. c. 5. & alij multi illustres Theologi eodem testimonio vtitur ad probandam Christi mortem pro omnibus.

ARTICVLVS VII.

An solidis rationibus probent Baiani crucis beneficium non esse pro omnibus.

NOn solum authoritatum mille clipeis, sed etiam omni fortium armaturâ se præualere putant ad dissipandos fructus passionis &

destruendum crucis beneficium. Sed machinæ eorum mihi imbelles ac non metuendę videntur: primo enim Obijciunt in eodem articulo non posse sustineri Christum voluisse vt omnes passionis eius fructum perciperent, cum Deus multos occidi velit in ætatę præmaturâ, in statu damnationis constitutos.

Respondetur iuxta triplicem gradum redemptionis, triplicem esse fructum passionis. Etsi vero disputandum relinquamus alijs an Christus voluerit realiter vt ipsi participes essent fructus glorificationis & iustificationis, sustinenus tamen Christum voluisse vt omnes participes essent fructus alicuius communis passionis suæ qui fructus est possibilitas salutem æternam consequendi beneficio gratiarum actualium in adultis, & in paruulis beneficio sacramenti baptismi, quod per alios applicari potuit sicut per alium peccato originali infecti sunt. Quod vero adultus in statu peccati moriatur in aquâ, aut casu præcipitetur, id est ex permissione diuinâ, & cum posset ita se gerere per suam voluntatem liberam vel alicuius alterius vt non accederet ad aquam aut non se constitueret in periculo præcipitationis, tam habuit auxilia sufficientia vt non moreretur in aqua aut non præcipitaretur, quam habuit vt non damnaretur ex occasione talis interitus.

Obijciunt in 8. articulo & sequentibus, Christum non posse dici mortuum fuisse pro infantibus in vtero matrum decedentibus. Hic Achilles est Iansenistarum vbi non cessant obtrudere verba D. Augustini Epist. 105. *totas*

vires

vires argumentationis humanæ in paruulis perdunt: & de dono perſeuerantiæ cap. 12. nec non alibi. *Feſtinantibus parentibus & paratis miniſtris vt baptiſmus paruulo detur, Deo nolente, non datur.*

Reſpondetur, etſi diſcernerentur paruuli ab adultis in hac cauſa; non iniquum videretur, quia paruuli igni perpetuo non torquentur poſt mortem ſicut adulti: quare ſi ſalus eſſet impoſſibilis paruulis cum ex hoc torqueri non debeant in æternum, tolerari poſſet; ſed quod ſit impoſſibilis adultis, quibus aliter paratum eſt incendium ſempiternum, vt non poſſint aliter eſſe quam in inferno, quàquà ſe vertant hoc horreſcit animus, & intolerandum videtur iis qui de Deo ſentire norunt in bonitate eius. Nihilominus dicimus adhuc Chriſtum etiam mortem obiiſſe pro paruulis illis, vt acquireret baptiſmo virtutem illos infantes ſanctificandi, & vt remedium ab alijs contrà peccatum originale adminiſtrari poſſet remotè vel proximè, etſi de facto non adhibeatur ob impedimentum cauſarum ſecundarum, quas Deus vt cauſa vniuerſalis auertere non tenetur. Quod autem dixit D. Auguſtinus carere viribus in paruulis argumentationem humanam, hoc dictum eſt contra Pelagianos & Semipelagianos qui adſtruebant prędeſtinationem, ex merito operum, ſine gratia præcedente. Quod de paruulis affirmare non poterant, cum nulla opera exercere poſſent. Quod vero aſſerit idem D, Auguſtinus paruulum Deo nolente non baptiſari, veriſſimum eſt, ſed accipienda ſunt verba D. Auguſtini vt ſonant & di-

stinguendus est actus à potentia; vt tam belle distinguunt aduersarij, vbi agitur de mente Concilij Tridentini sess. 6. can. 4. Igitur Deus non vult voluntate consequente aliquem saluari de facto quem tamen vult potuisse saluari, Sic Deus non vult secundum D. Augustinum infantem de facto baptisari, qui non baptisatur, sed non vult eum non potuisse baptisari. Licet enim stante rerum præsentium ordine non potuerit baptisari infans: potuit tamen absolutè, quia causæ liberæ poterant ita dirigere causas naturales vt baptismus non esset impossibilis. Sic vult eum habuisse de facto primum gradum redemptionis, & primum fructum passionis; ac si pater qui ob amorem filiorum dat se periculis Oceani ad conquirendas illis diuitias, inter quæ interit, etsi vero ex casu aliqui ex filijs, diuitijs illis partis genitoris morte priuentur, dicitur tamen pater ille ob amorem filiorum periisse, cur non idem de Christo asserimus?

Obiiciunt in artic. 18. si Christus mortuus esset pro omnibus, cum voluntate efficaci salutis omnium, omnes saluandos fore.

Respondetur nos admittere voluntatem Dei semper sortiri suum effectum, nec Deum absolutè quicquam velle quod non fiat, cum sit omnipotens. Nos altè prædicamus cum Psalmista Regio, Psalm. 113. *Omnia quæcumque voluit fecit*: & qui aliter sapiunt non dignè satis de Deo sentiunt: sed res eo modo fiunt quo Deus vult illas fieri: cum igitur sint tres gradus redemptionis salutis. Deus vult omnibus primum gradum, secundū vult ijs qui medijs sufficientibus vtuntur

rectè, aut quibus applicantur Sacramenta. Tertium gradum vult iis qui perseuerant in gratia vsque ad mortem. Etsi igitur Christus pro omnium salute mortuus sit, omnes tamen non saluantur, quia paratus omnibus ex se & dispositus velle salutem consummatam gloriæ æternæ:, illis tantum voluntate consequente eam voluit quos præsciuit beneficio suarum gratiarum perseueraturos, sicut salutem iustificationis & liberationis à peccato illis voluit quibus præsciuit applicanda fore sacramenta, quibus peccata remittuntur.

Obiiciunt iterum in eodem articulo. Si Christus pro omnibus orauit, ergo omnes saluari debere, *Non enim possunt perire pro quibus filius rogat ne pereant; pro quibus pater filium tradit in mortem vt viuant*: vt loquitur D. Bernardus hom. 3. de Laudibus Virginis..

Respondetur Christum pro omnibus orasse vt haberent primum fructum & gradum redemptionis, liberarenturque omnes à potestate tenebrarum, & ab impotentia salutem consequendi, quæ est seruitus maxima peccati inuecta per culpam Adami, pro pluribus vero orauit, vt etiam obtinerent secundum & tertium fructum passionis suæ secundum quod prænouit eos benè vsuros sufficientibus mediis quibus donabantur: sicque omnis oratio Christi exaudita est prout decebat propter eius reuerentiam: sed perspiciendum est illud quod postulauit pro his & illis, diuersa enim petijt in oratione sua, orauit pro reprobis, vt haberent gratias excitantes, & si illis cooperaretur per liberum arbitrium iisdem gratiis adiutum, & eleuatum

haberent gratiam iustificantem, & alia dona quæ illis ad tempus concessa sunt ex merito mortis eius, vt ipsimet aduersarij concedere coguntur. Sed & quot peccata auertit Christus à reprobis: qui enim hæc gratiæ Christi non deputat, Augustinum negauit, qui hæc gratiæ Christi deputat: vnde & scripsit homiliarum 50. hom. vltima, *Nullum est enim peccatum quod facit homo quod non faceret homo si desit rector à quo factus est homo.* Quid quod docet Albertus Magnus de 4. coæuis tomo 19. tract. 4. q. 5. 8. particula 2. Deum velle Angelum cooperari ad salutem damnandi vt pauciora committat peccata. Ex his porro intelligere est non fuisse inutiles etiam reprobis Christi sudores & orationes.

ARTICVLVS VIII.

An in mente D. Prosperi gratia sufficiens sit Semipelagiana.

OBiiciunt in articulo 9. Prosperum Aquitanicum in carmine *de ingratis* c. 10. & 34. attribuere Semipelagianis opinionem de Gratiâ sufficienti quæ detur omnibus, & quâ posita sit in cuiusque arbitrio saluari.

Respondetur nos infra euidenter ostensuros hallucinationem Apologistarum in ista obiectione quam sæpius repetunt, quasi alicuius esset ponderis, cum tamen sit leuissima, & à sensu D. Prosperi omnino aliena, cum ibi non loquatur de gratia interiori, sed de gratia exteriori

prædicationis, quâ solâ positâ Semipelagiani bona æquè ac mala agere in libero hominis ponebant arbitrio, vt quemadmodum sine gratia mala agere poterat, sic sine illa bona agere posset & salutem operari: at nos non ita admittimus: potest enim liberum arbitrium sine gratia peccare, non potest sine gratia bonum operari, *Non enim sumus sufficientes*, ait Apost. 2. Cor. 3. *cogitare aliquid à nobis tanquam ex nobis sed omnis sufficientia nostra ex Deo est.* Vnde initium salutis nostræ ducimus à Deo non à nobis: & Semipelagiani initium salutis suæ sibi ipsis attribuebant, non gratiæ interiori: & cum initium cuiusque rei sit illius pars optima, sibi potiores partes in opere salutis attribuebant, non Deo: quare Deo ingrati erant, cuius beneficium non agnoscebant: at nos non ita didiscimus, agnoscimus beneficium Dei commune omnibus, nec aliter volumus salutem hominum in eorum arbitrio libero positam esse, nisi quatenus præuentum est, corroboratum & eleuatum gratiarum interiorum donis & viribus. Contra Semipelagiani volebant salutem propriam positam esse in cuiusque arbitrio; etiam sine gratia interiori spectato, vt illi daret initium, sic illi dicebant de gratia Dei.

Cap. 10. *Sed cupidos recti iuuet illustretque volentes*

& c. 34. *Vos igitur soli queruli, solique superbi*
Vos soli ingrati quos vrit gratia: cuius
Omne opus arbitrio vultis subsistere
vestro,
Et quod non cuncti mortales atria vitæ
Ingrediuntur, ita ex ipsis pendere putatis

Vt tam ex iudicio constet cuiusque quod intrat,
Quam quod non intrat, seu par in vtrumque facultas,
Suppetat & tam sit proprium bona quam mala velle.

Quæso vos numquid satis se explicat D. Prosper in postremis versibus? non plus Semipelagiani bonum opus ex gratià quam malum volebant dependere. Quis hoc Catholicorum admisit vnquam? nec ista carmina pro se citarent in quibus eorum opiniones damnantur, nisi fucum facere se posse existimarent minus oculatis & perspicacibus. Repetant quæ habet idem Prosper cap. 4. vbi sic errorem Semipelagianorum describit.

Dum libertatem arbitrij affectumque volendi
In naturalis motus virtute locantes
Tā bona quæque docent sectari posse suopte
Ingenio quam posse subest cuique in mala ferri.

& cap. 5. *Quod qui confirmas, quinam distabis in illis*
Qui dicunt nullo peccati vulnere læsum
Naturale bonum, cumque illo lumine nasci
Nunc omnes homines, quod primis ingeneratum est

ARTICVLVS IX.

An non sit doctrina Concilij Tridentini Christum mortuum fuisse pro omnibus cum fructu & effectu.

OBiiciunt in articulo 21. Concilium Tridentinum asserere quidem pro omnibus mortuum esse, sed modo prorsus diuerso ab eo quo id noui Theologi asseruerãt: illi enim dicunt ita Christum mortuum esse pro omnibus vt etiam omnes participent fructum & beneficium passionis: at Concilium vbi dixit Christum mortuum fuisse pro omnibus secundum modum loquendi Scripturæ sacræ, continuo subjungit vt nemo his verbis abutatur: *Non tamen omnes mortis eius beneficium recipiunt sed ij dumtaxat quibus meritum passionis eius communicatur.* Quibus verbis Concilium innuit falsum esse omnes ex merito passionis recipere media sufficientia ad salutem, vt discipuli Molinæ asserunt, cum non omnibus detur fructus passionis Christi: ex hinc triumphum ducunt, putantque ratiocinationem hanc euidentissimam, inuictissimamque.

Respondetur ratiocinationem hanc falsissimam esse, & eos non assequi mentem Concilij, quia non considerat triplicem gradum redemptionis humanæ, triplexque beneficium aut triplicem fructum passionis Christi. Porro ex tri-

tulo cap. 3. sess. 6. *de iustificatione*, vbi asseritur vt doctrina fidei Christianæ, mors Christi pro omnibus, patet sermonem esse de secundo fructu aut beneficio passionis Christi quod beneficium est ipsa iustificatio, est enim in titulo, *qui per Christum iustificantur*, atque vbi in fine præcedentis capitis Concilium dixisset: *hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris: non solum autem pro nostris sed etiam pro totius mundi:* Post hæc verba sic exorditur caput tertium, iungens illud secundo capiti; *Verum etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt* (*scilicet iustificationem*) *sed ij dumtaxat, quibus meritum passionis eius communicatur*? scilicet per baptismum. Quis hæc omnia simul componens, non intelligit mentem Concilij fuisse, pro omnibus mortuum Christum, etsi omnes non iustificentur. Quemadmodum si quis diceret, medicus omnes vrbis ægrotos visitauit etsi non omnes seruati sunt, intelligeret profecto etiam medicum curam habuisse omniū ægrotorum & etiam eorū qui sanati non fuissent; placet enim hoc exemplū medici quo D. Augustinus apposite vsus est tract. 12. in Ioan *Ergo quantum in medico est sanare venit ægrotum, ipse se interimit qui præcepta medici obseruare non vult, venit Saluator in mundum, &c.* Quem locum mirum, quot nebulis interpretationum obtegere conantur, ne videant veritatem, & agnoscant cum humilitatem, charitatem Christi erga omnes animas, beneficiumque commune omnibus mortis Christi venerentur, quod potius ipsi inficiantur, vt

non immeritò de illis dicere possim, quod de quibusdam hæreticis sui sæculi dicebat Theologus Nazianzen. orat. 42. circa lucem tenebrosis, circa sapiētiam imperitis, *pro quibus Christus gratis mortuus est, ingratæ creaturæ.* Ne ergo insimulent nos ingratitudinis erga Christum, cuius charitatem ad omnes diffusam prædicamus, & cuius gratiæ primas partes actionum omnium piarum tribuimus, hoc ipsorum vitium est & peccatum, non nostrum.

ARTICVLVS X.

De concursu simultaneo Liberi Arbitrij cum gratia.

OBijciunt in art. 22. eiusdem Apologiæ, imaginationem esse Pelagianam, asserere mortem Christi non habere fructum in hominibus, nisi pro beneplacito Liberi Arbitrij, quasi omnis discretio prædestinatorum & reproborum ex Libero profluat arbitrio, non ex peculiari Dei misericordia & electione.

Esto sit hæc imaginatio Pelagiana, aut Semipelagiana prout his verbis fraudulenter expressa est. An nobis Catholicis tribuenda est, qui primas partes gratiæ Dei tribuimus? Sed inter vitia contradictorum istorum, vnum est illis valde proprium, quod tyronum instar dialecticæ, malè resumant & repetant propositiones argumentorum quæ illis obijciuntur. Etsi enim

omnes conueniamus nihil esse attribuendum ex actibus, *vt oportet*, nuncupatis Libero Arbitrio solitarie & nude spectato, sed tantum vt gratia præueniente aut aliquando etiam iustificante adiuto, excitato, corroborato. Etsi inquam, id centies dicamus & scribamus, ne semel tamen id repetunt, sed semper omittunt. Candidius sane agebat Caluinus & verius repetebat argumenta Catholicorum. *Ac principalem quidem causam*, inquit, *in gratia esse non negant, sed eo tamen non excludi Liberum Arbitrium*. l. 3. instit. c. 15. Amplius

Respondetur mortem Christi triplicem habere fructum, vt sæpius dictum est, quia sæpius dixisse necessarium fuit, cum constanter eidem doctrinæ inhereamus. Primus fructus datur omnino ex sola Dei misericordia, *qui vult omnes homines saluos fieri*, volontate antecedente; quæ voluntas est, vt explicant Scotus *in scripto Oxoniensi* in 1. dist. 46. q. vnica & in *report*. dist. eadem: Herueus Britto in 2. disp. 6. q. vnica & Michael Palatius in 1. distint. 45. disp. vnica, vt omnes habeant media sufficientia præ-requisita ad bene operandum; & ad salutem consequendam. Secundus fructus cum datur, est partim ex misericordia & gratia & partim ex Libero Arbitrio, non nude spectato, sed vt adiuto & eleuato per gratiam præuenientem seu excitantem: itaut tamen principaliter sit ex gratia, minus principaliter ex Libero Arbitrio. Hæc enim duo in opere iustificationis semper coniuncta esse volumus, quæ illi separatim considerant & obtrudunt. Nec hæc noua est

ſed antiqua doctrina antiquorum Docto-rum Pariſienſium, quibus propterea id exprobrat Caluinus, à quo vituperari laudari eſt. Inter antiquos iſtos Doctores producimus Henricum de Gandauo, *quodlib.* 8. q. 5. eſt tamen hic intelligendum, inquit, quod in volente & currente eſt tria conſiderare: & ipſum actum curſus & volentis: & ipſam gratiam, quâ Liberum Arbitrium fit validum ad efficaciter volendum & currendum, & ipſam potentiam Liberi arbitrij. Et benè verum eſt quod actus ſiue operatio ab vtroque eſt: ſcilicet à gratiâ & à Libero Arbitrio ſimul: ita quod à neutro eſſet per ſe & quod plus eſt à gratiâ quam à Libero Arbitrio: quia plus virium agendi dat gratia Libero Arbitio quam habeat ex ſe & ſuis naturalibus. Aliquid tamen agit in opere ex ſuis naturalibus: licet non niſi cum gratia: vt licet ex ſe & naturalibus ſuis non operetur, ex eis tamen cooperetur, & ſic tam ratione gratiæ omnino quam ratione operis principaliter benè verum eſt quod non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei; ratione tamen Liberi Arbitrij in cooperando aliquo modo eſt volentis & currentis: vt ſaltem hoc, vt eſt exiſtens in præſentia Dei, ſit ratio electionis æternæ reſpectu electi. Et poſt multa ſubiungit. Nec incidit poſitio hæc in opinionem Pelagianorum; quia non ponitur hoc opus Liberi Arbitrij, quin etiam ponatur gratiæ: qualiter non ponebant Pelagiani. Hæc Henricus, quæ iſti dicerent à Molina didiciſſe niſi quatuor ſæculis præceſſiſſet.

Atque eo recidunt quæ fusè differit D. Augustinus l. *de Libero Arbitrio ad Valentinum.* c. 1. Sed quoniam sunt quidam qui sic gratiam Dei defendunt vt negent Liberum Arbitrium; hinc aliquid scribere curaui. & c 5. Cum igitur haberet hoc meritum malum (Apostolus) redditum est bonum pro malo in eo quod sequutus adiunxit, sed *gratiâ Dei sum id quod sum*: atque vt ostenderet Liberum Arbitrium, mox addidit. *Et gratia eius in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboraui.* Hoc enim Liberum Arbitrium hominis exhortatur & in alijs quibus dicit: *Rogamus ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*: vt quid enim eos rogat si gratiam sic susceperunt vt propriam perderent voluntatem? Tamen ne ipsa voluntas putetur sine gratia Dei aliquid boni posse, continuo cum dixisset, *gratia eiùs in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboraui* subiunxit atque ait, *Non ego autem sed gratia Dei mecum*; ac per hoc nec gratia Dei sola nec ipse solus, sed Dei gratia cum illo. Vbi D. Augustinus coniungit cum gratia Liberum Arbitrium, quod possit gratiam Dei vacuam reddere, id est, illi resistere, non enim aliter rogari deberet ne illam in vacuum reciperet.

Neque huic doctrinæ Doctor Angelicus cuius mentem infra magis inuestigabimus, aduersarius est *Lect.* 3. *in* cap. 12. *ad Hebræos.* Vbi apertè ait, *gratia Dei nulli deest, sed omnibus quantum in se est se communicat sicut nec sol deest oculis cæcis.* Quod vero Apologista dicat D. Thomam asserere quæ sequuntur. *Si*

gratia non datur ex operibus, sed tantum ex hoc quod aliquis non ponit obstaculum, ergo habere gratiam dependet ex solo Libero Arbitrio, & non ex electione Dei, quod est error Pelagij. Ibi euidenter sumit obiectionem pro solutione, vt patet ex verbis immediatè sequentibus *respondeo dicendum* &c. Tantumque in hac lectione docet D. Thomas gratiam, intellige, habitualem & sanctificantem non dari ex meritis, sed Deum eam dare volontate liberalissimâ omni præparanti se. Quod est verissimum, quia si Deus homini se disponenti & pœnitenti quantum potest, gratiam iustificantem denegaret, nullam illi faceret iniuriam, quia Deus non est illi debitor propter suam præparationem & pœnitentiam, qua se disponit, tantum igitur tunc Deus deesset suæ promissioni nec fidelis esset in verbis suis, non tamen iniustus erga pœnitētem, qui per suam dispositionem non meretur nec habet ius ad gratiam habitualem sanctificantem, quam ibidem D. Thomas vocat gratiam gratum facientem, distinguitque à dono gratiæ Dei vocantis per misericordiam suam. Ex qua profluere ait quod aliquis remoueat obstaculum gratiæ sanctificanti. Quod itidem verissimum est, cum gratia vocans seu præueniens prærequiratur ad gratiam sanctificantem vt ex eius virtute se disponat per opera aut per actus illos, quos concilia vocat *vt oportet* ad eamdem gratiam habitualem sanctificantem recipiendam: Vnde fit vt discretio reproborum & electorum proueniat ex misericordiâ Dei tam ratione gratiæ sanctificantis quæ illos secernit, quam ra-

tione operum aut actuum Liberi Arbitrij quibus ad illam disponuntur, cum hi actus proueniant ex gratia præueniente quæ pura est Dei misericordia & primaria causa actuum illorum in Libero Arbitrio quod eorum tantum causa est minus præcipua, seu vt alijs placet, conditio sine qua non.

Obijciunt ibidem male interpretari, eos qui asserunt Christum mortuum pro omnibus, mortuum fuisse pro omnibus sufficienter, pro solis electis efficaciter.

Respondetur ipsosmet malè interpretari eamdem distinctionem Nam secundum rei veritatem dicendum est Christum mortuum fuisse pro omnibus & efficaciter in quantum mors eius aliquem effectum & fructum habet in omnibus : Et sufficienter in quantum omnibus sufficientia media obtinuit ad salutem. Nam qui dicunt Christum mortuum fuisse pro omnibus sufficienter, eo sensu quod mors eius sufficientis fuerit valoris ad omnes homines etiam reprobos redimendos, nihil dicunt quod huic controuersiæ dirimendæ prosit. Alio si quidem modo Christum fuisse mortuum pro omnibus hominibus agnoscendum est, quam pro dæmonibus, aut pro mille mundis quos è nihilo posset omnipotentia Dei educere. Nam eo sensu dici posset etiam mortuum fuisse Christum pro dæmonibus & mundis illis imaginarijs. Quam difficultatem satis præuidit R. Ipreusis, licet non satis dissoluerit. Verus itaque sensus istius distinctionis est vt dicamus Christum fuisse mortuum pro omnibus efficaciter vel efficienter vt

alij loquuntur, in quantum mors eius aliquem effectum aut fructum ex tribus sæpius à nobis in hoc opusculo inculcatis habuit in omnibus vel circa omnes, & mortuum etiam sufficienter pro omnibus in quantum media sufficientia ad salutem ex mortis eius merito obtigerunt, prout conuenerat inter ipsum Christum & patrem, si poneret pro peccato animam suam. Nam sublata hac interpretatione & explosa illa tanquam inutili quam vulgo in ore & in scriptis habent Ianseni sequaces, non patet quomodo possint hac distinctione iuuari: audiuique multos ex ipsis qui cum hac vterentur distinctione, semetipsos non intelligebant, cum nollent agnoscere ex amplissimis reditibus fructibusque vberrimis beneficij crucis, aliquam portionem ad omnes homines peruenire, sed tantum ad aliquos.

ARTICVLVS XI.

An ex mente D. Augustini gratia quæ non omnibus datur sit sufficiens, an gratia iustificans?

EXaminatis & expunctis quæ difficilia videbantur in puncto secundo tertiæ partis apologiæ, ad punctum tertium accedimus, in quo multo magis se aculeatos putant ad pungendum illos quos Molinistas vocant etsi ipsi videantur Molinam non legisse aut sententias eius callere, cum hic scriptor non minus acer & incensus sit in Pelagianos ac Semi-pelagianos,

quam seueriores Baiani, qui si consequenter ad sua principia Philosophari velint, multo magis ipsi reipsa Pelagiani inuenientur, quam quilibet alij, qua de re forsan se dabit dissertandi occasio.

Interim excutiamus Articulum 1. puncti istius tertij in quo D. Augustinus primum locum obtinet, quia in Epistola 107. quæ est ad Vitalem ostendit opinionem Semi-pelagianorum fuisse omnes homines gratiam fuisse accepturos, si non illi quibus non donatur, eam sua voluntate respuerent. Tum subiungit S. doctor. *Quoniam ergo propitio Christo Christiani Catholici sumus, Scimus gratiam non omnibus hominibus dari; Scimus ijs quibus datur, misericordia Dei gratuita dari. Scimus ijs quibus non datur, iusto Dei iudicio non dari.* Ex quo loco inferunt gratiam sufficientem omnibus communem non esse, nec posse asseri talem gratiam nisi à Semi pelagianis.

Verum ex inspectione attentiori eius Epistolæ, satis liquet gratiam illam de qua sermo est D. Augustino, non esse gratiam actualem præuenientem quam dicimus sufficientem quæ datur etiam rebellibus voluntatibus, quæ volentes nolentes ea mouentur, sed esse gratiam habitualem sanctificantem, quam Semi-pelagiani à Deo concedendam esse credebant hominibus non solum secundũ ea quæ in corpore gessissent, sed etiam quæ gesturi fuissent si diutius in corpore fuissent. Additque D. Augustinus contendens contra ipsos gratiam hanc non dari ex talibus meritis. *Quo modo voluntatis humanæ*

meritum sequitur gratia cum detur & paruulis, qui hoc nondum possunt velle seu nolle. At gratia quæ datur paruulis non est alia ab habituali sanctificante, nisi velint ipsi cum Luthero sustinere in ijsdem dum Baptisantur excitari motus quosdam fidei Quod paradoxon, vt puto, non admittent. Nemo autem dubitat quod talis gratia non detur omnibus nec de hac digladiamur inter nos. Vt mirum sit quosdam Theologos tam arcta societate Iansenio fœderatos, esse æquiuocatione ista nominis gratiæ delusos in hoc textu. Nam si Augustino sermo est de gratia illa actuali sufficiente quam dicimus omnibus dari adultis & cui possunt obniti, ergo illam admisit D. Augustinus. Si autem de aliqua gratia loquatur (textus) non est proposito congruens. Vnde quoquo se vertant in ista obiectione, velut nudi-pedes in medio veprium spinis punguntur.

ARTICVLVS XII.

An magis prospere cedat Apologistæ citatio versuum D. Prosperi, quam Ripalda.

OBijciunt ex D. Prospero cap. 10. in carmine *de ingratis* Semi pelagianos admisisse talem gratiam sufficientem qualem admittunt hodie sectatores Molinæ, quam ipse D. Prosper impugnat in capitibus se-

quentibus : ac ſic illam depingit.

Quam ſana fides ſit veſtra pateſcat,
Gratia qua Chriſti populus ſumus, hoc cobibetur
Limite vobiſcum & formam hanc adſcribitis illi,
Vt cunctos vocet illa quidem, inuitetque: nec vllum
Præteriens, ſtudeat cõmunem afferre ſalutem
Omnibus, & totum peccato abſoluere mundum
Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti,
&c.

Vbi D. Proſper ita graphicè delineat gratiam illam hæreticorum, vt non videatur diſcrepare à Gratia Sufficienti Moliniſtarum, vt vocant illi: hanc autem opinionem vt ſtultam reiici à ſanctis Patribus; Proſperum enim ſubiungere dum eam refellit cap. 13.

Sed tamen hæc aliqua ſi vis ratione tueri
Et credi tam ſtulta cupis.

Inde aduerſarii conficiunt argumentum quod multi-faciunt.

Reſpondetur vero fruſtra iaci rete ante oculos pennatorum, & in illâ obiectione inſignem eſſe hallucinationem Ianſeniſtarum, qui vel ignorant mentem D. Proſperi in his carminibus, vel ſi aſſequuntur, mala fide agunt, vt quoquo modo decipiant ſimplices & minus perſpicaces. Ac primo carmnia illa de ingratis non ſunt contra Semipelagianos ſed contra Pelagianos, vt ipſe titulus indicat. Deinde nomen gratia non ſumitur ibi pro gratia aliqua interiori quæ præueniat liberum arbitrium, & cui liberum ſit aſ-

sentire vel dissentire, qualis est gratia sufficiens quam admittimus. Pro qua ergo gratia sumitur, inquies? Dico Pelagium vocasse prædicationem Euangelij gratiam quâ Christiani sumus, sicut aliàs vocauit ipsa dona naturalia gratiam Dei, vt se expediret à Patribus Concilij Diospolitani. Ludebat enim in æquiuoco, & diuersâ acceptione huius nominis, plures fallebat. Dicebat igitur Pelagius prædicationem Euangelij communem fuisse omnibus populis, hanc omnes inuitare ad salutem, & in potestate arbitrij sine vlla gratia interiori situm esse, vt posita illa prædicationis gratiâ exteriori, salutem operaretur, vel illam contemneret: si sit hæc mens D. Prosperi, vident omnes quam futilis est hæc obiectio & quam fraudulenta, licet prima specie, minus intelligentibus videatur illis victoriam polliceri: hanc autem esse illius mentem probatur euidentissimè ex capitibus sequentibus in quibus illam cum hoc sensu intellectam refutat.

Cap. 11. *Dic vnde probes quod gratia Christi*
Nullum omnino hominem de cunctis qui generantur
Prætereat, cui non regnum vitamque beatã
Impertire velit? nec enim vel tempore nostro
Omnibus in terris iam certum est insinuatum
Christi Euangelium.

& cap. 14. *Percurrat Apostolus orbem*
Prædicet, hortetur, plantet, riget, increpet, instet
Quâque viam verbo reseratam inuenerit, intret

Vt tamen his studijs auditor promoueatur
Nō Doctor, neq; discipulus, sed gratia sola
Efficit : inque graues adolet plantaria
fructus:

& clarius c. 20. *Dumque aliud non est vobiscum*
gratia quam lex
Quamque propheta monens, &
quam doctrinā ministri.

Satis vt opinor probatum est D. Prosperum imputare Pelagianis quod gratia Euangelij communis esset omnibus, & quod illâ positâ, salus hominis in eius esset libero arbitrio. Sed quid hoc ad gratiam sufficientem? Desinant ergo talia obiicere & Catholicos scriptores Pelagianis adæquare, quorum sententias post euolutum Augustinum, spatio viginti duorum annorum nondum didiscerunt

Verumtamen solatium est Baianis quod non soli impegerint in hos versus D. Prosperi; insultant quippe Ripaldæ authori doctissimo trium tomorum *de Ente supernaturali*, in quorum tertio qui est contra Baium & Baianos disput. 22. grauiter deceptus est, laudans eosdem quasi opinionem Ecclesiæ Catholicæ de Gratia Sufficiente exponerent, cum verius non nisi opinionem Pelagianorum, quàm ideo stultam vocat D. Prosper, exhibeant : vnde pullulauit libellus cum titulo *vulpes capta* ; sed quia hoc vnum est priuatarum controuersiarum caput, quas hic non attingimus, tantum illud obiter notamus, cum etiam Baiani decepti sint in his versibus, non decere vt alios subsannent, quare cum iuxta vetus adagium, vulpes iungere absur-

dum ſit, vtrique ſua vulpes capta aſſignanda eſt.

Sed duabus anchoris, vt aiunt, ſuſtentant ſe Baiani in hoc articulo, vt ſi vna ſit inutilis, altera fulciantur, ideirco in eodem articulo adiungunt D. Proſperi verſibus authoritatem Concilij Sardicenſis, ac D. Fulgentij Epiſcopi Ruſpenſis, qui inter diſcipulos Diui Auguſtini annumeratur. Obiiciunt erga verba Concilij Sardicenſis deſumpta ex Epiſtola Synodica Epiſcoporum Afrorum in Sardiniâ exulum, quæ inter opera D. Fulgentij inuenitur, ne inter Concilia caſſo opere Lector eam inquirat: verba autem ſunt hæc: *De Gratia non dignè ſentit quiſquis eam putat omnibus hominibus dari.*

Reſpondetur nec gratiam interiorem, quâ præueniuntur humanæ voluntates à Deo, vt ad bonum excitentur & adiuuentur omnibus dari, cum nec infantibus, nec amentibus detur, quibus alia media ſufficientia, & alterius generis competunt. Sed nec patres iſtos de Gratia ſufficienti habere ſermonem, tam certum, quam certum eſt illam gratiam ſufficientem adſtruere, cum dicunt in eadem Epiſtola id ipſum quod dicimus. *Quod autem vos dicitis ſola Dei miſericordia ſaluari hominem, illi autem dicunt niſi quis propria voluntate concurrerit, & elaborauerit, ſaluus eſſe non poterit: dignè vtrumque tenetur, ſi rectus ordo ſeruetur diuinæ miſericordiæ & voluntatis humanæ: vt illa præueniat, hæc ſequatur; ſola Dei miſericordia initium ſalutis conferat: cui deinde voluntas hominis cooperatrix ſuæ ſalutis exiſtat, &c.* De qua ergo gratiâ loquitur? de gratia iuſtificationis, quam Pelagiani admittebant, quo

ad effectum remissionis peccatorum & quam omnibus idest, quibusuis promiscuè dari censebant ex bonis actibus aut operibus Liberi Arbitrij solius sine auxilio Spiritus sancti: quod derogat nobilitati illius gratiæ quæ cũ sit supernaturalis prerequirit dispositiones supernaturales ex auxilio Spiritus sancti: vnde non dignè sentit de illa qui eam putat omnibus hominibus dari ex viribus nudi Liberi arbitrii. Hoc vero probatur ex hoc quod supra duas lineas ante hanc sententiam loquantur expressè de Gratiâ Iustificationis.

Obiiciunt ibidem plura loca D. Fulgentii ex lib. de Verit. Prædest. cap. 14. & 20. in quibus gratiam nec omnibus nec æqualiter dari adstruit.

Verum facilè est perspicere ex tribus vltimis capitibus istius libri D. Fulgentium loqui de Fide Charitate formatâ; quam vocat gratiam ex misericordiâ Dei datam non ex operibus puri Liberi Arbitrii, ac omni auxilio destituti: quasi diceret ad Pelagianos. Vos existimatis omnibus æqualiter datam esse fidem per charitatem operantem quæ extirpet malitiam, & desiderium regni cœlestis inspiret, in quantum vnusquisque libero donatus est arbitrio, & vbique personuit tuba euangelij: at non ita est, gratia Dei quæ est fides cum charitate, non vnicuique sic æqualiter competit ex naturali potestate arbitrij: *gratiæ opus est in homine vt gratia suscipiatur ab homine*, ait cap. 4. idest, gratia præueniens necessaria est præter naturales vires arbitrij, vt gratia fidei & charitatis suscipiatur: vnde & cap. 21. sic adhuc loquitur. *Hæc ergo charitas non ex*

nostra voluntate aut esse incipit aut crescit in nobis, sed gratia Dei faciente diffunditur in cordibus nostris. &c. Quisquis ergo in nomine gratiæ non vult falli, audiat Apostolum tumoris humani superbiam, quæ sibi nititur boni operis assignare initium, sollicitè comprimentem. Vbi totus est D. Fulgentius, ad adstruendam necessitatem gratiæ præuenientis, & quâ præparatur voluntas ad suscipiendam charitatis gratiam, quam solam nec omnibus nec æqualiter dari ex virtute Liberi Arbitrij contra Pelagianos contendit, nec plus asserit D. Fulgentius nec plus fulgoris ex illius dictis affulget, si rectè intelligantur.

ARTICVLVS XIII.

Excutiuntur probationes ex libro de Vocatione Gentium.

OBiiciunt septem probationes claras inquiũt & indubitatas, quibus constat, veram Iesu Christi gratiam ad salutem necessariam, secundum authorem librorum de Vocatione Gentium non omnibus dari, quem authorem alium à D. Prospero iam supra ex leuibus coniecturis diuinarunt.

§ Respondetur ne vnam quidem ex his probationibus valere. 1. enim probat, aiunt, gratiam illam non dari omnibus quod asserat plures esse nationes quibus nondum illuxit gratia saluatoris; sed ad hoc respondetur D. Prosperum loqui de

gratia prędicationis quæ ad omnes non peruenit, non de gratia præueniente interiori quæ non requirit necessario prædicationem Euangelij, cum prius homines excitet ad præcepta naturalia quam ad altiora legis euangelicæ propria præcepta.

2, Probat illam gratiam non esse communem omnibus, cum per quatuor mille annos nulli illuminati sint præter populum Iudæorum. lib. 2. cap. 14. *Etsi fuerint ex alienigenis quos veritas illustrare dignata sit, tamen tam pauci fuerunt vt vix cognoscatur an fuerint.* Sed legat pius Lector caput illud integrum, & initium subsequentis capitis, quod est decimum quintum videbitque, seu mirabitur, quâ fronte caput illud pro se proferant, quo eorum doctrina pænitus destruitur, dicit enim D. Prosper: *Neque ob hoc excusabiles sunt nationes quæ alienatæ à conuersatione Israel, &c. Sub ignorantiæ tenebris perierunt, quia hæc abundantia gratiæ quæ nunc vniuersum mundum rigat, pari antea largitate non fluxit* (c. 15.) *adhibita enim est semper vniuersis hominibus quædam supernæ mensura doctrinæ, quæ etsi parcioris occultiorisque gratiæ fuit, suffecit tamen sicut Dominus indicauit quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium, &c.* Scilicet etiam illi habuerunt gratias præuenientes, sed non in pari gradu cum iis quæ tempore legis Euangelicæ nati sunt. Datur enim gratia illa sufficiens in diuersâ mensurâ alijs maior & extensior, alijs minor & remissior ex occulto Dei iudicio, vt patet ex eodem l. 2. c. 6. & adhuc ex 11. luculenter patet.

3 Probat infideles gratiam sufficientem non habere, quia Ecclesia orat pro ijs vt habeant ex eodem D. Prospero l. 1. de voc. gent. cap. 12. *Non autem Ecclesia oraret vt haberent quod iam habent.* Respondeo Ecclesiam orare vt infideles non solum gratiam sufficientem habeant, sed etiam abundantius habeant, & vt effectum suum sortiatur, sic Christus dicit de seipso, se venisse vt vitam habeant, & abundantius habeant. *Joan.* 10.

4. Probat non omnibus dari gratiam sufficientem, quod ex eodem lib. 1. cap. 8. nullus desiderio apperat spiritualem noui generis dignitatem, *qui calorem huius desiderij non accepit à Deo.* Plerique autem hominum nec calidi, nec tepidi sunt, sed omnino frigidi omnique pio carent desiderio: ergo nec habent gratiam sufficientem.

Respondetur gratiam sufficientem non semper requirere appetitũ hunc tam intensum & feruidum, sicut egregiè ostendit Idem Prosper l. 2. de voc. gent. cap. 11. vbi postquam docuit dissimiles gradus, & impares quantitates gratiarum Dei, quosdamque ab ipso initio perfectissima gratia cumulari, ait, *non facile tamen reperitur in exordio maturitas, & in inchoatione perfectio, &c. Multoque numerosior pars illa hominum est cui particulatim quicquid superna largitas donat accrescit, vt conferendorum munerum causa, de his quæ sunt collata pariantur.* Dicimus ergo eos habere gratiam sufficientem, qui modico desiderio boni donati sunt, quia potest intendi paulatim istud desiderium & ad intensissimum peruenire.

quam seueriores Baiani, qui si consequenter ad sua principia Philosophari velint, multo magis ipsi reipsa Pelagiani inuenientur, quam quilibet alij, qua de re forsan se dabit dissertandi occasio.

Interim excutiamus Articulum 1. puncti istius tertij in quo D. Augustinus primum locum obtinet, quia in Epistola 107. quæ est ad Vitalem ostendit opinionem Semi-pelagianorum fuisse omnes homines gratiam fuisse accepturos, si non illi quibus non donatur, eam sua voluntate respuerent. Tum subiungit S. doctor. *Quoniam ergo propitio Christo Christiani Catholici sumus, Scimus gratiam non omnibus hominibus dari; Scimus ijs quibus datur, misericordia Dei gratuita dari. Scimus ijs quibus non datur, iusto Dei iudicio non dari.* Ex quo loco inferunt gratiam sufficientem omnibus communem non esse, nec posse asseri talem gratiam nisi à Semi pelagianis.

Verum ex inspectione attentiori eius Epistolæ, satis liquet gratiam illam de qua sermo est D. Augustino, non esse gratiam actualem præuenientem quam dicimus sufficientem quæ datur etiam rebellibus voluntatibus, quæ volentes nolentes ea mouentur, sed esse gratiam habitualem sanctificantem, quam Semi-pelagiani à Deo concedendam esse credebant hominibus non solum secundũ ea quæ in corpore gessissent, sed etiam quæ gesturi fuissent si diutius in corpore fuissent. Additque D. Augustinus contendens contra ipsos gratiam hanc non dari ex talibus meritis. *Quo modo voluntatis humanæ*

meritum ſequitur gratia cum detur & paruulis, qui hoc nondum poſſunt velle ſeu nolle. At gratia quæ datur paruulis non eſt alia ab habituali ſanctificante, niſi velint ipſi cum Luthero ſuſtinere in ijſdem dum Baptiſantur excitari motus quoſdam fidei Quod paradoxon, vt puto, non admittent. Nemo autem dubitat quod talis gratia non detur omnibus nec de hac digladiamur inter nos. Vt mirum ſit quoſdam Theologos tam arcta ſocietate Ianſenio fœderatos, eſſe æquiuocatione iſta nominis gratiæ deluſos in hoc textu. Nam ſi Auguſtino ſermo eſt de gratia illa actuali ſufficiente quam dicimus omnibus dari adultis & cui poſſunt obniti, ergo illam admiſit D. Auguſtinus. Si autem de aliqua gratia loquatur (textus) non eſt propoſito congruens. Vnde quoquo ſe vertant in iſta obiectione, velut nudi-pedes in medio veprium ſpinis punguntur.

ARTICVLVS XII.

An magis proſpere cedat Apologiſtæ citatio verſuum D. Proſperi, quam Ripaldæ.

OBijciunt ex D. Proſpero cap. 10. in carmine *de ingratis* Semi pelagianos admiſiſſe talem gratiam ſufficientem qualem admittunt hodie ſectatores Molinæ, quam ipſe D. Proſper impugnat in capitibus ſe-

quentibus : ac sic illam depingit.

Quam sana fides sit vestra patescat,
Gratia qua Christi populus sumus, hoc cohibetur
Limite vobiscum & formam hanc adscribitis illi,
Vt cunctos vocet illa quidem, inuitetque: nec vllum
Præteriens, studeat cõmunem afferre salutem
Omnibus, & totum peccato absoluere mundum
Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti, &c.

Vbi D. Prosper ita graphicè delineat gratiam illam hæreticorum, vt non videatur discrepare à Gratia Sufficienti Molinistarum, vt vocant illi: hanc autem opinionem vt stultam reiici à sanctis Patribus; Prosperum enim subiungere dum eam refellit cap. 13.

Sed tamen hæc aliqua si vis ratione tueri
Et credi tam stulta cupis.

Inde aduersarii conficiunt argumentum, quod multi-faciunt.

Respondetur vero frustra iaci rete ante oculos pennatorum, & in illâ obiectione insignem esse hallucinationem Iansenistarum, qui vel ignorantmentem D. Prosperi in his carminibus, vel si assequuntur, mala fide agunt, vt quoquo modo decipiant simplices & minus perspicaces. Ac primo carmnia illa de ingratis non sunt contra Semipelagianos sed contra Pelagianos, vt ipse titulus indicat. Deinde nomen gratia non sumitur ibi pro gratia aliqua interiori quæ præueniat liberum arbitrium, & cui liberum sit as-

sentire vel dissentire, qualis est gratia sufficiens quam admittimus. Pro qua ergo gratia sumitur, inquies? Dico Pelagium vocasse prædicationem Euangelij gratiam quâ Christiani sumus, sicut aliàs vocauit ipsa dona naturalia gratiam Dei, vt se expediret à Patribus Concilij Diospolitani. Ludebat enim in æquiuoco, & diuersâ acceptione huius nominis, plures fallebat. Dicebat igitur Pelagius prædicationem Euangelij communem fuisse omnibus populis, hanc omnes inuitare ad salutem, & in potestate arbitrij sine vlla gratia interiori situm esse, vt posita illa prædicationis gratiâ exteriori, salutem operaretur, vel illam contemneret e si sit hæc mens D. Prosperi, vident omnes quam futilis est hæc obiectio & quam fraudulenta, licet prima specie, minus intelligentibus videatur illis victoriam polliceri: hanc autem esse illius mentem probatur euidentissimè ex capitibus sequentibus in quibus illam cum hoc sensu intellectam refutat.

Cap. 11. *Dic vnde probes quod gratia Christi*
Nullum omnino hominem de cunctis qui generantur
Prætereat, cui non regnum vitamque beatã
Impertire velit? nec enim vel tempore nostro
Omnibus in terris iam certum est insinuatum
Christi Euangelium.

& cap. 14. *Percurrat Apostolus orbem*
Prædicet, hortetur, plantet, riget, increpet, instet
Quâque viam verbo reseratam inuenerit, intret

Vt tamen his studijs auditor promoueatur
Nō Doctor, neq; discipulus, sed gratia sola
Efficit : inque graues adolet plantaria fructus:

& clarius c. 20. *Dumque aliud non est vobiscum gratia quam lex*
Quamque propheta monens, & quam doctrinā ministri.

Satis vt opinor probatum est D. Prosperum imputare Pelagianis quod gratia Euangelij communis esset omnibus; & quod illâ positâ, salus hominis in eius esset libero arbitrio. Sed quid hoc ad gratiam sufficientem? Desinant ergo talia obiicere & Catholicos scriptores Pelagianis adæquare, quorum sententias post euolutum Augustinum, spatio viginti duorum annorum nondum didiscerunt

Veruntamen solatium est Baianis quod non soli impegerint in hos versus D. Prosperi; insultant quippe Ripaldæ authori doctissimo trium tomorum *de Ente supernaturali*, in quorum tertio qui est contra Baium & Baianos disput. 22. grauiter deceptus est, laudans eosdem quasi opinionem Ecclesiæ Catholicæ de Gratia Sufficiente exponerent, cum verius non nisi opinionem Pelagianorum, quàm ideo stultam vocat D. Prosper, exhibeant : vnde pullulauit libellus cum titulo *vulpes capta* ; sed quia hoc vnum est priuatarum controuersiarum caput, quas hic non attingimus, tantum illud obiter notamus, cum etiam Baiani decepti sint in his versibus, non decere vt alios subsannent, quare cum iuxta vetus adagium, vulpes iungere absur-

dum ſit, vtrique ſua vulpes capta aſſignanda eſt.

Sed duabus anchoris, vt aiunt, ſuſtentant ſe Baiani in hoc articulo, vt ſi vna ſit inutilis, altera fulciantur, ideirco in eodem articulo adiungunt D. Proſperi verſibus authoritatem Concilij Sardicenſis, ac D. Fulgentij Epiſcopi Ruſpenſis, qui inter diſcipulos Diui Auguſtini annumeratur. Obiiciunt erga verba Concilij Sardicenſis deſumpta ex Epiſtola Synodica Epiſcoporum Afrorum in Sardiniâ exulum, quæ inter opera D. Fulgentij inuenitur, ne inter Concilia caſſo opere Lector eam inquirat: verba autem ſunt hæc: *De Gratia non dignè ſentit quiſquis eam putat omnibus hominibus dari.*

Reſpondetur nec gratiam interiorem, quâ præueniuntur humanæ voluntates à Deo, vt ad bonum excitentur & adiuuentur omnibus dari, cum nec infantibus, nec amentibus detur, quibus alia media ſufficientia, & alterius generis competunt. Sed nec patres iſtos de Gratia ſufficienti habere ſermonem, tam certum, quam certum eſt illam gratiam ſufficientem adſtruere, cum dicunt in eadem Epiſtola id ipſum quod dicimus. *Quod autem vos dicitis ſola Dei miſericordia ſaluari hominem, illi autem dicunt niſi quis propria voluntate concurrerit, & elaborauerit, ſaluus eſſe non poterit: dignè vtrumque tenetur, ſi rectus ordo ſeruetur diuinæ miſericordiæ & voluntatis humanæ: vt illa præueniat, hæc ſequatur; ſola Dei miſericordia initium ſalutis conferat: cui deinde voluntas hominis cooperatrix ſuæ ſalutis exiſtat, &c.* De qua ergo gratiâ loquitur? de gratia iuſtificationis, quam Pelagiani admittebant, quo

ad effectum remissionis peccatorum & quam omnibus idest, quibusuis promiscuè dari censebant ex bonis actibus aut operibus Liberi Arbitrij solius sine auxilio Spiritus sancti: quod derogat nobilitati illius gratiæ quæ cũ sit supernaturalis prærequirit dispositiones supernaturales ex auxilio Spiritus sancti: vnde non dignè sentit de illa qui eam putat omnibus hominibus dari ex viribus nudi Liberi arbitrii. Hoc vero probatur ex hoc quod supra duas lineas ante hanc sententiant loquantur expressè de Gratiâ Iustificationis.

Obiiciunt ibidem plura loca D. Fulgentii ex lib. de Verit. Prædest. cap. 14. & 20. in quibus gratiam nec omnibus nec æqualiter dari adstruit.

Verum facilè est perspicere ex tribus vltimis capitibus istius libri D. Fulgentium loqui de Fide Charitate formatâ; quam vocat gratiam ex misericordiâ Dei datam non ex operibus puri Liberi Arbitrii, ac omni auxilio destituti: quasi diceret ad Pelagianos. Vos existimatis omnibus æqualiter datam esse fidem per charitatem operantem quæ extirpet malitiam, & desiderium regni cœlestis inspiret, in quantum vnusquisque libero donatus est arbitrio, & vbique personuit tuba euangelij: at non ita est, gratia Dei quæ est fides cum charitate, non vnicuique sic æqualiter competit ex naturali potestate arbitrij: *gratiæ opus est in homine vt gratia suscipiatur ab homine*, ait cap. 4. idest, gratia præueniens necessaria est præter naturales vires arbitrij, vt gratia fidei & charitatis suscipiatur: vnde & cap. 21. sic adhuc loquitur. *Hæc ergo charitas non ex*

nostra voluntate aut esse incipit aut crescit in nobis, sed gratia Dei faciente diffunditur in cordibus nostris. &c. Quisquis ergo in nomine gratiæ non vult falli, audiat Apostolum tumoris humani superbiam, quæ sibi nititur boni operis assignare initium, sollicitè comprimentem. Vbi totus est D. Fulgentius, ad adstruendam necessitatem gratiæ præuenientis, & quâ præparatur voluntas ad suscipiendam charitatis gratiam, quam solam nec omnibus nec æqualiter dari ex virtute Liberi Arbitrij contra Pelagianos contendit, nec plus asserit D. Fulgentius nec plus fulgoris ex illius dictis affulget, si rectè intelligantur.

ARTICVLVS XIII.

Excutiuntur probationes ex libro de Vocatione Gentium.

OBiiciunt septem probationes claras inquiũt & indubitatas, quibus constat, veram Iesu Christi gratiam ad salutem necessariam, secundum authorem librorum de Vocatione Gentium non omnibus dari, quem authorem alium à D. Prospero iam supra ex leuibus coniecturis diuinarunt.

Respondetur ne vnam quidem ex his probationibus valere. 1. enim probat, aiunt, gratiam illam non dari omnibus quod asserat plures esse nationes quibus nondum illuxit gratia saluatoris; sed ad hoc respondetur D. Prosperum loqui de

3 Probat infideles gratiam sufficientem non habere, quia Ecclesia orat pro ijs vt habeant ex eodem D. Prospero l. 1. de voc. gent. cap. 12. *Non autem Ecclesia oraret vt haberent quod iam habent.* Respondeo Ecclesiam orare vt infideles non solum gratiam sufficientem habeant, sed etiam abundantius habeant, & vt effectum suum sortiatur, sic Christus dicit de seipso, se venisse vt vitam habeant, & abundantius habeant. *Joan.* 10.

4. Probat non omnibus dari gratiam sufficientem, quod ex eodem lib. 1. cap. 8. nullus desiderio appetat spiritualem noui generis dignitatem, *qui calorem huius desiderij non accepit à Deo.* Plerique autem hominum nec calidi, nec tepidi sunt, sed omnino frigidi omnique pio carent desiderio: ergo nec habent gratiam sufficientem.

Respondetur gratiam sufficientem non semper requirere appetitũ hunc tam intensum & feruidum, sicut egregiè ostendit Idem Prosper l. 2. de voc. gent. cap. 11. vbi postquam docuit dissimiles gradus, & impares quantitates gratiarum Dei, quosdamque ab ipso initio perfectissima gratia cumulari, ait, *non facile tamen reperitur in exordio maturitas, & in inchoatione perfectio, &c. Multoque numerosior pars illa hominum est cui particulatim quicquid superna largitas donat accrescit, vt conferendorum munerum causa, de his quæ sunt collata pariantur.* Dicimus ergo eos habere gratiam sufficientem, qui modico desiderio boni donati sunt, quia potest intendi paulatim istud desiderium & ad intensissimum peruenire.

5. Probat gratiam sufficientem ex D. Prospero non omnibus dari l. 1. c. 18. quia causa percipiendæ gratiæ *voluntas Dei est, apud quam ratio electionis abscondita est, ab ea gratia incipientibus meritis quam accepere sine meritis.* Si autem omnibus daretur non esset ex electione Dei. Ad hoc Respondetur D. Prosperum loqui ibi de Gratia iustificante quæ recipitur in sacramentis vt legenti manifestum est. Hanc autem gratiam dicit dari non ex meritis hominum vt contendebant Pelagiani sed ex liberalitate gratuita & voluntate Dei. Hæc autem nihil pertinent ad gratiam sufficientem. Vt mirum sit Doctos homines hæc in defensionem suæ causæ adducere.

6. Probat gratiam sufficientem non esse communem omnibus ex eodem authore de voc. gent. l.1.c.32. Quod ibi dicatur D. Paulum dicendo Deum esse saluatorem *omnium maximè fidelium*, ostendisse esse partem generis humani quæ merito fidei diuinitus inspirata, ad summam atque æternam salutem specialibus beneficijs prouehatur.

Respondetur Argementationem istam non concludere, cum ex præcitatis locis Prosperi dispares sint quantitates gratiæ saluatoris, quædam minus & quædam magis speciales, quæ gratiæ licet inæquales non desinunt esse sufficientes, si voluntas accedat cooperatix.

7. Ergo probat verisimiliori Argumento, quod propterea in finem reseruauit, vt præcedentium ratiocinationum imbecillitatem compensaret. l. 2. c. 8. asserit quod aliud sit posse ope-

rari aliud operari, aliud poſſe habere charitatem, aliud habere charitatem &c. *Reparabilem & sanabilem eſſe de natura eſt: reparatum autem & ſanatum eſſe, de Gratia.* Addit ex D. Auguſtino de Prædeſt. ſanctorum c. 5. *Nunquid per hæc dona quæ omnibus communia ſunt hominibus diſcernuntur homines ab hominibus?* Inde infert ſi gratia ſit communis omnibus, non poſſe attribui gratiæ, cur vnus præ alio ſanetur. Sed Reſpondetur facile, quod quamuis gratia ſit communis omnibus, non eſt tamen communis in eodem gradu & in eadem quantitate, vt pluribus capitibus ſupra aſſeruit D. Proſper. Non eſt autem inconueniens quod per dona communia ſed cum diuerſitate gradus & quantitatis diſcernantur homines.

Inſtat magis D. Proſperum non agnoſcere aliam gratiam quam efficacem, illam nimirum quæ actu ſanat cum poſſe ſanari naturæ attribuat. Sed etiam ſupra citauimus cap. 1. l. 2. vbi expreſſe dicit gratiam parciorem ſufficere ad remedium. Quibus verbis in terminis admittit ipſam gratiam ſufficientem. Quod autem poſſibilitatem habendi charitatem naturæ attribuat, id verum eſt de quadam poſſibilitate remota, non de proximiori poſſibilitate, quæ ex gratia præueniente ſeu ſufficiente profluit. Sic igitur euaneſcunt ſeptem illæ probationes, nihil habent ex authore illo librorum de *vocatione gentium*, quo dogmata ſua inuictè firmentur vt præſumant, ſed potius multa quo certiſſime euertantur. Quæ autem fuſius tractant de alijs locis D. Proſperi, hæc Docto-

res illos respiciunt quos confutare moliuntur, quibus facillimum erit expedire se ab eorum obiectis: in hanc messem alienam falcem non mitto.

ARTICVLVS XIV.

An euertatur funditus gratia sufficiens per principia quædam D. Augustini & de iracundia Baianorum contra illam.

OBijciunt art. 10. principia quædam esse in Doctirna D. Augustini quibus funditus euertitur prætensa illa sufficiens gratia omnibus communis, quam, inquiunt, discipuli Molinæ defendunt. Primum ex his principijs est, quod semper distinguit D. Augustinus inter gratiam & naturam, quod hæc sit communis omnibus, illa sit particularis quibusdam hominibus. Sic *de Gratia & Libero Arbitrio* c. 13. sic serm. 11. *de Verbis Apostoli* & alibi pluries. Cum ergo communis sit omnibus natura non gratia, inde concludunt contra gratiam sufficientem, eamque sic conculcant veluti pedibus vt vocent gratiam falsam, spuriam, alienigenam, è terra non è cœlo & ex inuentione hominum non ex inspiratione Spiritus Sancti profluentem.

Respondetur primo nec communem esse absolutè omnibus hominibus gratiam hanc suf-

ficientem quæ consistit in interioribus quibusdam illuminationibus & admonitionibus secretis, quibus Deus pulsat ad ostium cordis vniuscuiusque ad vitanda peccata & aliquid rectè operandum : nec enim infantes illam recipiunt, nec ámentes : quare vno verbo destrui potest prolixa illa ratiocinatio. Sic D. Fulgentius refellit Pelagianos asserentes Deum expectare hominis voluntatem. *Interim testimonio*, inquit, *conuincantur non loquentium hominum, sed tacentium paruulorum* &c. *in eis namque nec bona voluntas est, vt æquum sit in volentibus præmium, nec mala vt sit in volentibus iusta damnatio;* Ita libro de Incarn. & gratia Iesu Christi. c. 30. Si ergo satis est vnica instantia ex infantibus petita ad refellendum dogma Pelagianum : cur nobis non sufficiet, ad refellendam imposturam Baianorum, qui gratiam quamdam interiorem omnibus sufficientem à nobis admitti improperant?

Secundo negamus istud principium scilicet naturale esse quod omnibus nullo excepto competit, datur enim instantia in resurrectione omnium mortalium, quæ erit opus supernaturale, quod merito Christi, omnibus conueniet. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes viuificabuntur, licet diuersa futura sit resurgentium conditio. Sic interpretatur Theodoretus & in Concilio Palestino seu Diospolitano coactus est Pelagius id ipsum admittere, cum antea negaret omne genus humanum per Christum resurgere. Vnde & inferri potest, si quid commune omnibus

pro corpore sit, Christi Sanguine acquisitũ, non debere alienum à ratione videri, si quid etiam cõmune pro anima, omnibus Christi Sanguine acquisitum sit, media scilicet sufficientia ad salutem: nunquid enim Christus magis corpus sanauit quam animam? Negent ergo illi articulum resurrectionis & solis prædestinatis, id est, sibi ipsis attribuant, si hæc ratio valeat ad destruendam gratiam sufficientem, illudque pretiosum Dei donum, quo captiuitas primæua hominum soluta est, conculcent, iniurijs proscindant interim, ac sic iniuriosè Christi Sanguinem habeant vt ingratitudinem Pelagij longè superare videantur: nec enim tantum est negare se beneficium accepisse quantum est beneficium abiicere ac iniurijs afficere. Non immerito putamus castissimum ac mitissimum animarum sponsum amarum esse amariorum ac amarissimum, vt de seipso dixit l. 1. reuelat. S. Brigittæ c. 58. cum non satis sit cum charitate sua nudare, nisi etiam adultero comparent qui edat spuriam prolem. Video hic quam verè scripserit D. Ephrem Syrus to. 1 de Gratia diuina. *Non omnes postquam viri euaserunt suas matres reuerentur: itidemque gratia licet multos enutrierit, à paucis tamen honoratur. Pariendi dolores laboresque educationis non omnes, intelligunt. Si noscere cupitis quid operetur gratia, vobis id optime declarabit Ioseph, cunctorum & bonorum & malorum curam gerit vt benigna mater.* Nesciunt forsan illi quod dixit Plato l. 5. *de Republica.* veritati irasci nefas esse

Sed ad magis sedandum furorem hunc Ian-

ſenianum contra amabilem gratiam Dei quæ omnes inuitat ad vitam beatam, libet iiſdem verbis eos compellare quibus Ionam Prophetsm quondam Deus mitigauit, cum affligeretur ob miſericordiam vniuerſalem ad ciuitatem Niniues impertitam, in qua etiam vt putat Paulus Palatius commentarijs in Prophetas Minores Sardanapalus Rex erat, qui gratiam Dei conſequtus eſt & remiſſionem peccatorum. exareſcent enim hadera, cuius ſolijs ab ardore ſolis ſeruabatur Ionas, ex quo ille incommodum ſentiens, magis doluit & iracundia efferbuit, vt etiam cum morte vitam commutare deſideraret. Tunc dicit Deus ad Ionam: *putas ne benè iraſceris tu ſuper hedera: & dixit benè iraſcor ego vſque ad mortem, & dixit Dominus, tu doles ſuper hedera in qua non laboraſti, neque feciſti vt creſceret. Quæ ſub vna nocte nata eſt ſub vna nocte periit. Et ego non parcam niniuê ciuitati magnæ, in ſunt pluſquam centum viginti millia heminum, qui neſciunt quid ſit inter dexteram & ſiniſtram ſuam, & immenta multa.* Hæc tunc Deus ad Prophetam iracundiorem, quæ ego ad Ianſenij interpretem non minus aptè dixerim, qui tanto iræ impetu contra Dei gratiam incenſus eſt, qua vniuerſo orbi magnæ veluti ciuitati benignitatem ſuæ miſericordiæ impendit, vt homines à morte peccati & ruina primi parentis educat *putaſne benè iraſceris tu?* Si equs tuus in oculo vel pede læſus ſit, tu doles & vis eum ſanum eſſe, & non potes audire velle Deum vniuerſos homines ſaluos eſſe, ſed gratiam qua primum illorum ſa-

luti ſtudet, iniurijs laceras. Comprime quæſo iſtos æſtus & diſce te Deum habere patientiſſimum, benigniſſimum, & qui prius miſericordiam quam iuſtitiam exhibeat.

Sed quoniam piæ noſttæ meditationes corda iſta non emolliunt, quod principijs Auguſtinianis ſe fulciri putent quæ nobis Obijciunt, propria ipſorum principia ipſis verius opponamus, nec enim verè obijci poteſt à Baianis quod inter naturam & gratiam non diſtinguamus, cum tam ſæpe diſtinctionem illam, & tam expreſſe aſſeramus, ſed hoc ipſiſmet improperari poteſt, qui ſi velint permanere in ſuis dogmatibus & conſequenter ad ſua principia Philoſophari, conuincentur ipſi de Pelagianiſmo & quod inter naturalia & ſupernaturalia ſicut ipſe Pelagius, non diſtinguant amplius, itaut à Pelagij laqueis nunquam ſe poſſint exuere. Enimvero ſi ſpectamus naturam in ſtatu integritatis ſuæ ante peccatum Protoplaſti, ipſis doctrina eſt communis cum Pelagio quod in illo ſtatu gratia & virtutes Theologicæ fidei ſpei & charitatis naturaliter competebant homini ſicut quædam annexa primæ creationi hominis, ſicut ſæpius id aſſerentem Baium vidimus, & multis tuetur Dominus Ianſenius *l. de ſtat. puræ nat. &c.* Tantũque iſta fuiſſe ſupernaturalia propter peccatum hominis, ex quo eius natura ſic vulnerata ac deformis facta eſt vt ijs indigna omnino reddita ſit & nonniſi immerenti conferantur, cum ex meritis Chriſti donantur. Hæc ipſorum eſt Cœleſtis Theologia. Sed quid reſpondebunt Pelagio cum ipſis obijciet,

obijciet, hæc debere esse naturalia in statu naturæ integræ. Nec peccatum eius esse virtutis, vt per illud naturalia desinant esse naturalia & efficiantur supernaturalia. Neque enim potior erit ratio cur virtutes fidei spei & charitatis atque ipsamet gratia, efficiantur supernaturalia post peccatum, quam sanitas, potentia videndi & ambulandi & alia eiusmodi quæ naturalem hominis constitutionem consequuntur. Quod Argumentũ doctè pluribus alijs additis cõtra ipsos vrget pater Annatus in suo Augustino à Baianis vindicato, l. 5. c. 4. qui liber cum permissione congregationis S. officij in lucem prodijt, & inter manus nostras venit cum iam ad prælum properaret hæc pars tertia *de Beneficio crucis*. Hunc authorem vtiliter legere possunt, vt eorum animæ erroris plaga sauciæ potentiori medicamento curentur quam nostro.

Sed & Pelagius confirmare poterit contra ipsos sententiam suam exemplo Angelorum, in quibus naturalia post peccatum remansisse testatur apex Theologorum Dionysius Areopagita de diuinis nominibus c. 4. & si in dæmonibus naturalia remanserunt integra, cur non etiam in hominibus? Maximè cum peccatum Angelorum grauius existimetur quam peccatum hominum. Sic quippe docet Alexander Alensis 3. parte Summæ, cuius tres rationes refert, idem asserens, Robertus de Licio *serm.* 13. *Quadrages. de Peccatis* 1. ratione Liberi Arbitrij, quod in homine ante electionem & post electionem habet se mutabiliter, & quod facilius errare possit homo iu-

dicando quam Angelus. Vnde diabolus peccauit cum magis deliberata volontate, & absque errore. 2. Quia homo peccauit appetendo scientiam, Angelus appetendo omnipotentiam Dei cum maiori inordinatione, eo quod hæc omnipotentia non sit communicabilis creaturæ. 3. Quod homo ex ignorantia crediderit peccatum suum tantum veniale, ideoque peccauit cum proposito pœnitendi & veniam petendi. Quod de Angelo non dicitur. Atque huic Alensis sententiæ adstipulatur Suares de opere sex dierum l. 4. c. 7. post Ricardum in 2. dist. 21. art. 3. q. 2. Vbi etiam pro eadem opinione laudat Scotum in eadem distinctione, qui tamen tantum asserit expressis verbis peccatum Luciferi fuisse grauius peccato Euæ, idque tantum insinuat de peccato Adami, dum grauitatem eius plurimum extenuat. Si igitur naturalia in Angelis post peccatum perdurant; *Nec Angelica munera*, vt loquitur Areopagita, *his tributa aliquando, permutata sed integra sunt penitusque conspicua*, quamuis eorum lapsus grauior sit hominis lapsu: quanto magis idem asseuerari potest de his quæ naturalia erant in homine? Si igitur ante peccatum naturalia illi erant quæ supernaturalia nunc putantur, fides, spes, charitas, gratia; & nunc naturalia dicenda erunt.

Quod amplius confirmari potest ex definitione entis supernaturalis: vt enim ens naturale apud Thomam Hurtado disp. 1. *de supernaturalitate rerum controuersia* 1. *membro* 1. est vel ipsa substantia vel id quod illi debetur se-

cundum cursum & ordinem naturæ. Sic supernaturale est quod est supra omnem naturam creatam eiusque rationem & potentiam ingenitam. At non magis dona gratiæ post peccatum Adami sunt supra omnem naturam creatam eiusque rationem & potentiam ingenitam, quam ante peccatum : vnde conficiet Pelagius, vt si ante peccatum supernaturalia non fuerint nec post peccatum talia habenda sint, sed tantum naturalia sicut in principio creationis. Inuenitur ergo Iansenius Pelagij socius, & cuius se debellatorem profitebatur, eius cogitur esse propugnator, nisi à suis principijs longè velit discedere. Et iam cum ipsi sint magis Pelagiani, gloriantur se magis esse anti-Pelagianos.

ARTICVLVS XV.

Excutitur secundum principium ex Augustino petitum quo gratia sufficiens destrui putatur, & de admiratione D. Augustini.

OBijciunt in art. 12. secundum principium multis in locis à D. Augustino assertum & repetitum, quo destrui putant gratiam sufficientem. Scilicet mysterium esse occultum, incomprehensibile, omnino inscrutabile & admirabile, quod cum omnes homines in Adam peccauerint, ac gratia indigni sint, aliqui tamen gratiam recipiant, alij non recipiant. Nihil ta[m]

sæpe miratur D. Augustinus contra Pelagianos scribens. Hâc humili admiratione magni Apostoli confundit superbiam Pelagianorum: atque hoc stupore expugnat reliquias illorum hæresis. Sic dicit D. Augustinus l. 1. de peccator. meritis c. 21. *Hæc gratia cur ad illum veniat, ad illum non veniat, occulta esse causa potest, iniusta non potest. Sed prius sanctarum scripturarum authoritatibus colla subdenda sunt, vt ad intellectum per fidem quisque perueniat. Neque enim frustra dictum est, iudicia tua abyssus multa. Cuius abyssi altitudinem veluti expauescens exclamat Apostolus. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei* &c. Plures alios locos proferunt ex Sancto Doctore D. Augustino, quibus ipse admiratur discrimen hoc ac incomprehensibile esse asserit: ergo non datur gratia sufficiens, quia illa admissa satis intelligeretur ratio cur vnus gratiam qua liberatur actu à peccato reciperet, scilicet bonum illius vsum, alius vero non reciperet, quia scilicet gratiæ sufficienti non assensisset ac cooperatus fuisset. Sicque nullus restaret locus tot admirationibus & exclamationibus.

Ad hoc vero respondetur primò, quo magis gratiæ diuinæ præcellentia cognoscitur eo magis stupendam esse ac admirabilem, quia vt iam dictū est, in entitate sua est occulta, ineffabilis, mirabilis, secreta, opus insigne adorandæ Trinitatis, de qua alias plura meditati sumus, itaut solis ignaris minus sit admirationi. Deinde cum D. Augustinus loquatur ibi de Gratia adulta & perfecta quam comitatur fides per

charitatem operans, quam gratiam adstruere contra Pelagium molitur, magna ex parte difficultas exhauritur ex imparibus quantitatibus gratiæ sufficientis, quæ sæpe sæpius causa sunt præcipua huius discriminis. Quæ tamen impares quantitates in occulta Dei iudicia refundendæ sunt, cum in his humanæ rationes conticescere debeant. Sic idem D. Augustinus asserit l. 2. de pec. meritis & remiss. c. 5. *cur autem illum adiuuet, illum non adiuuet: illum tantum, illum autem non tantum: istum illo, illum isto modo; pœnes ipsum est æquitatis tam secretæ ratio & excellentia potestatis* Veruntamen, quia etiam dicit ibi D. Augustinus etiam illum adiuuare non istum, nulla facta mentione de modo aut de quantitate auxilij, non pænitus exhausta est nec respectu omnium ista difficultas. Ideo notare iuuat ex eodem D. Augustino Epist. 102. duplex esse genus admirationis, alterum quod oritur ex ignorantiæ causa: alterum ex eo quod appareat res aliqua inusitata, singularis, rara, adde, verè magna *aut si miramur*, inquit, *non inopinata stupendo, sed excellentia laudando miramur*: sic l. 8. confes. c. 6. audiens mirabilia de vita D. Antonij. *Omnes mirabamur nos quia tam magna erant.* Sic qui videt aquam ex profundo loco ad montis culmen adscendere, etiam si aperto artificio causam nouerit, adhuc miratur. Sic Theologi qui nouerunt causam cur filius sit genitus, non Spiritus Sanctus, non desinunt admirari generationis illius & processionis magnitudinem. Sic viri spirituales in suis meditationibus, sæpe in

affectum admirationis rapti exclamant super magnitudine & singularitate rerum quas meditantur, etiam si non laborent earum ignorantia. Sic Christum miratum fuisse fidem centurionis Matth. 8. asseri potest, etiam si non ignoraret nec abscondita esset ab eius mente ratio & causa huius fidei. Quidni ergo D. Paulus, quidni D. Augustinus Doctor inter omnes maximè affectiuus & contemplationi deditus, miratus sit mysterium istud gratiæ perfectioris, quæ vni datur, alteri non datur, cum valde raro accidat, vt ita fiat, si æqualis gratia sufficiens duobus collata fuerit? Sed ordinariè & fere semper ex inæqualitate illius gratiæ sufficientis proueniat, quæ inequalitas ad abyssum iudiciorum diuinorum mentibus humanis inacessam pertinet. Sed & quamuis se miretur & secretum istud incomprehensibile esse velit, id tamen fieri potest, quia etiam posita gratia sufficiente in quacumque mensura, aliquid est simul mirandum & incomprehensibile in eo qui liberatur à peccato per gratiam Christi, cum alius non liberetur. In eo enim qui liberatur mirabilis & incomprehensibilis est amoris diuini magnitudo qui sic mundum dilexit vt filium suum vnigenitum daret. In alio autem qui non liberatur miranda est & incomprehensibilis ingratitudo, durities & rebellio cordis humani admonitionibus gratiæ resistentis & in peccato peseuerantis. Sic Ierem. 2. Deus loquitur de corde duro. *Obstupescite cæli super hoc & portæ eius desolamini vehementer: duo enim mala fecit populus meus; dereliquerunt*

runt me fontem aquæ viuæ. &c. Hæc ſunt propter quæ merito exclamare poſſumus *ô altitudo diuitiarum* &c. & propter quæ ſæpe mirabatur D. Auguſtinus, cuius pietatem non dignè æſtimat & colit, quiſquis cauſas has admirationis, illius animà indignas eſſe putauerit. Legantur pii eius tractatus, quot ſimiles admirationes paſſim offendet?

Quod vero aliquando in iiſdem locis D. Auguſtinus arguat eos qui ſecretum hoc ſcrutantur & eius rationem aliquam volunt aſſignare, ita ad hominem loquitur contra Pelagianos qui in ſola Liberi Arbitrij etiam gratia denudati merita, cauſam totam refundebant, quos propterea aſſerit in fabulas vanitatis abiiſſe l. 4. ad Bonifac. c. 6. quod non aſſerit de iis qui primariam cauſam Dei gratiæ præuenienti attribuerent. Scilicet incomprehenſibilia ſunt Dei iudicia, cur hic conuertatur, alter non, ſecundum tua principia, ô Pelagi, qui hoc diſcrimen ex nudis naturæ viribus eſſe repetendum putas. Etiam ſuas partes habet eaſque primarias Dei gratia excitans & iuuans infirmitatem Liberi Arbitrij, nec aliter rem iſtam mens poteſt aſſequi. Incomprehenſibile eſt quod dicis, cauſam iſtius tanti momenti eſſe meritum merè humanum, etiam interuenire debet gratia, quæ opus eſt immenſæ Dei miſericordiæ. Denique totum iſtud Argumentum eſt ab authoritate negatiua, nec in ijs negat gratiam ſufficientem Auguſtinus, vt tales conſequentias ſecundum eius mentem non eſſe, affirmari poſſit.

Inſtant D. Auguſtinum de *dono perſeuer.* c. 9

asserere adhuc esse inscrutabiliora Dei iudicia, cur ex duobus iustis vni detur perseuerantia vsque in finem, alteri non detur. Ergo nullo modo refundendam illam esse causam istius discriminis in gratiam sufficientem vtrique datam, cur vnus cooperetur, alter non cooperetur.

Respondetur eadem quæ in priori Argumento dicta sunt, dici etiam posse pro præsenti ratiocinatione. Sed & istud Argumentum soluendum est aduersariis, qui admittunt gratiam sufficientem in statu innocentiæ in quo iusti quidam perseuerassent, non alii. Deinde Perseuerantia de qua loquitur D. Augustinus esse perseuerantia actu completa per mortem, quæ sæpe ex quibusdam adiunctis externis dependet quæ non nisi specialiori Dei prouidentia accidere potuerunt. Verbi gratia vnus iustus, statim post acceptam gratiam iustificantem moritur absque eo quod opus illi sit resistere tentationibus per multum tempus. Vel moritur in hoc loco & tempore inter has & illas personas, à quibus iuuatur plurimum vt in Domino & sancte exspiret, vel in momento casu aliquo improuiso rapitur ex hac vita. Quæ omnia cum non leuiter conferant ad piè moriendum in statu gratiæ, & ex iudicijs Dei proueniant, non immerito dixit D. Augustinus esse Dei iudicia magis inscrutabilia super iustis, quorum vnus dono perseuerantiæ cumulatur, non alter: nam quod possint perseuerare qui non perseuerarunt, non obscure affirmat idem D. Augustinus de corrept. & gratia c. 7. *potest dici*

homini in eo quod audieras & tenueras, perseuerares si velles.

Instare adhuc possent acrius in eodem libro de corrept. & gratia D. Augustinum statuere discrimen inter primum hominem & cæteros homines, quod ad perseuerantiam spectat, quod primo homini datum sit non vt perseueret sed vt perseuerare posset si vellet, nunc vero dari prædestinatis vt actu perseuerent, non tantum vt possint, ergo imaginariam esse gratiam sufficientem in iustis, qua possint perseuerare si velint: habent quippe auxilium quo perseuerent inuicte & cui non possint resistere.

Respondetur per verba Doctoris Parisiensis Martini de Magistris qui Molinam sæculo vno præcessit, in tractatu *de fortitudine*, q. 3. *de perseuerantia*, verba D. Augustini intelligi posse vno modo, quod Deus nunc in prædestinatis mediantibus donis suis totaliter causet actum perseuerandi, ita quod voluntas non se habeat causaliter liberè respectu productionis eius, in primo vero parente dederit ea dona quibus poterat causari partialiter, sed cum his exigebatur causalitas voluntatis, & hoc est falsum pro prima parte, quia ad quemlibet bonum actum voluntas nostra coucurrit effectiuè liberè. Secundo modo potest intelligi quod dedit primo parenti vt perseuerare posset, & non vt perseueraret. i. dedit principia quæ cum libero arbitrio poterant esse causa perseuerandi, & tamen non fuerunt causa perseuerandi, sed electis dat principia non solum quæ possunt esse causa perseuerandi, sed etiam quæ de facto sunt causa per-

ſeuerandi; & in hoc ſenſu verum eſt: Hæc Martinus Doctor.

Porro inde intelligitur differentia inter auxilium *ſine quo*, & auxilium *quo* quorum auxiliorum diſtinctionem dat D. Auguſtinus l. *de gratia primi hominis*, cap. 17. quam, malè intellectam, putant Baiani eſſe clauem ad aperienda & penetranda arcana omnia doctrinæ D. Auguſtini de Gratia: Voluntque per auxilium *quo* induci neceſſitatem ad perſeuerandum, ſed hæc diſtinctio non rectè ab ipſis intellecta eſt potius baſis & fundamentum plurium aberrationum quibus à vero deflectunt: quippe auxilium primum *ſine quo* datum eſt Adamo. Secundum *quo* datur electis: per primum poterat Adamus perſeuerāre: per ſecundum electi de facto perſeuerant, nec tamen propterea gratia poſſibilitatis, ſi poſſibilitas illa ſit etiam ex gratia, deſinit eſſe vera gratia Chriſti, ſed tantum poſſibilitas quæ eſt ex ſolâ naturâ qualem admittebat Pelagius, & qualem improbat D. Auguſtinus; nam veram gratiam dare etiam poſſe agere, probandum aſſumit Doctor Pariſienſis Arboreus etiam Molina anterior, *Theoſophiæ*, l. 7. cap. 5. probatque ex D. Auguſtino enarrante illud Pauli ad Rom. 8. *Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum*, &c. *Liberum ergo*, inquit, *arbitrium perfectè fuit in primo homine, in nobis autem ante gratiam non eſt liberum arbitrium vt non peccemus, ſed tamen vt peccare nolimus: Gratia vero efficit vt non tantum velimus rectè facere ſed etiam poſſimus non viribus noſtris, ſed liberatoris auxilio, qui nobis etiam perfectam pacem in reſurrectione tribuit.*

Atque hæc forſan prolixiùs contra noſtrum inſtitutum ſcripta ſunt, non tamen inutiliter ad retundenda principia Ianſeniſtica quæ illi inuicta falſo putant, & tantopere extollunt.

ARTICVLVS XVI.

An deſint in D. Auguſtino principia ad adſtruendam Gratiam Sufficientem.

CEterum non deſunt in D. Auguſtino plura alia principia, quibus fortius ſtabiliatur gratia ſufficiens, quam per alia concutiatur.

Primum principium eſt quod Chriſtus deſideret omnium ſalutem, ad quam inuitat, & pro qua mortem obijt, vt eſt in Homilia 12. ex 50. homilijs. *Quare eligis mortem & deſeris vitam?* &c. huiuſmodi enim textus paſſim inueniuntur apud D. Auguſtinum, & plures in hoc opere afferimus.

Secundum principium eſt quod D. Auguſtinus aſſerat homines eſſe inexcuſabiles, ſi Deum non ament, ſi recte non operentur: ſic lib. 10. Confeſſ. cap. 6. & lib. de Natura & Gratia cap. 67. & alibi pluries: excuſare quippe ſe poſſent de defectu gratiæ, ſine propria ipſorum culpa.

Tertium principium eſt quod dicat mandata Dei eſſe poſſibilia; quam in rem plures textus euidentiſſimos iam produximus art. 2. huius partis & alibi.

Quartum principium eſt quod aſſerat D. Au-

gustinus nemini deesse auxilium diuinum ad superandas tentationes, sic in Psal. 79. sic sermone 197. de Tempore, quod multoties alibi inculcat.

Quintum principium est quod quibuslibet in hac vita facile est Pœnitentiam de peccatis agere: vt in Psal. 92. *Qui hodie tenebræ sunt: si velint, cras lux erunt, &c.* & lib. 8. Confess. cap. 6. *Amicus autem Dei si voluero ecce nunc fio*, quæ verba laudat D. Augustinus à quodam aulico prolata, cum perspiceret, quot laboribus & periculis amicus Imperatoris Romani fieri posset, quæ supponunt Gratiam Sufficientem.

Sextum principium est quod D. Augustinus asserat sæpe, Deum in patientia expectare peccatores ad Pœnitentiam, vt in Psal. 102. *Vocat vndique ad correctionem & ad pœnitẽtiam*, &c. *experieris iustum quem contempsisti benignum*: item libro de Prædest. & Gratia cap. 14. & 15. *an forte si pie de Deo sicut expedit sentiamus, etiam Pharaoni datam misericordiam reperimus? Patientia enim Dei valere ei debuit ad salutem, &c. Numquid non potuit sicut flagellis cæsus expulit populum, ita miraculis credens Deum tantæ virtutis agnoscere.*

Septimum principium est quod sæpe D. Augustinus referat peccata hominum eorumque indurationem ac damnationem in neglectum gratiarum aut vocationum diuinarum vt cum dicit de Esau lib. 1. ad Simplicianum q. 2. *Noluit Esau & non cucurrit, sed si voluisset & cucurrisset Dei adiutorio peruenisset, qui etiam velle & currere præstaret nisi vocatione contempta repro-*

bus fieret. Sic tract. 2. in Ioan. *si tu feceris casum, ille tibi facit occasum.* Sic in Psalm. 39. *Nusquam tibi deest tu noli illi deesse.*

Hæc principia Gratiæ Sufficientis longè manifestius eam comprobant, quam destiuant omnia quæ adducũt aduersarij, vt propterea illis opponere nobis visum fuerit, vt nos nihil nisi Augustinum sapere & spirare appareat, nec in Augustino colendo, laudando, ac intelligendo illis cædere videamur. Plura autem in hanc rem collecta inueniri possunt apud Petrum à sancto Ioseph Fuliensi cap. 11. *De consensu orbis de Gratia Sufficiente.*

ARTICVLVS XVII.

An Patres qui D. Augustinum sequnti sunt Iansentj mentem confirment?

OBiiciunt adhuc insigniores Ecclesiæ scriptores post D. Augustinum in hoc consensisse, quod vera Christi gratia ad salutem necessaria omnibus non detur, citantque Patres omnium sæculorum ac scriptores quosdam Ecclesiasticos ex quibus cathenam conficiunt, qua sese aduersarios constringere posse præsumunt: hæc autem cathena videtur argumentum eorum palmare ac præcipuum: Diffringetur tamen cathena hæc Deo opitulante, vt iactare se desinant, se Patrum defensores esse pro vera Christi gratia, quorum potius sunt aduersarij in hac causa, cum

plerosque ex his scriptoribus contra ipsos retorquere possimus, sicut præliatores occupatis hostium castris tormenta ipsorum bellica contra ipsos dirigunt: nec enim scriptores illi dicunt, non dari omnibus Gratiæ Sufficientis auxilia, sed id per quasdam consequentias à se fabricatas, & quæ sæpius remotæ sunt ab ipsorum scriptorum mente, deducunt. Qui modus probandi, si approbandus est, nullus est scriptor Ecclesiasticus ex cuius aliquibus saltem verbis contra ipsos concludi non possit: hæc in genere dicimus nam specialius modo res excutienda.

Obiiciunt ergo iterum art. 16. D. Prosperum, qui in V. sæculo floruit; quia dicit fidem inchoatam & perfectam esse donum Dei, ita *ad excerpta Genuensium dubio 5.* Rursus *dubio 6.* dicit, nos non posse conqueri, de eo quod in præteritis sæculis dimisit omnes gentes ingredi vias suas; inde concludunt secundum mentem D. Prosperi non dari Gratiam Sufficientem.

Respondetur id malè concludi, quia non repugnat Gratia Sufficiens, cum eo quod fides seu inchoata, seu perfecta, sit donum Dei & ex misericordia Dei; quod negabant Pelagiani, dicitur enim donum Dei, ex eo quod vel datur immediatè à Deo, vel datur gratia aliqua præueniens, ex Dei misericordia, qua ad fidem præparatur, tum voluntas, tum etiam intellectus. Rursus & si Deus dimiserit gentes ingredi vias suas, non impedit istud quin auxilia quædam interiora ad vitanda pleraque peccata, & aliquod bonum operandum acceperint, Deus enim dicitur deserere, non denegatione omnimoda

gratiæ ; ſed non appoſitione quarumdam gratiarum magis ſpecialium quas omnibus non concedi apud nos indubitatum , ſed vel illas vel quamdam gratiam generalem parcius & occultius omnium hominum corda pulſantem, vt modo nos docebit proſperè idem D. Proſper , cum diſpares ſint menſuræ , & quantitates gratiarum vt ſupra ex eodem pluries dictum eſt : quãto melius ex alijs verbis eiuſdem Patris confici poteſt Gratiam Sufficientem dari etiam his qui pereunt. Sic enim loquitur in reſponſionibus ad obiectiones Vincentianas in fine. *Qui enim voluntatem Dei ſpreuerunt inuitantem, voluntatem Dei ſentiunt vindicantem.* ex lib. 2, & de vocat. gentium cap. 10. id ipſum aſſumit probandum omnibus ſæculis miſericordiam Dei, & corpora aluiſſe & mentes iuuiſſe. *Manifeſtauerunt*, inquit , *diuinorum eloquiorum multæ authoritates & continua omnium ſæculorum experimenta docuerunt , iuſtam Dei miſericordiam, & iuſtitiam nec alendis vnquam corporibus hominum, nec docendis iuuandiſque eorum mentibus vnquam defuiſſe.* Et loquens de hominibus qui tempora diluuii præceſſerunt & cum idem neglecta obſeruantia patrum illicitis ſe reproborum connubiis miſcuiſſent, atque ob nefariam ſocietatem digno exterminio iudicarentur , Dominus ait, Geneſ, 6. *Non permanebit Spiritus meus in hominibus iſtis quia caro ſunt:* vnde apparet quod iſte populus cuius generationes diſcreto ordine cum annorum numero digeruntur , *ſpiritalis antea fuit ea vtique voluntate cui Spiritus ſanctus præſidebat.* Quem textum ſancti patris ideo produci-

mus vt appareat quam nullum ſit eorum effugium, dum dicunt infideles qui Chriſtum præceſſerunt, non habuiſſe niſi litteram quæ occidit, non autem Spiritum qui viuificat: vt mirum non videri debeat ſi tot folijs conati ſunt, libros iſtos de Vocatione Gentium, alii à Proſpero vindicare, ex quo etiam addo quodlib. 2. cap. 23. ait, *Sicut autem circa maiores præter illam generalem gratiam parcius atque occultius omnium hominum corda pulſantem excellẽtiore opere, largiore munere, potentiore virtute, vocatio ſpecialis exeritur: ita etiam circa innumeros pueros eadem manifeſtatur electio, & quæ quidem nec illis qui renati ſunt defuit in parentibus. &c.* quibus verbis ſanctus Proſper manifeſtiſſimè gratiam ſufficientem aſſerit & adultis & paruulis non deeſſe.

Obiiciunt in eodem ſæculo D. Leonem magnum ſerm. 8. de Epiph. *Dicente diſcipulis ſuis Domino, ſine me nihil poteſtis facere, dubium non eſt hominem bona agentem à Deo habere & effectum operis, & initium voluntatis, vnde & Apoſtolus copioſiſſimus fidelium cohortator, cum timore inquit, & tremore ſalutem veſtram operamini: Deus eſt enim qui operatur in vobis, & velle, & operari: & hæc ſanctis cauſa eſt tremendi atque metuendi ne ipſis operibus pietatis elati deſerantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ.*

Reſpondetur hæc verba intelligi de Gratia Sanctificante quæ per ſuperbiam amittitur, fitque exinde vt qui erant antea ſancti, remaneant in peccato, quod verè eſt infirmitas naturæ: atque etiam aliquando deſtituãtur ſpecialioribus

gratiæ

gratiæ actualis auxiliis, vnde fit vt numquam resurgant à peccato: sicut alibi explicauimus. Atque vt ita D. Leonem interpretemur cogit nos sermo septimus eiusdem, *de ieiunio decimi mensis & eleemosynis*: vbi redemptos & baptisatos nunquam destitui omnibus diuinæ gratiæ præsidiis sic disertè asserit; *Natura quippe mutabilis & de peccati labe mortalis, licet etiam iam redempta & sacro baptismate sit renata: in quantum est passibilis, in tantum est ad deteriora procliuis, corrumpereturque carnali desiderio, nisi spiritali muniretur auxilio, quia sicut illi numquam deest vnde corruat, ita semper præsto est, vnde subsistat, dicente Apostolo, fidelis enim Deus qui vos non patietur tentari supra id quod potestis, &c.* Cæterum alibi mentem suam manifestius aperit D. Leo: vt serm. 11. de passione, nec non serm. 12. vbi ita de dæmone, *Qui dum in eum sæuit quem sub peccati lege non tenuit: ius impiæ dominationis amisit: effusio enim pro iniustis sanguinis iusti, tam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad precium, vt si vniuersitas captiuorum in redemptorem suum crederet, nullum tyrānica vincula retinerent, quoniam sicut ait Apostolus,* (ad Rom. 5.) *Vbi abundauit delictum superabūdauit & gratia, & cū sub peccati præiudicio nati potestatem acceperint ad iustitiam renascendi, validius donum factum est libertatis.* Quæ verba si de solis prædestinatis scripta imaginentur, considerent quo pacto dæmon ius dominationis amisit. quomodo possit Christus esse redemptor vniuersitatis captiuorū, quomodo maius sit donum libertatis quam seruitutis, si tot homines

non habeant potestatem renascendi, quæ est Gratia Sufficiens. Nullum ergo in D. Leone patrocinium habent, sed potius ipsius verbis damnantur, qui iuxta verba Tridentini in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, fuit Ecclesiasticæ dictionis Tullius, sacræ Theologiæ Homerus, rationum fidei Aristoteles, authoritatis Apostolicæ Petrus, & in Christiano pulpito Paulus.

ARTICVLVS XVIII.

An patres aliqui in sexto sæculo faueant Baianis.

OBiiciunt pro sexto sæculo D Fulgentium, Concilium Sardicense, Petrum Diaconum, Abbatem Ioannem Maxentium, Concilium Arausicanum secundum ac S. Primasium. Sed quia supra mens Concilij Sardicensis, ac D. Fulgentij satis elucidata est, quicquam ex ijs non retexemus.

Textus Petri Diaconi *de Incarn. & Gratia*, cap. 6. nihil habet de Gratia Sufficienti, sed contra eos est qui volebant naturaliter hominem posse credere, & aliquid boni velle, qui impugnantur. Ad ea quæ habet de inscrutabilibus Dei iudiciis, supra satis responsum est.

Quod spectat ad Abbatem Ioannem Maxentium, verba eius quæ producunt, nihil aliud significant nisi quod sine auxilio gratiæ nullus

potest quicquam boni agere aut cogitare, aut velle quod ad vitam æternam pertineat. Quod nullam patitur difficultatem, sicut quod additur, quod Faustum refellat inficiantem non esse fidem donum Dei speciale, quia scilicet volebat Faustus fidem opus esse solius Liberi Arbitrij sine gratia interiori præueniente, quæ nihil Officiunt gratiæ sufficienti, nec iuuant causam Apologiæ, vt frustra & ad solam vanam ostentationem huiusmodi authoritatibus onerata sit.

Obiiciunt Canones quosdam Concilij secundi Arausicani, qui canones conditi sunt contra Semipelagianos, qui initium fidei aliquod à libero arbitrio nudo & Gratiâ Præueniente non illuminato aut vestito profluere arbitrabantur. Ista nihil ad præsentem controuersiam, cum necessitatem Gratiæ Præuenientis adstruamus ad quodlibet opus bonum, *vt oportet.* Istud autem Concilium manifesté admittit Gratiam Sufficientem in omnibus baptisatis, sic enim can. 25. *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptisati, Christo auxiliante & cooperante poßint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Atque hæc non est ipsorum fides Catholica, qui plerosque ex baptisatis gratia Dei auxiliante pænitus destitui arbitrantur & falso prædicant.

Obiiciunt Primasium qui in cap. 9 ad Rom. vnum vocari, alterum non vocari asserit.

Respondetur Primasium respondere ad hanc quæstionem quam sibi proponit. *Sed dicet aliquis cur alium sic & alium non sic: & cur non om-*

nes æqualiter? numquid personarum est acceptor Deus? ex quibus patet eum loqui de gratiarum differentia & tantum significare vnum vocari vna vocationis specie, qua alter non vocetur.

Cæterum annotari potest, non posse aduersarios promouere causam suam his patrum locis, in quibus asserunt generaliter gratiam vni dari non alteri, quia cum multipliex sit gratia Christi, & conueniamus omnes aliquas gratias non dari omnibus, scilicet gratiam iustificantem, aut gratias quas vocat D. Prosper lib. 2. *de Voc. Gent.* cap. 23. largioris muneris, potentiorisque virtutis, quas alii dicunt gratias magis speciales, aut proximè disponentes ad aliquod bonum magis arduum ac perfectum, solumque disceptemus de quadam remotâ Gratia Præueniente aut excitante quæ inseruiat ad vitanda peccata & faciendum aliquod bonum, quam sufficientem vocamus: quæ parcius & occultius pulset corda; generalis est tamen vt eam D. Prosper ibidem manifestissimè asserit. De qua gratia patres non loquuntur: dum dicunt gratiam non omnibus dari, consequens est vt nihil efficiant eorum loca quibus iuuari causam suam putant. Quod confirmatur hoc dilemmate: nam patres illis in locis, vel loquuntur de Gratia Sufficiẽte aut non: si de illa loquantur, ergo iam illam admittere coguntur, tanquam veram gratiam Christi, non spuriam, vt vocant: si de illa gratia non loquuntur, ad quid proferunt textus patrum qui de ea gratia non loquuntur? sed pergamus ad alia eorum obiecta.

ARTICVLVS XIX.

Discutitur mens patrum septimi & octaui sæculi.

OBiiciunt D. Gregorium magnum cuius equidem sanctitas & doctrina satis laudari non possunt. Hic scribit lib 11. Moral. c.5. Cain diuina voce admoneri potuisse, mutari non potuisse, quia exigente culpa malitiæ, *Jam intus Deus cor reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat*, benè autem subditur, *si incluserit hominem, nullus est qui aperiat, quia sicut nemo obsistit largitati vocantis, ita nullus obuiat iustitiæ relinquentis, &c.*

Respondetur D. Gregorium verba hæc duriora correxisse in libris sequentibus; posteriora autem derogãt prioribus. Nã quod existimet dãnatos potuisse benè agere, probat hic textus in hom.39. in Euang. *Operari iam bona non licet, quæ cum licuit agere contempsit.* ex libro triges. tertio moral. cap. 20. *Bene itaque dicitur, quis ante dedit mibi vt reddam? ac si aperte diceretur: ad parcendum reprobis nulla ratione compellor: quia eis debitor ex sua actione non teneor, idcirco enim nequaquam cœlestis patriæ præmia æterna percipiunt: quia ea nunc dum promereri poterant ex libero arbitrio contempserunt: quod videlicet liberum arbitrium in bono formatur electis, cum eorum mens à terrenis desideriis gratia adspirante suspenditur: bonum quippe quod agimus & Dei est & nostrum:*

Dei per præuenientem gratiam, nostrum per obsequentem liberam voluntatem, si enim Dei non est, vnde ei gratias in æternum agimus? rursum si nostrum non est, vnde nobis retribui præmia speramus? quia ergo non immerito gratias agimus, scimus quod eius munere præuenimur & rursum, quia non immerito retributionem quærimus, quod subsequente libero arbitrio bona elegimus quæ ageremus. Attendant Apologistæ quantum D. Gregorius libero arbitrio attribuat & in reprobis qui poterant gloriam æternam promereri, & in electis qui libero arbitrio præueniente gratia adiuto bona elegerunt. Poterant-ne reprobi sine gratia promereri æterna præmia? ergo illam habuerunt, aliter enim non poterant, nisi quis cum Pelagio sentiat gratiam non esse necessarium, quod procul est à mente tanti Doctoris, cuius & hic est Hymnus in Dominica Palmarum.

Magno salutis gaudio
Lætetur omne sæculum
Jesus redemptor omnium
Sanauit orbem languidum.

Porro si ex mente D. Gregorii Christus redemptor est omnium, omnibus media salutis suppeditare consequens est, est quippe mors Christi pro omnibus fons & origo indesinenter scaturiens Gratiæ Sufficientis aut mediorum ad salutem aptorum pro omnibus. In quo etiam consentientem habemus Iansenium lib. 3. *de gratia Saluatoris*, cap. vltimo. Vnde & Cain sceleratissimũ fratricidã non sic Deus deserit aut supplicio afficit quin simul illi misericordiam ex-

hibeat, inducens illum ad amandum fratrem mortuum, ne cum illius odio è vita migraret in ſtatu mortalis peccati: quod egregie obſeruauit D. Ioannes Chryſoſt. in cap. 13. Epiſt. ad Rom. *Ergo*, ait, *Cainum Dominus punit, imo ne punit quidem, ſed tremore conſtringit ad exuendam culpam, vt vel ſic ad illius amorem reuerſus ad amandum etiam ſublatum fratrem induceretur: Neque enim volebat illum mortuo fratri adhuc inimicum ex hac vita migrare.* Vnde non ſic Deus Cainum deſeruit, quin etiam ſaluti eius ſufficienter prouiderit, etiam poſt horendum ſcelus admiſſum in interfectione Abelis: Vt enim præclarè D. Ioannes Damaſcenus lib. 2. *fidei orthodoxæ*, cap. 29. docet, duplex eſt Dei deſertio vna temporalis, cum permittit Deus ad tempus aliquod, hominem in peccata labi à quibus poſtea reſurgit, alia vero finalis eſt, *Cum Deo*, inquit, *cuncta faciente quæ ſunt ad ſalutem, incorrigibilis & immedicabilis, magis autem inſanabilis ex proprio propoſito magis permaneat homo.* Quod ergo dicit D. Gregorius Cainum mutari non potuiſſe, id in omni verborum rigore non eſt accipiendum; ſed ſic vt non potuerit ex ſolius iſtius diuinæ admonitionis externæ, ſic homilia 33. in Euangelia ludit in verbo iſto *poſſe*, nec in omni rigore vſurpat, dum loquitur de muliere peccatriee. Ecce inquit, paradigma turpis mulieris. *Oſtendit quod poſt turpitudinem recipi non poſſit, ſed hoc ipſum paradigma quod protulit per miſericordiam vincit, cum dicit fornicantem mulierem recipi nequaquam poſſe, & tamen ipſe fornicantem animam vt recipiat expectat. Penſate fratres pondus tantæ pie-*

tatis: dicit quod fieri non potest, & demonstrat quia hoc ipse facere etiam contra morem potest, &c. nemo ergo tantæ misericordiæ tempus perdat, nemo oblata remedia diuinæ pietatis abiiciat. Ex quibus verbis colligimus non deesse peccatoribus ex parte diuinæ pietatis auxilia ad conuersionem, mutationem vitæ, & D. Gregorium intelligere id fieri non posse, quod aliquo modo fieri non potest etsi absolutè fieri possit.

Obiiciunt D Isidorum Episcopum Hispalensem l. 2. sent. cap. 6. scripsisse. *Gemina est prædestinatio, siue electorum ad vitam siue reproborum ad mortem. Vtraque agitur diuino iudicio, vt semper electos superna & interiora sequi faciat, semperque reprobos infirma & exteriora deserendo sectari permittat.* & c. 15. *nonnulli autem ita despiciuntur à Deo vt deplorare mala sua non possint etiam si velint* ex hoc inferunt non dari gratiam sufficientem.

Respondetur non sequi ex derelictione Dei non dari gratiam sufficientem, cum derelictio Dei non inferat omnimodam substractionem gratiarum, imo & gratiam aliquam supponere soleat, quæ fuerit in derelicto. Quod vero dicit nonnullos deplorare mala sua non posse etiam si velint, hoc supponit in illis gratiam sufficientem: quomodo enim volunt? ex sola natura? Hoc pelagianum: ergo si volunt habent aliquam gratiam per quam Deus operatur in illis velle. Quomodo ergo non possunt deplorare? Respondetur distinguendam esse Phrasim quorumdam scriptorum apud quos verbum non posse, non negat virtutem sufficientem,

ſed tantum actum ſignificat. Hæc Phraſis familiaris eſt D. Iſidoro. Sic eodem libro 2. c. 5. *Plerique autem dum deuotione non conuertuntur, plagæ ſtimulis feriuntur qui tamen nec ſub verbere ſentiunt vt aliquatenus corrigantur ſicut Ægiptus cui plagas dedit & emendare nequiuit. De talibus enim ait Propheta, percuſſiſti eos & non doluerunt.* Hæc verba non ſignificant defuiſſe in Deo qui omnipotens eſt, virtutem ſufficiētem ad Ægyptum emendandam: tantum ergo ſignificant id quod factum eſt, non quod fieri potuit, aut non potuit. Quamuis & dici poſſit D. Iſidorum dixiſſe id fieri nō poſſe quod non fit niſi difficillimè, ſicut diſertè aſſerit eiuſdem l. c 23 *nequiſſimum eſt peccare, peius eſt peccati conſuetudinem facere: ab illo facile, ab hoc cum magno labore reſurgitur, dum malæ cōſuetudini repugnatur.* Patet autem ſic etiam intelligendum D. Iſidorum, quia vbi aſſeruit aliquos ſua mala plangere non poſſe, ſtatim addit. *Conſilio immundorum ſpirituum hoc eſt, quod ipſis negatum eſt poſt præuaricationem regredi ad iuſtitiam, obſerare aditum pœnitentiæ hominibus cupiunt.* Vbi ſatis innuit, non eodem modo impoſſibile eſſe hominibus regredi ad iuſtitiam ac dæmonibus, qui abſolutè id non poſſunt, cum poſſint homines reprobi in vita, ſæpe tamen non niſi cum labore & difficultate. Cæterum quod Iſidorus non credat defuiſſe gratiam ſufficientem ijs qui perierunt, euinci poteſt ex c. 3. enarrationis in Geneſim. Vbi ita, *Lignum autem ſcientiæ boni & mali propriæ eſt voluntatis arbitrium, quod in medio noſtri eſt poſitum ad dignoſcendam*

bonum vel malum, de quo qui derelicta gratia gustauerit morte morietur. Idem euinci potest quod tantum vituperat desperationem l. 2. de summo bono c. 14. & quod nolit quibuslibet peccatoribus desperandum esse, enarratione in Genes. c. 5

ARTICVLVS XX.

De Sententia venerabilis Bedæ & Alcuini.

OBijciunt pro octauo sæculo venerabilis Bedæ locum ex comment. in Ioan. c. 6. vbi tantum asserit necesse esse vt Deus intus doceat, Iudæos autem incredulos, non fuisse doctos à Patre. Ex hoc inferunt gratiam sufficientem quæ nulli desit somnium esse & Phantasma.

Respondetur Præceptorem aliquando docere cum fructu, aliquando sine fructu, quia discipuli non discunt, vel ex distractione ad alia, vel ex stupiditate mentis. Pater ergo docuit Iudæos priori illo modo, sed non fuerunt docibiles Dei, & docilitate caruerunt ad addiscendum, id quod audierunt Bedam ipsum audiamus in alio loco se explicantem commentarijs in Psal. 18. *Si enim in aliqua domo esset magnus rogus accensus, calor eius & splendor omnes angulos domus penetraret & ad omnes manentes ibi perueniret: similiter Christo in medio mundi, hoc est in Iudæa quæ circumclusa erat gentibus, posito,*

quasi ardente rogo eluxit. Fulsit enim miraculis & claruit in verbo prædicationis notitia eius & per se & præcones suos ad omnes peruenit. Et possumus vocare calorem eius, dilectionem illam qua se tradidit pro nobis, quæ omnibus per præcones annuntiata est. Et ideo nullus per ignorantiam se excusare potest. Si gentes non excusat Beda quantominus Iudæos? de quibus expressius adhuc loquitur retract. in c. 7. actuum Apostolorum ad hæc verba, *vos semper Spiritui Sancto restitistis*, Apparuit ergo Dominus Moysi in rubo ignem habente sed non combusta: vt indicaret quod ipse quidem cum illustratione atque ardore Spiritus Sancti ad erudiendum populum veniret, nec tamen peccata eiusdem populi esset consumpturus, *quin potius eius Pijs Beneficijs, illis nequitiæ suæ spinetis semper obsisteret.* & in c. 6. Epist. ad Rom. gratiam sufficientem in Baptisatis non obscure asserit his verbis ex D. Augustino expromptis in l. de Babtismo paruulorum: *nam si post Baptismum vixerit, atque ad ætatem capacem præcepti peruenire potuerit, ibi habet cum qua pugnet, eamque adiuuante Deo superet, si non in vacuum gratiam Dei susceperit, si reprobatus esse noluerit.*

Obijciunt Alcuinum Caroli Magni Præceptorem l. 6. in Ioan. c. 35. vbi ait multa dici quotidie per Sanctos Prædicatores, quæ audientes interius non recipiunt quia Spiritus Sanctus non suggerit eis interius.

Respondetur Deum equidem non suggerere semper omnibus interius ea quæ exterius audiunt per prædicatores: non tamen propterea

destitutos esse omni gratia præueniente & sufficiente: quia ad alia prius per Spiritum Sanctum interius mouentur, quam quæ prædicantur, quibus si assentirent ad alia etiam gradatim mouerentur. Vnde non sequitur eum carere gratia sufficiente, qui audit concionatorem exterius exclamantem nec tunc adiuuatur interius. Forsan enim Prædicator quædam sublimia & alta annuntiat ad quæ ille qui audit peruenire non potest, nisi prius alia quædam legis naturalis magis demissa & facilia exequatur. Quæ sit autem mens Alcuini magis ipse explanat in eumdem Ioannem l. 2. c. 5. ad ea verba, *non enim misit Deus Filium suum in mundum vt iudicet mundum, sed vt Saluetur mundus per ipsum. ergo*, inquit, *quantum in medico est, sanare venit ægrotum* & alia quæ ex D. Augustino habet. Et l. de diuinis Officijs c. 18. *Christus per passionem crucis Angelis profuit in cœlo, quorum numerus &c. nobis qui sumus in terra, & illis qui propter originale peccatum detinebantur apud inferos, sed & ipsis qui in diuersis mundi partibus habitabant.* Vbi non de ipsa veritate nobis sermo est, sed de mente auctoris qui reprobis apud inferos vtilitatem attulisse censet Christi passionem: quanto magis cæteris in terrâ habitantibus?

ARTICVLVS XXI.

De patribus noni sæculi.

OBijciunt pro nono sæculo Pascasium Abbatem Corbeiensem, Aymonem Episcopum Alberstadiensem & Amolonem Archiepiscopum Lugdunensem. Pascasius enim in c.20. Matthæi concludit parabolam vocatorum per patrem familias ad culturam vineæ his verbis. *Vnde fatendum est quia non secundum electionis gratiam vocati sunt omnes, neque omnes, sed multi vocati sunt omnes, sed multi vocati sunt & ex ipsis pauci electi.*

Respondetur Abbatem Corbeiensem loqui de vocatione ad culturam vineæ seu Ecclesiæ qua vocantur tantum aliqui vt laborent in verbo & doctrinâ ad conuersionem animarũ non autem de vocatione ad declinandũ à malo & faciendum bonum aliquod, in qua vocatione est ipsa gratia sufficiens. Sed & ipse Paschasius in eumdem Matthæum c. 25. mentem suam euidentius aperit. *Et ostendit,* inquit, *se regem esse & iudicem omnium sæculorum, ante quem congregabuntur omnes gentes vt iudicentur de vniuersis pro quibus tanta ipse sustinuit.* quæ verba inflecti non possunt ad solos electos.

Obijciunt Aymonem in c. 6. ad *Romanos.* vbi asserit ex massa perditionis Deum quædam vasa purificare, alia impurificata dimittere, quia est in sua potestate, omnesque perire debebant.

Respondetur Deum non facere vasa contumeliæ, sicut figulus, quia non est author peccati, sed tantum quædam vasa impurificata dimittere, vt ipse ait Aymo, quod potest fieri; etiamsi homines qui proprio pereunt arbitrio, accepetint gratiam sufficientem, cui postquam defuerunt, à Deo derelicti sunt in massa perditionis, Vt ex D. Damasceno iam obseruauimus: est enim aliud derelictio Dei, aliud priuatio vel substractio omnium gratiarum sufficientium. multi quippe abundant sufficientibus auxilijs cum quibus ex malitia voluntatis indurantur, Deo permittente, & eos de facto non liberante auxilijs magis specialibus & extra ordinarijs, quæ cuilibet non elargitur, Satis habens ea quæ absolute sufficientia sunt impertiri. Sed & aduertendum ista commentaria Aymonis in Epistolas D. Pauli eadem esse cum illis, quæ tribuuntur Remigio Remensi Archiepiscopo, quæ ab aliquot annis Romæ edita sunt, vt cum incerti sint auctoris, frustra tribuantur Aymoni, qui commentarijs suis in Psalmos ad Psal. 35. aliam esse mentem suam prodit. Sic enim ad illa verba. *Homines & iumenta saluabis Domine. Tu saluabis spirituali saluatione homines, idest rationales & iumenta, idest irrationales faciens eos rationales*: & post pauca subiungit: *sed illi rationales malè vtuntur saluatione sua.*

ARTICVLVS XXII.

An nonum sæculum multum faueat dogmatibus Iansenij.

DOctrinæ quâ multi hodie abripiuntur, non minima pars etiam animos plurimorum in sæculo nono exagitauit, cum Monachus Benedictinus in Diocesi Suessionensi Gotescalchus, nolens ad sobrietatem sapere, nouas quæstiones mouere cœpit, ad mentem quorumdam antiquiorum hæreticorum, qui à primario errore de prædestinatione, Prædestinatiani vocabantur, de quibus Prosper in Chronicis quæ antiquis Galliæ monumentis inseruit Ducennius, & Sigebertus meminerunt, atque ex hoc vltimo Genebrardus in Chronologia. Quibus magis habenda fides quam Iansenio, l. 8. *de heresi Pelagianorum* c. 8. contendenti hanc Prædestinatianorum hæresim commentitiam esse, aut Apologistæ, quod secta fuerit Phantastica, art. 19. huius puncti.

Vt vero suos sectatores habuit Gotescalchus, sic etiam aduersarios non paucos nactus est, qui eius doctrinæ sese constanter opposuerunt. illi vero maximè qui doctrinæ laude magis excelluerunt Rabanus Maurus & Hincmarus, quorum plura supersunt doctrinæ monumenta, quam aliorum huius sæculi turbulenti: in illis lenitas vituperanda quod ab antiqua doctrina recesserint, in his grauitas laudanda, quod non

omni vento doctrinæ se circumferri passi sint, sed sic spiritus probauerint, vt etiam improbauerint qui improbandi erant. *Cum quæ libet nouitas ebullit*, scribit apposite Vincentius Lirinensis commonitorio 1 c. 25. *statim cernitur frumentorum grauitas & leuitas palearum?*

Hinc est quod Apologista pro hoc sæculo laudet S. Amolonem Episcopum Lugdunensem, Ioannem quendam Hybernum, Prudentium Episcopum Trecensem, Remigium Archiepiscopum Lugdunensem, Florum Diaconum, Lupum Abbatem Ferreriensem, Lupum alterum, Seruatum Presbyterum Moguntinum ac Ratramnum monachum Corbeiensem, quibus addit Concilium secundũ Tullense an 860. celebratum, præter Valentinũ de quo satis dictum. De quibus omnibus sic existimo.

Primo quod Amolo Archiepiscopus Lugdunensis nequaquam illis faueat, cum in quadam Epistola quam à paucis annis publici iuris fecit Pater Sirmondus, manifestè refutet errores Gotescalchi. Etsi vero ab eo auctore gloriosũ putent arma aliqua decerpere, in eo quod dicat paruulos quosdam non potuisse baptisari, & quosdam adultos non potuisse Christum inuocare, *nec prædicatorem habere, quia*, inquit, *nullum ad se mitti meruerunt*, ista tamen arma contra gratiam sufficientem potentia non sunt, quandoquidem etsi plures infideles gratiam proximam & immediatam ad fidem non habeant, non carent tamen gratia alia remotiori ad eamdem fidem per gradus quosdam bonorum quorumdam operum capescendam, si ei cooperaren-

cooperarentur, ſicut diximus art. 1. huius partis. Nam vt præclarè ſcripſit pius author Auila l. 1. Epiſt. *Qui recte exequitur bonum quod agnouit, illuſtratione alia donabitur ad id exequendum quod nondum agnouit. Nec illam illuſtrationem ſibi infundi petere merito poteſt, quandoquidem illi reſpondere poteſt: cur tu petis notam tibi fieri volontatem meam, ſi quidem illi obluctaris in his ipſis, in quibus iam tibi aperta eſt?* Itaque fruſtra ſe putant inuari his verbis ex ea Epiſtola deſumptis, cum totus incumbat Amolo in eadem Epiſtola ad refellendos errores Goteſcalchi.

Quod idem de Hincmaro Archiepiſcopo Remenſi dici poteſt in l. de *prædeſtinatione*, aliiſque Epiſtolis ac tractatibus, quibus nihil copioſius ab vllo ex antiquis ſcriptoribus ad illius conuellenda dogmata exaratum eſt. Quapropter inutile eſt quod tam ſeueros inquiſitores in omnes actus totius vitæ Illuſtriſſimi Archiepiſcopi ſe exhibeant, cum non hic de moribus ſed de doctrina agatur. Et valde abſurdum eſt, ipſos qui tam ſe propenſos eſſe iactant ad tuendum decus Pontificale, contra ordines Religioſorum, in hac cauſâ, vt vnum monachum ſolemnibus duarum Synodorum ampliſſimarum Iudicijs conuictum ac damnatum innocentem eſſe probent, ac, ſi Deo placet, ſanctorum albo adſcribant, cum tot contumelijs Archiepiſcopum exagitent.

Secundo quod Remigius Lugdunenſis, quaſcumque verborum Phalæras in eius laudem, cui nihil volumus eſſe detractum, proferat Apologiſta, nihil aliud dicat, niſi quod infidelibus Liberum Arbitrium liberum eſt in operibus

mortuis, at sine redemptione Christi non est liberum in operibus viuis, & nullatenus valet assurgere ad æternum & beatificum bonum. Quod tantum significat Liberum Arbitrium non posse mereri vitam æternam sine gratia.

Tertiò quod Ioannes Hybernus & Ratramus Monachus Corbeiensis steterint à partibus Gotescalci. De primo illis credo. De secundo vero patet ex Flodoardo in *Historia Remensi* l. 3. c. 15.

Quarto quod Prudentius Tricassinus, Remigius Lugdunensis, nec non Florus diaconus nihil dicant aliud in sententijs productis ab Apologista, nisi Liberum Arbitrium nihil posse sine gratiâ. Et Concilium Tullense tantum asserit post peccatũ, factam esse massam perditionis ex quâ multi saluantur ineffabili Dei misericordia. Ex quibus antecedentibus minimè sequitur destructio gratiæ sufficientis. Vt frustra tempus teratur in his prolixius excutiendis. Sed & si qui illorum erroribus Gotescalchi implicati fuerint, id maiori venia dignum videri potest quam sit hodie post Concilium Tridentinum, in quo mors Christi pro omnibus, directè contra Caluini mentem asserta est], vt status harum controuersiarum hodie sit alius, & cum maiori periculo in ijs erretur. Addimus etiam, plures qui sententiæ Gotescalci primo adhæserant, sententiam mutasse ac correxisse, post decretum Concilij Carisiacensis contra Gotescalcum authorem turbarum sui sæculi, quod decretum dedimus in nostra additione secunda ad Summam Conciliorum, quo damnatus fuit ad perpetuum

carcerem, præter alias pœnas ei inflictas, ob quas pro Martyre habetur à quibusdam, quibus magis hodie probantur eius dogmata, pœnam perfidiæ & contumaciæ crudelem persequutionem arbitrantibus.

Synodorum vero conflictus in hoc sæculo ex mala intelligentia propositionum Gotescalci profluxisse iam diximus, vt cum idem senserint patres harum Synodorum, verbis tamen discrepauerint in diuerso sensu sibi inuicem contradicentes, præferendam tamen esse sententiam Synodi Moguntinæ sub Rabano Mauro Archiepiscopo, nec non Carisiacensis sub Hincmaro Archiepiscopo Remensi, quod in his Synodis comparuerit Gotescalcus, interogatus, ac conuictus de errore fuerit, prius perspecta eius mente ex ore eius proprio: quod in alijs Synodis actum non est. Ac posteriori Synodo Carisiacensi Prudentius cum alijs contra Gotescalcum subscripserat, Licet postea subscriptioni suæ inconsultè derogauerit, dum ageretur de ordinatione Æneæ in Episcopum Parisiensem, vt illi exprobrat Hincmarus in l. *de Prædest.* c. 21. Existimamus autem illum resipuisse, vnde & sancto obitu decessit, & tot honorum titulis cumulatur in Martyrologio Gallicano præstantissimi viri Andreæ Saussæi.

Restat controuersia de Lupo Abbate Ferreriensi, & Lupo Seruato. Presbytero Moguntino, ex quibus coniecturâ aliquâ licet leuì coniicere possumus Lupum Ferreriensem Gotescalco fauisse, aduerto enim inter eius Epistolos in vigesima, eũ nugari cũ quodam Probo no-

mine sibi familiari, quasi Probus ille voluisset Ciceronem & Virgilium in collegium Electorum admittere, *ne frustra*, inquit, *Dominus Sanguinem fuderit & in Inferno otium triuerit*, si verum sit illud Propheticum *eros mors tua ô mors* &c. Vbi cum Ludat istas opiniones quas Scoti quidam tuebantur de effuso Christi Sanguine pro infidelibus ante Christi Passionem defunctis, videtur innuere se non admittere Effusum Christi Sanguinem pro omnibus. Sed & extant quædam eiusdem Lupi Epistolæ ad Gotescalcum, ex quibus magna familiaritate cum illo deuinctum fuisse apparet.

Quod spectat ad Lupum Seruatum, valde probabilius est eum seruatum fuisse ab erroribus Gotescalci, si quidem referente Tritemio in *Cronico Hirsaugiensi* dispntauit contra ipsum in Synodo Moguntina ac confutauit. Sed & cum librum illius de *tribus quæstionibus* typis editum approbassent antiqui professores facultatis Sacræ Duacenæ Coluenerius & Syluius, ac ea de causa male audirent apud aliquos quasi arma suppeditassent Iansenij defensoribus, Apologeticam scripserũt, Epistolam, in qua demõstrant illum authorem alienum esse ab opinionibus Iansenij, multaque in illo libro contineri dogmatibus Iansenij contraria. Sic inter cætera.

Hoc nos mouit ad faciendam quantum in nobis est, potestatem non librum nouum ex ingenio excudendi, sed antiquissimum orthodoxum à tenebris in lucem vindicandi, quo nemo abuti potest, nisi malignitate ferè pari

ac ſcriptura ſacra At inquiunt Seruatus agnoſcit prædeterminationem ad pœnam : audiatur pag. 73. *Auguſtinus in multis libris & in eo quem fecit vltimum non dubitat dicere prædeſtinatos ad pœnam, non intelligens fatalem periturorum neceſſitatem* (quis non videat quantum abhorreat hic auctor à libertate neceſſitatâ ad malũ quam damnat Bulla, & iactant eius aduerſarij) *ſed immutabilem relictorum deſertionem*: hoc eſt non præparat Deus omnibus auxilia efficacia , multos deſerit cum ſufficientibus. *Nemo opinetur* inquit Lupus pag. 68 *aut iuſtis aut reprobis prædeſtinationis veritate fatalem neceßitatem induci, cum in vtriſque ſuſpicionem neceßitatis libertas voluntatis excludat.* Nil magis orthodoxè dictum, auditum , ſcriptum , quam quod libertas voluntatis etiam ſupicionem neceſſitatis excludat.

Aiunt Lupum aſſerere *Chriſtum non pro omnibus mortuum* nec eſſe ſaluatorem omnium quæſt. 3. certè catholicus non eſſet ſi diceret Chriſtum ſaluare omnes , damnare neminem: damnaretur ipſe Pontificia Bulla ſi affirmaret cuipiam non ſuppetere ſufficientia per Chriſtum auxilia ad abſtinendum à peccato, & hominem etiam peccare damnabiliter in eo quod neceſſaria facit art. 64. hìc error eſt à quo alieniſſimus eſt Seruatus qui pag. 63 cũ Chriſoſtomo ſapit *quod Deus pro omnibus guſtauerit mortem non pro fidelibus tantum ſed pro mundo vniuerſo & ipſe quidem pro omnibus mortuus eſt. Quid autem ſi non omnes credunt? ille quod ſuum erat impleuit*, id eſt auxilia gratiæ ſufficientia cuique ne in peccatum labatur & vt à peccato reſur-

gat prometitus est, vt sit omnium redemptor sufficienter, paucorum efficaciter, & verum *sit perditio tua ex te Israel tantummodo ex me auxiliũ tuum.* Imo vult Lupus *tanti pratij merito etiam damnatos mitius puniri* pag. 62. Vtinam ex doctrina Seruati discant Pontificum Bullis aduersantes Deum nullos æternis gehennæ cruciatibus addicere, quibus non dederit ex Christi meritis aliqua auxilia sufficientia ad salutem vel saltem ad orandum vt impetrent vberiora: multo minus seipsum decipiat quisquam quasi destitutus auxilijs ad non peccandum sufficientibus, æternas sibi pœnas peccando non accumulet. *&c.*

Ex quibus perspicuum est Lupum Seruatum falso adscribi inter patres gratiæ, qualis à Iansenio fingitur, defensores. Tantumque abesse vt neget Christum mortuum pro omnibus fuisse; vt etiam doceat quod supra insinuauimus, profuisse damnatis eius sanguinem vt mitius torquerentur. Quare mihi dubia videtur resolutio quæstionis quæ ex quibusdam dictis Patris Annati l. 1. c. 8. in suo Augustino à Baianis vindicato, moueri potest. Mordeantne Baiani dentibus Luporum, an potius mordeantur. Quam quæstionem alijs amplius relinquimus excutiendam.

ARTICVLVS XXIII.

An sæculum decimum nullos habuerit gratiæ sufficientis defensores, & de D. Anselmo.

OMittunt sæculum decimum, quod vocant sęculum tenebrarum & ignorantię & quouis authore illustri destitutum: atque adeo, sæculum infœlix, & valdé obscurum: ita nimirum Deo disponente, vt in præcedenti sæculo, extincto Gotescalcho cum suis erroribus, nulla amplius remanerent peruersæ illius doctrinę vestigia. Quare in hoc sæculo ferreo traditionem suam interruptam esse agnoscunt in art 24. Vnde à nono ad vndecimum cito transuolant.

Non tamen ita facile ex hoc sæculo abibunt, cum in eo Marcus Eremita de *Baptismo* nouam eorum Theologiam in capite percutiat, vbi statũ Adami cum præsenti hominum statu componens, ait. *Et perinde ac ille pro arbitrio possumus obtemperare ac non obtemperare.* Et Moses Bar-cepha Episcopus Syrus parte 3. *Commentarij de paradiso*, totus est in refellendo dogmate Ianseniano de naturali immortalitate hominis, cõcluditque discrimen esse, non inter homines & homines, sed inter homines & Dæmones. Quod illi, non hi gratiâ donētur. *Nos enim*, inquit *gratiâ suâ dignatur, non illos*: nec dicendo *nos* intellexit solos prædestinatos. Hoc enim perridiculum.

Sed Sinamus modo eos properare ad sæculum vndecimum, in quo

Obiiciunt D. Anſelmum ſcripſiſſe in l. *de Concordia gratiæ, & liberi arbitrij* c. 13 Deum non omnibus dare gratiam Sed euidenter patet D. Anſemum loqui de Gratia Iuſtificante, qua datur voluntati rectitudo ſua erga Deum, cui per illam gratiam ſaltem in habitu ſubdita & ſummiſſa eſt. Et mirum eſt id non aduertere in iſtis verbis quæ citant, cum loquitur de Gratia, quæ ipſos infantes & amentes ſaluat ſine liberi arbitrij cooperatione. Afferunt alia eius verba quæ obſcura ſunt, & quæ magis Pelagianos ipſos, quibus à Pelagij ætate vix caruit Anglia, confutant, contra quos ipſi certamen eſt. Imo & tam parum cauti ſunt, vt ea verba ex D. Anſelmo afferant, quibus ipſimet confutantur, vt ex eodem libro cap. 17. *Notandum eſt quia impotentia quæ deſcendit ex culpâ, non excuſat impotentem culpâ manente. Vnde in infantibus in quibus exigit Deus à naturâ humana iuſtitiam, quam accepit in primis parentibus cum poteſtate ſeruandi illam in omnem prolem ſuam, non excuſat eam impotentia habendi iuſtitiam &c.* Quibus verbis confutatur, id quod aſſerunt de renatis omnibus, eos non excuſari ſi gratiam non recipiant, quia ex peccato originali meruerunt illâ priuari. Verum remiſſum eſt illis peccatum originale in baptiſmo, tantum autem ea impotentia quæ deſcendit ex culpa non excuſat impotentem, ſi culpa maneat; at non manet: ergo excuſarentur per impotentiam ſeruandi diuina præcepta, ex mente D. Anſelmi: qui ideo ſubdit de hac impotentiâ *Similiter in non baptiſatis imputatur ad peccatum, quoniam pariter deſcendit à peccato.*

Cæterum quo ſenſu dicat D. Anſelmus aliquando hominem non poſſe quod iuſtum eſt exequi, ipſemet explicat in dialogo *de libero arbitrio* cap. 6. *Quapropter iam dubitare hanc impotentiam ſeruandi rectitudinem non debes, quam dicis in noſtra voluntate eſſe: cum tentationibus conſentimus non eſſe ex impoſsibilitate, ſed ex difficultate. Frequenti namque vſu dicimus nos non poſſe aliquid, non quia nobis eſt impoſsibile, ſed quia ſine difficultate non poſſumus.* Legatur idem de concordia gratiæ & lib. arb. c. 20.

Adde D. Brunonem Theologum Pariſienſem ac Ordinis Carthuſiani Patrem, qui ordo non melius ſeruabitur quam ſi inuiolabilem ſeruet doctrinam tāti Doctoris, ſicut & ipſius leges intemeratè cuſtodit à pluribus ſæculis. Sic ille in c. 9. Epiſt. *ad Rom* Vbi ventilans exemplum de figulo luti, & eius poteſtate in vaſa contumeliæ & honoris ſic concludit. *Quid etiam dicetur de hoc ſi Deus quibus non debet ex miſericordiâ dat gratiam, & illi acceptâ gratiâ abutuntur, nonne qui huiuſmodi ſunt merito reprobantur?* Numquid videtur ſatis apertè dicere reprobos gratiæ datæ non cooperatos fuiſſe, ideoque gratiam ſufficientem habuiſſe? Legi idem poteſt in cap. 2 Epiſt. 1. ad Timoth. *Chriſtus tamen*, inquit, *pretium dedit: quod ſufficiens eſſet ſaluti omnium, ſi omnes boni eſſe vellent, & quia pro omnibus redemptionem dedit, omnes æque ſaluare voluit.* Quod idem alibi pluries.

ARTICVLVS. XXIV.

An Hildebertus Episcopus, & D. Bernardus Abbas conspirent pro Iansenio.

OBiiciunt pro vndecimo & duodecimo sæculo Hildebertum Cœnomanensem Episcopum, pro quo præmissa inutili ad præsentem controuersiam Apologia ad illius castitatem tuendam, cum aliquid eximium ab ipsis expectaremus, vim argumenti sui in quibusdam eius verbis ponunt, in quibus dixit, per Adamum libertatem ad malum conualuisse, ac proiectam à gratiâ, ad vitium viam patentem inuenisse, ac impositum esse nobis iugum, quod nisi à facie olei cōputrescere non potuit. Hæc ille Epist 54.

Atqui nos non dubitamus, amissâ gratiâ per Adamum nobis opus esse oleo misericordiæ Christi ad proiiciendum à nobis peccati Iugum: ad quid ergo tam debilia argumenta & inualida deducunt, nisi vt simplicibus falso ostendant, se habuisse propugnatores aliquos errorum suorum, cum verius impugnatores habuerint? nam præterquam illa Epistola 54. verba hæc non contineat, (quâ de re litem illis non intendo; quia forsan error est typographiæ, aut alio codice quo non vtor, vsi sunt,) certissimum est longè clarioribus verbis eumdem Hildebertum Cænomanensem Episcopum eorum damnare dogma, cum sic scribit Epistolâ 33. *Sic omnia ad virtutem prouidentur, & inter tot*

armamenta iustitiæ, non esse iustum, creaturæ defe-ctus est, non incuria creatoris: vult enim bonos fieri homines quoniam vult omnes homines saluos fieri Deus, & ad excludendum periculosæ excusationis refugium præparat gratiam suam cui innitantur, distribuit instrumenta quæ suffragentur, offert præmia quibus excitentur, intendit arcum suum quo pigritantes terreantur. Nihil est quod vacet, quod homini sit inutile, nisi homo ipse, cum enim tam diligenter homini procuret omnino Deus, sper-nitur tamen ab homine, tam diligens hominis pro-curator Deus. &c. Hæc ne verba sunt Iansenia-na? Quicquam ne scribi potest Iásenianis placitis è diametro magis oppositum? quis ergo non iudi-cet nomen Hildeberti delendũ esse ex Apologia Baianorum? quis hæc paululũ trãquillâ ac seda-ta mente perpendat, & non credat illico Hilde-bertum Cænomanensem Episcopum ab errorum prauitate, quibus hodie pax Christiana labefa-ctatur, longè esse alienum?

Sed vt sint ab illo Episcopo deiecti, statim ad Ab-batem Claræuallensem D. Bernardum confugiũt, quod scripserit quædam de Christo. Sed cur tacẽt in hoc sæculo Sigebertũ qui recenset inter hæreti-cos, primos suorum errorum inuentores, qui Prædestiniani dicti sunt? cur Gofridum Abbatem Vindocinensem, cuius est hæc Psalmodia Opus-culo 17.

Et miseras & miseros
Vocat Deus misericors,
Omnes ad pænitentiam,
Et pollicetur veniam.
Contemptor pænitentiæ,

Solus est expers veniæ
Factor misericordiæ,
Christe nostri miserere.

Videant primos eius sermones de Natiuitate Domini & alia opera, in quibus eorum opiniones arguuntur.

Obiiciunt D. Bernardum serm. 73. in Cant. dicentem. *Verum ibi secundum dispensationem gratiæ quæ in præsenti vita aliis datur, aliis non datur, iusto quidem Dei iudicio sed occulto, salire & transilire is hinnulus dictus est.*

Respondetur D. Bernardum loqui de Gratia sensibilis deuotionis quâ substractâ aut non concessâ, anima dicitur arida & si non desinat esse in gratia sanctificante. Sic serm. 14. in eadem Cantica, vbi idem hinnulus dicitur transire & salire, quod nolit ad omnes pertingere, sermo est de Gratia visitationis spiritualis, quæ quidem gratia peculiaris est quibusdam, vt & serm. 81. vbi ait hominem iugo cuiusdam seruitutis premi post peccatum: additque *Nunc vero nusquam exitus misero patet quem & voluntas vt dixi inexcusabilem, & incorrigibilem necessitas facit.* Non alio sensu hæc à D. Bernardo dicuntur, quam quod valde homini difficicile est concupiscentiis resistere, vt necessitas illa difficultas sola sit, sicut supra ex D. Anselmo dictum: nam in eodem sermone luculenter satis se explicat D. Bernardus, vt non alio præceptore schola Sorbonica, quam in contemptũ vocant illi Mollinisticam & Semipelagianam, opus habeat quã ipsomet mellifluo Doctore: sic enim ibidem loquitur *& vt merito laudatur non is tantum qui potuit facere mala &*

non fecit, sed & qui potuit non facere bona & fecit: ita malo non caret merito tam is qui potuit non facere mala & fecit, quam qui potuit & facere bona & non fecit. Vbi autem non est libertas nec meritum. Hæc verba perspicua sunt, quid ista transiliunt isti hinnuli? nisi quod euidentiora sunt, quam vt sub eorum obscuritate aut æquiuocatione, dogmata sua valeant obtegere?

Sed vt è diuerticulo ad gratiam sufficientem redeamus, attendant ad ea quæ idem D. Bernardus habet in serm. de Epiphania. *Paruulus enim datus est nobis, &c. O dulcissima reconciliatio, o reconciliatio suauissima, O verè reconciliatio facilis sed perutilis. Satisfactio parua sed non paruipendenda? etenim quam facilis modo, tam difficilis postea: & sicut modo nemo est qui reconciliari non possit: ita post paululum, nemo qui possit: quoniam sicut benignitas apparuit vltra omnem spem, vltra omnem æstimationem: similem expectare possumus iudicij districtionem.* Videant Prędestiniani, si hęc ad solos electos aptari queāt. sed & idem D. Bernardus serm. 23. in Cantica sic scribit, &c. *Quam excusationem habet, qui in odorem vnguentorum non currit, nisi fortè ad quem odor minimè peruenit,? sed enim in omnem terram exiuit odor vitæ, quoniam misericordia Domini plena est terra, &c. Ergo qui vitalem hanc sparsam vbique fragrantiam non sentit, & ob hoc non currit, aut mortuus est, aut putidus.* Idem serm. 5. de Quadragesima: *In nobis est si vinci nolumus & nemo vestrum in hoc certamine vincitur inuitus, sub te homo appetitus tuus est, & tu dominaberis illius: potest inimicus excitare tenta-*

tionis motum, sed in te est si volueris dare vel negare consensum. Idem serm. de Conuers. ad clericos cap. 2. *Neque sane laborandum est vt ad vocis huius perueniatur auditum, &c.* quæ nimis prolixum foret transcribere, cum alibi habeatur sylua locorum huiusmodi ex D. Bernardo collectorum.

ARTICVLVS XXV.

An Ricardus à sancto Victore & Magister sententiarum stent à partibus Baianorum.

OBiiciunt Ricardum de sancto Victore asserentem lib de statu interiori hominis cap. 2. hominem integram gratiam recuperare non posse, nec *primam possibilitatem quam habebat ante peccatum, quia secundum Salomonem, non est iustus in terra qui non peccet.*

Respondetur hæc verba æquè militare contra gratiam efficacem ac sufficientem :sed contra neutram militare verius est: dicit enim Ricardus hominem in statu innocentiæ potuisse vitare omne illicitum etiam veniale, modo non posse. Quid hoc contra gratiam sufficientem, quàm ad omne veniale vitandum sufficere non admittimus? Addunt eumdem asserere gratiam posse omni hora subtrahi: *quia numquam potest homo sine culpa inueniri*, cap. 22. &c illam non semper presentem esse cap. 31. sed ista non destruunt gratiam sufficientem, quam tantum ho-

mini non deesse putamus, cum vel vrgetur graui tentatione, vel premitur obligatione necessarium aliquod præceptum obseruandi, à quibus plura vitæ humanæ momenta libera sunt. Quod addunt ibidem de quatuor sterilitatibus, dicerem f ciliùs, quo sensu dictũ sit à Ricardo, nisi ante uodecim annos, satis à me dictum esset in tract. de gratiâ.

Quod autem Ricardus gratiam sufficientem admiserit, patet ex eius sermone de Spiritu sancto: *Nihil itaque*, inquit, *aliud dicimus vnum quemlibet gratiæ plenitudinem accipere, quam secundum præsentis vitæ statum & vniuscuiusque capacitatem gratiam sufficientem habere*; & paucis interiectis: *ante peccatum si quidem homo sufficientem gratiam habuit, & ad omne malum cauendum, & ad omne debitum soluendum, alioquin non potuit vitare peccatum. Hanc autem gratiæ plenitudinem in hac vita sicut nemo habet, sic absque dubio nec habere valet, cui enim hominum vnquam datum est, vel omne debitum implesse, vel omne illicitum vitasse, hoc de illo solo rectè creditur de quo veraciter scribitur: qui peccatum non fecit nec inuentus est dolus in ore eius.* (1. Petri 2.) ex quibus intelligere debemus, in præsenti statu differre gratiã sufficientem à Gratia Sufficiente status innocentiæ, quod hæc erat etiam sufficiens advitanda omnia etiã venialia, sed ista tantũ ad mortalia: quapropter idem Ricardus tract. de *spiritu blasphemiæ*, absurdum putat aliquem carere remedio ad vitanda mortalia, *Alij*, inquit, *qui peccatum in Spiritum Sanctum dicunt irremediabile malum, hac ratióne id fieri affirmant, quid*

sicut statim obdurantur, vt deinceps pœnitere non valeant, sed iuxta hoc, eo ipso omni remedio carent quod pœnitere non valent. Tantum ergo abest quod Ricardus Gratiam Sufficientem inficiatus sit, vt nemo ex antiquis expressius illam asserat, ad illa omnia quæ Deus districtè ab homine vult exigere, vt idem locuples author loquitur serm. *de Spiritu sancto*. Vnde & idem Ricardus ad caput 3. Apocalypsis scribit in hunc modum; *Ego sto ad ostium & pulso, noli diffidere quia paratus sum per misericordiam ad te intrare vt simus ambo sicut esse debemus in vna dilectione, quod enim indifferenter promitto, non denego.*

Porro Alredum Cisterciensis ordinis Abbatem non moror quem in duodecimo sæculo Ricardo Victorino subiungunt, quod dicat in speculo charitatis c. 15. Deum ex damnata radice quosdam ramos discreuisse sola sua misericordia: *Deus ergo miseretur cui voluerit & quem vult indurat iustissimè deserendo, & quem vult emollit pijssimè miserando.* Hæc quippe verba verum habent sensum considerando progressum totalem salutis humanæ, cuius exordium est in prima gratia præueniente, quæ opus est solius misericordiæ & bonæ voluntatis diuinæ. Ideo Deus ex misericordia discreuit prædestinatos à massa perditionis, in quâ, ex iustitiâ reprobos dimittit propter eorum peccata. Hæc autem non indicant eos caruisse gratia sufficienti, sed tantum reprimunt eorum audaciam qui Dei gratiam, humanorum operum solius Liberi Arbitrij meritis, deberi contendunt, vt Gentiles & Iudæi, quos suo tempore redarguit D. Paulus,

lus, & Pelagiani quorum in Anglia potissimum reliquiæ superfuerunt, vt ex qua oriundus esset Pelagius, Angliæ coluber propterea dictus, quos arguit Alredus, quasi diceret, non opera humana Deum inducunt ad impertiendam gratiam suam sanctificantem qua corda emolliuntur & Deo subiiciuntur, quasi gratiæ suæ debitor sit ob humana merita, tantum iuris non obtinent in eum, quin imo illam gratiam dat ex mera liberalitate & misericordia per quam præuenit primum hominum voluntates, sicut ex iustitia ob peccata eam denegat alijs, quo fit vt indurati remaneant & non sint subditi eius voluntati

At omittimus responsionem Augustinianam Alredi ad obiectionem Pelagianam Scolæ Molinisticæ, qua contendit culpam non imputandam fore si deesset gratia ad illam vitandam, *Cur enim*, inquit Alredus c. 13. *non iustissime ipsa impotentia ei imputetur, quam non ei creator imposuit, sed cui ipse se sponte submisit?* Sed his verbis tantum intēdit Alredus impotentiam habēdi gratiam & charitatem non excusare à peccato Originali contrahendo propter voluntariam Adami præuaricationem. Nec alio sensu loquitur quam D. Anselmus quem art. 23. se suis verbis explicantem produximus. Vt non necesse sit ea denuo retexere. Cæterum quam absurdum sit velle inducere necessitatem ad peccatum ex Adami offensa nobis omnibus insitam, vt facultatem non peccandi tum sibi tum suis posteris perdiderit, ex eo patere potest, quod per hanc doctrinam tolleretur humilitas

omnis & confusio pœnitentium, dum post quælibet peccata dicerent, omnes se ex necessitate peccasse. Vnde ergo pœniterent de peccato? an quod Adamus Lapsus sit & facultatem non peccandi pro pomo commutauerit? Sed de alieno peccato non agitur pœnitentia. An quod nati sint ex Adamo? Sed ortus ex his illisue parentibus non est in cuiusquam optione. Vnde ergo ad humilitatem excitabuntur peccatores? Nam peccatum originale non est materia necessaria pœnitentiæ, quamuis illius maculam in tantum exaggerent, quasi solum sit propriè peccatum, & cætera excusatione digna reddant, quia necessitate sunt perpetrata. Quod doctè aduertit Annatus in Augustino à Baianis vindicato l. 2. c. 4. §. 7.

Obiiciunt pro duodecimo sæculo Lombardum sententiarum ac scholæ Parisiensis magistrum, quem addunt potius sectandum esse quam phantasias Iesuistæ Hispani. Dicit autem Magister lib. 1. dist. 40. post. D. August. in epist. ad Sixtum: *nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impartiendo gratiam, &c.* inde conficiunt gratiam non dari omnibus.

Respondetur Magistrum sententiarum omni honore prosequendum esse; cæterum malè inferri ex his verbis non admisisse gratiam sufficientem, quia illa gratiæ substractio aut non appositio intelligitur tantum de specialioribus gratiæ auxilijs, non de sufficientibus, sicut iam dictum post D. Damascenum lib. 2. *fidei Orthod.* cap. 29. qui Magistro præluxit doctrina & exemplo, vt totidem libris sententiarum quot ille fi-

dei Theologiam ordine, & methodo explanaret, non multum discrepanti: vnde vt D. Damascenus, si bene expendatur mens illius quæ ex versionum varietate tantisper obducitur caligine, Deum sollicitè procurare ea quæ sunt ad salutem obduratorum vsque ad vltimum eorum exitium quod est damnatio edocet, sic principis sententiarum doctrina ad eumdem scopum tendit: quod enim omnimoda gratia non denegetur quibuslibet obduratis etiam reprobis in sententiâ Magistri, euidenter patet ex lib. eiusdem secundo dist. 43. vbi tractans de peccato ad mortem de quo ait D. Ioannes, *Non pro eo dico vt quis oret, sic accipiendum videtur*, inquit, *vt pro aliquo peccante ad mortem vel in Spiritum sanctum postquam finierit hanc vitam non oremus, &c.* Vnde Augustinus serm. 11. de Verbis Domini. *De nullo enim desperandum est quamdiu ad pœnitentiam patientia Dei adducit, Paganus est hodie, Judæus, infidelis, quid si cras amplectatur fidem catholicam, &c. ex his ostenditur*, infert Magister, *pro singulis peccatoribus esse orandum in hac vita, nec de aliquo esse diffitendum: quia conuerti potest dum in hac vita est.* Ecce Magister dicit vnumquemque conuerti posse in hac vitâ, nullum excipit, de nullo vult desperandum; ergo vel potest per naturam vel per gratiam: primum est Pelagianum & contra mentem illius: ergo per gratiam potest: ergo datur vel offertur vnicuique nullo excepto: nam desperandum esset de salute infinitarum animarum, nec possunt hic recurrere ad ignorantiam qua nescimus discernere reprobos ab alijs, nam

Magister non adducit inscientiam illam an quam rationem • propter quam non sit desperandum sed potestatem quæ est in vnoquoque peccatore, quâ conuerti potest dum in hac vita est, quæ potestas vera non esset, si deficeret in illis gratia sufficiens quâ sublatâ conuersio ad meliorem vitam illis est impossibilis.

Nec prodest quorumdam solutio qui dicunt ad similia argumenta, vnumquemque conuerti posse, si Deus dederit Gratiam : nam propositio magistri est absoluta. Cum autem additur conditio hæc, si Deus dederit gratiam, fit propositio hypotetica & diuersa à propositione magistri, qui asserit absolutè vnumquemque conuerti posse in hac vitâ, vt nullus supersit locus desperationi in eius opinione, sicut superest plurimum in aliorum sententiâ. Adde quod & eodem modo dici posset de damnatis quod possent conuerti, si nempe Deus illis daret gratiam : quod pœnitus repugnat verbis & menti illius.

ARTICVLVS XXVI.

An D. Thomas recensendus sit inter aduersarios Gratiæ sufficientis.

ID sibi persuaserunt Baiani propter quosdam textus perperam intellectos, quibus confodi ac perimi hanc gratiam contendunt. Quos eò diligentius discutere opus est, quod magnum causæ suæ momentum in eo ponant, si ad partes suas hunc Doctorem trahere possint, quem omnes merum sal sapientiæ ac pleniore haustu

scientiæ rerum diuinarum compotem esse arbitrantur.

In primis incudi reddunt textum ex commentariis in Epist. D. Pauli ad Hebræos 12. Lect. 3. vbi sic habet Doctor Angelicus. *Respondeo dicendum quod hoc ipsum quod non ponit obstaculum ex gratiâ procedit, quod ergo à quibusdam remouetur istud obstaculum, hoc est ex misericordiâ Dei: quod autem non remouetur hoc est ex iustitia eius.*

In quo textu omittunt Apologistæ plura verba, quæ eorum sententiæ aduersantur, quod nemo resistat gratiæ interiori. Sic enim habet D. Thomas. *Respondeo dicendum quod hoc ipsum, quod aliquis non ponit obstaculum, ex gratiâ procedit. Vnde si aliquis ponat, & tamen moueatur cor eius ad remouendum illud, hoc est ex dono gratiæ Dei vocantis per misericordiam suam* &c. *Hoc autem donum gratiæ non est gratum faciens.* Vbi D. Thomas docet etiam illos ponere obstaculum gratiæ Dei, iustificanti scilicet, qui ex dono gratiæ præuenientis vocantur, id est, qui habent gratiam sufficientem. Cum igitur subiungit. *Quod ergo à quibusdam remouetur illud obstaculum* (quo scilicet impeditur receptio gratiæ sanctificantis) *hoc est ex misericordiâ Dei* (propter gratiam præuenientem misericorditer impensam) *quod vero non remouetur, hoc est ex iustitia eius.* Quia scilicet iustum vt Deus permittat Libero Arbitrio gratiæ præuento facere quod velit se disponendo vel non disponendo ad gratiam sanctificantem. Hic est intellectus D. Thomæ, ex quo nullo

modo infertur gratiam sufficientem non dari omnibus, quin imo contrariam ostendunt verba hæc immediatè subsequentia. *Non autem dicit ne tu desis* (supple gratiæ Dei) *sed ne quis id est, quicumque, quia quilibet debet esse sollicitus de proximo.*

Probatur secundo D. Thomam gratiam sufficientem non agnouisse, quia 1. 2. q. 106. art. 3. ait. *Lex noua est lex gratiæ, & ideo primo opportuit quod homo relinqueretur sibi in statu veteris legis, vt in peccatum cadendo suam infirmitatem cognoscens, recognosceret se gratiâ indigere & hanc rationem assignat Apostolus ad Rom. 5. dicens, lex sub intrauit vt abundaret delictum, vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Inde inferunt homines in veteri lege sibi ipsis relictos caruisse gratia: ergo gratiam non esse communem omnibus.

Sed malè, id inferunt, nec Apostolicum dictum apostolicè intelligunt: non enim defuit Dei gratia in veteri lege, sed non fuit tam abundans ac copiosa, sicut in noua lege, postquam pretium humanæ redemptionis pretioso Christi sanguine solutum est, ideo Apostolus dicit in noua lege non quidem simpliciter gratiam exhibitam fuisse, sed ait superabundasse; vt ex hoc agnoscamus differentiam nouæ & veteris legis fuisse maiorem & minorem gratiam, abundantiorem & parciorem: sicque D. Thomas in corpore articuli eo sensu loquitur. *Lex noua*, inquit, *sicut dictum est principaliter est gratia Spiritus Sancti, quæ abundãter dari non debuit antequã impedimentũ peccati ab homine tolleretur, &c.*

Probant iterum Apologiſtæ ex eodem articulo in reſponſ. ad 1. vbi reſpondens ad id quod ſibi obiecerat legem nouam debuiſſe dari à principio mundi vt homini ſubueniretur, reſpondet, ſic *ad 1. ergo dicendum quod humanum genus propter peccatum primi parentis meruit priuari auxilio gratiæ, & ideo quibuſcumque non datur hoc eſt ex iuſtitia, quibuſcumque autem datur hoc eſt ex gratia, vt Auguſtinus dicit libro de perfectione iuſtitiæ, vnde non eſt acceptio perſonarum apud Deum, ex hoc quod non omnibus à principio mundi legem gratiæ propoſuit, quæ erat debito ordine proponenda,*

Reſpondetur D. Thomam per auxilium gratiæ intellexiſſe ipſam legem nouam quæ auxilium gratiæ abundantius ſuppeditat, nec enim aliter textus D. Thomæ apte cõſtrui poterit. Hæc autem lex non omnibus data eſt, nec mirum videatur hoc nomine inſignitam legem nouam, cum & legem naturæ ſimili nomine afficiat Laurentius Iuſtinianus Sanctiſſimus ac Doctiſſimus Patriarcha Venetus in l. de *obedientia* cap. 3. vbi poſtquam dixiſſet, neminem gratiæ ſuæ Deum exortem reddere, nullum ſpernere, ſubiungit paucis interiectis. *Porro pro adiutorio ſalutis diuina clementia in eorum cordibus ab ipſo ſuæ creationis initio legem naturæ inſtituit fidei fundamento ſubnixam, &c.* Lex nimirum eſt auxilium ad gratiam & adiutorium ad ſalutem: ſic Dyonifius Carthuſianus in cap. 1. Ioan. 7. vocat nomine gratiæ tam legem veterem quam nouam, *Vtraque autem lex*, inquit, *gratia appellatur quoniam gratis & miſericorditer data.*

tia: & ſaltem originalis peccati.

Reſpondetur non ſequi inde gratiam ſufficientem non dari, quia priuſquam detur auxilium proximum gratiæ ad credendum & ad habendam charitatem, dantur ordinariè aliquæ aliæ gratiæ præuenientes ad vitandum aliquod peccatum & faciendum aliquod bonum morale ſaltem ex obiecto: quibus ſi renitatur homo, punitur ſæpè per priuationẽ auxilii immediati ad habendam fidem: ideoque ſuâ culpâ non poteſt habere fidem carens illo auxilio. Habuit tamen gratiam aliam interiorem, quâ ſi bene vſus fuiſſet, etiam illud auxilium habuiſſet, in illâ autem primâ gratia interiori conſiſtit gratia ſufficiens.

Quod vero hæc ſit mens S. Doctoris, aperuit in ſummâ *contra Gentiles* lib. 3. cap. 159. iuncto commentario Fererienſis. Sic ibi ſanctus Doctor, *Et cum hoc* inquit, *ſit in poteſtate Liberi Arbitrij impedire gratiæ diuinæ receptionem vel non impedire: non immerito in culpam imputatur ei qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni, Deus enim quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare, vult enim omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire vt dicitur. ad Timot. 2. ſed illi ſoli gratia priuantur, qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant: ſicut ſole mundum illuminante, in culpam imputatur ei qui oculos claudit, ſi ex hoc malum aliquod ſequatur: licet videre non poßit niſi lumine ſolis præueniatur.* Super quæ verba commentatur ſic Ferrerienſis, præmiſſa prius diſtinctione duplicis auxilji: vnius non communis omnibus quod

est habitualis gratia: alterius communis omnibus, quod est diuina motio interior quæ omnibus datur. Dicitur ergo Deus paratus esse quantum in se est, omnibus gratiam habitualem dare, quia eam omnibus se ad eam præparantibus vult dare, *nullique deest auxilium suum ipsum quandoque mouens & instigans vt se ad gratiam præparet.* &c. Quod si auxilium illud sine quo non potest homo aliquod bonum agere non esset omnibus commune, sed alicui deesset, fortassis aliquam haberet apparentiam, si is qui dicto auxilio caret, gratiam non acquireret &c.

Et quamuis capite sequenti D. Thomas dicat, non esse in potestate eius nullum impedimentum gratiæ præstare, qui per inordinationem præcedentem declinauerit ad culpã, propter quam priuabitur auxilio ad resurgedum à peccato. Per hoc tantum intẽdit D. Thomas, quod etsi omnibus detur auxilium quo se liberè præparare possint ad gratiam habitualem, prima vice recipiendam, quod auxilium est gratia sufficiens communis omnibus, non tamen dari semper omnibus qui propria culpa è gratia habituali exciderunt, vt iterum eamdem recipiant. Quod his verbis dicit c. 16. *& sicut non omnes cæcos illuminat, nec omnes languidos sanat, vt in illis quos curat opus virtutis eius appareat, & in alijs ordo naturæ seruetur: ita non omnes qui gratiam impediunt, auxilio suo præuenit vt auertantur à malo & conuertantur ad bonum: sed aliqui in quibus vult misericordiam suam apparere, ita quod in alijs iustitiæ ordo manifestetur.*

Vbi ex tenore & contextu totius disputationis apparet D. Thomam per eos qui gratiam impediunt, eos intelligere qui præuenti primis gratiæ interioris auxilijs non se præparauerunt ad gratiæ habitualis receptionem, vel ab ea recepta per culpam propriam exciderunt. Quorum quidem aliquos non amplius præueniri auxilio gratiæ ad hoc vt resurgerent à statu peccati, forsan eius mens erat cum summæ contra gentiles insudaret. Quamuis istud castigauerit postea cum in fine vitæ scriberet tertiam partem Summæ Theologicæ; nom primo absolutè asserit infideles omnes posse conuerti & fieri membra Christi, qui est caput omnium hominum. Sic enim q. 6. art. 3. *in respons.* ad 1. dicendum quod illi qui sunt infideles etsi actu non sint de Ecclesia, sunt tamen de Ecclesia in potentia. Quæ quidem potentia in duobus fundatur *primo quidem & principaliter in virtute Christi, quæ est sufficiens ad salutem totius humani generis: secundò in arbitrij libertate.* Porro virtus illa Christi sufficiens ad omnium salutem de qua sermo D. Thomæ, est ipsa gratia sufficiens, quam influit in omnes durante hac vita, post quam cessante eius influxu, desinunt infideles esse membra Christi. Sed adhuc expressius in eadem tertia parte q. 86. art. 1. *dicere*, inquit, *quod aliquod peccatum sit in hac vita de quo quis pœnitere non posit, est erroneum. Primo quidem quia per hoc tolleretur libertas arbitrij. Secundo quia per hoc derogaretur virtuti gratiæ per quam moueri potest cor cuiuscumque peccatoris ad pœnitendum.* Itaque cum D. Thomas tantum admit-

teret gratiam sufficientem communem omnibus ante lapsum in peccatum mortale, cum disputaret contra gentiles, eamdemmet etiam post culpam admisit communem omnibus scribens Summam Theologiæ. Neque hoc infrequens in magnis authoribus vt aliqua obscurius dicta in prioribus libris, in posterioribus & vltimis castigent. Nam & D, Thomam variasse in hac materia, ingenuè fatetur Ferrariensis ad c. 160. l. 3. *contra gentiles*. Aduertendum autem inquit quod Sanctus Thomas in *secunda sent.* dist. 28. impugnat opinionem dicentem existentem in peccato mortali non posse vitare omnia peccata, licet singula vitare possit: sed vt apparet, illam suam opinionem retractauit non solum hoc loco, sed etiam primâ secundæ qu. 109. & de *veritate* qu. 24. Quæ cum ita sint, non possumus certius vltimum doctoris Angelici Iudicium inuestigare, quam ex tertia parte summæ, quæ extrema illius elucubratio est, ac veluti testamentum doctrinæ quam post se reliquit, in quo & ante iustificationem adeptam & post ipsam deperditam gratæ sufficientis auxilia semper admittit. Vnde & Thomistæ omnes gratiæ sufficientis defensores sunt, licet peculiarem viam sequantur in explicatione gratiæ efficacis. De qua nunc non est nobis dissertatio.

ARTICVLVS XXVII.

Quid censendum de Aegydio Romano, Hernæo Britone, Petro de Alliaco & Dionysio Carthusiano.

ETsi Baianorum Coriphæus Scholasticos Theologos lib. 1. *Proœmiali*, contumeliosé dilaceret, & sæpissimè eos in toto opere proterat, vt Augustinus solus instar omnium, loco omnium & supra omnes habeatur nec quisquam vetustate Scholasticarum opinionum terreatur, quantumcumque sit numerus authorum qui patrocinantur, & locorum quibus dissemi-natæ sunt, & sæculorum quibus confirmatæ sunt, quasi neglectis scripturarum & traditionis oraculis, res diuinas philosophicis coniecturis explicare conati, omnem verbi diuini sinceritatem corruperint, ac venenatâ mixturâ Pelagianam doctrinam pro catholica populo propinarint, ipse tamen & eius sequaces, ex iis ipsis quascumque possunt auxiliares sibi copias aduocant, si quid in ipsis nanciscantur, quod tantillum eorum dogmatibus fauere videatur vel specie tenus, continuo magnis efferunt laudibus, eosque aculeata argumentorum suorum cuspide armatos producunt vt quaqua via opiniones suas tueantur. Hinc est quod ex Scholasticis Theologis D. Thoma posterioribus, quatuor potissimum selegerunt maximè il-

lustres, quos flagrantius contra Gratiam Sufficientem vibrare fulmina opinantur.

Ac primo obiiciunt Ægidium Romanum Doctorem Parisiensem ac Ecclesiæ Romanæ Cardinalem, ex nobili Colomnarum Familiâ, Ordinis Eremitarum Priorem Generalem Archiepiscopum Bituricensem, & Aquitaniæ Primatem, dissidentium a D. Thomæ placitis aduersarium, & quo post D. Augustinum neque plura quisquam in diuinis, aut accuratius scripsit, quod in 1. dist. 41. art. 1. asserat non habere rationem sed admirationem quare Deus hunc saluat. Hunc damnat, quia cum non teneatur dare sua dona dat cui voluerit, ex libertate.

Ita dixerit Ægidius Romanus sed & illud intellexit Ægidius de toto processu saluationis, cuius initium est prima gratia præueniens, in adultis, in paruulis baptismus. Huius autem processus nulla est causa præter volontatem Dei vt benè explicat Durandus in 1. dist. 42. qu. 3 & alij plerique scolastici. Cæterum videant in aliis Locis Doctorem illum qui plures libros edidit. Videbunt illum non abhorrere à gratia sufficienti. In quodlibetis enim quæ prodierunt ab aliquot annis quod l. 3. qu. 2. quodl. 2. pagina 144. quærit vtrum nutritus in aliqua lege falsa possit venire in cognitionem quod lex illa falsa sit: cui quæstioni respondet id fieri posse triplici medio, scilicet naturali ratione, per miracula, & per diuinam gratiam. Sic autem explicat tertium illud medium. His autem prælibatis volumus tradere viam tertiam, qua pateat quemodo possit talis falsitas deprehendi;

omnino enim piè debemus] credere, quod aliquis nutritus in falsa lege, si det se bonis operibus, vt Eleemosynis faciendis, & alijs operibus pijs, & faciat quod in se est & deprecetur Deum vt sibi ostendat salutis viam, & si lex bona sit quam habet, dimittatur in ea: si mala est eruatur ab ea, *vt Deus reuelet ei quid agendum sit. Exemplum habemus de Cornelio act.* 10. &c. nullus doctorum hoc asserit de infidelibus; de quibus potissima est difficultas an gratiam sufficientem habeant, quin illam gratiam admittant, cum qua & per quam facientes quod in se est gradatim ad iustificationem accedant, nec enim pia illa opera fieri posse sine gratia admiserunt cum non sint Pelagiani nec ex toto nec ex parte. Scribit enim idem Doctor quodlib. 2. qu. 2. pag. 121. explicans quid sit facere quod in nobis est. *Nostrum est enim secundum Damascenum sequi Deum vocantem ad virtutem, vel diabolum vocantem ad malitiam. Vnde* l. 2 c. 3. dicit *ipse est enim omnis boni principium & causa & sine eius cooperatione & auxilio impossibile est bonum velle vel facere. In nobis autem est: vel permanere in virtute & sequi Deum ad hanc vocantem.* &c. Et si vero infideles aliqua bona moralia absque auxilio gratiæ operari non repugnet, quanto æquius estimare Deum gratiam supernaturalem tunc ijs non denegaturum vt se preparent ad iustificationem, si eamdem gratiam ijs etiam concedat qui omni peccatorum spurcitie se coinquinant, ac maximè Deo rebelles sunt?

Obijciunt Herueum Britonem ex Fratre

Laico ordinis Dominicani Doctorem Parisiensem inter insignes clarum & nominatum, ac totius ordinis sui magistrum quod scripserit in 1. sent. dist. 40. q. 1. Prædestinationem esse præordinationem intellectus diuini de conferendo quibusdam id, vel media quibus vel per quod infallibiliter vitam æternã cõsequetur. Dicunt etiã (inquit, idem Herueus) quidam moderni quod bonus vsus Liberi Arbitrij informatus gratia est causa quare Deus conferet electis totum effectum Prædestinationis. Sed istud non potest stare, quia illud quod includitur in effectu Prædestinationis non potest esse causa totius effectus Prædestinationis. &c. Hæc Magister Herueus Generalis ordinis sui. Ex quibus sequi putant non dari gratiam sufficientem; quia per huius Theologiæ dogmata, ostendit vsum bonum Liberi Arbitrij non esse causam prædestinationis sicut imaginantur Molinæ Scolastici.

Sed quis nisi cæcus non videat Herueum loqui de prædestinatione completa & integra prout est ad gratiam omnem & ad gloriam simul & coniunctim non diuisim. Sic autem accepta prædestinatio non habet causam vsum bonũ pergratiæ Liberũ Arbitriũ, sed tãtum prout est ad gloriam solum, idque in adultis ac ratione vtentibus. Cæterum dum illi immorantur in primo libro sententiarum ad secundum librum properabimus dist. 6. q. vnica; vbi clarius se explicat Magiister Herueus. *Non enim inquit est imaginandum, quod Deus homines & Angelos ita crearet ad beatitudinem, quod infallibiliter velit omnes attingere ad eam; sed voluntate*

luntate antecedente vult omnes ordinare ad beatitudinem conferendo eis vnde possint tendere ad beatitudinem. Sed voluntate consequente considerato toto euentu & omnibus actibus eorum: vult vni beatitudinem & alteri damnationem, vnde eius intentio nunquam frustratur. In istis verbis asserimus Gratiam Sufficientem asseri, & qui aliter sentiunt non satis assequuntur distinctionem voluntatis antecedẽtis & consequentis; de qua nos primá parte Theologiæ Affectiuæ, tract. 1. Medit. 21. puncto 1. editionis 3. & 4. post eumdem Heruęum & Scotum in report. lib. 1. dist. 46. nec non Michaelem Palatium inter Theologos Hispanos doctissimum, æque ac dissertissimum in 1. dist. 45. disput. vnica sed & videant vltima verba eiusdem Heruei in libros sententiarum dist. 14. qu. 2. si autem, inquit, quæstio quærat secundo modo, vtrum, si pœnitentia interrumpatur possit iterari, dicendum quod sic, quia si non posset esse, hoc esset, vel quia homo non posset habere displicentiam de peccato suo, quod non potest esse, *quia durante vita liberum arbitrium non se habet immobiliter in bono vel in malo, & ideo potest sibi displicere malum vel peccatum*: vel quia Deus nollet ipsum recipere ad misericordiam, quod similiter non potest esse, quia hoc est contra misericordiam Dei: *quia Deus quantum est de se semper est paratus ad misericordiam, dum tamen homo faciat quod in se est.* Quotiescumque similia verba in Doctoribus lego, videor mihi videre ipsam gratiam sufficientem, quæ ad vltimum instans vitæ homini ratione vtenti non deest: hanc autem illi

non adſpiciunt quia ſummopere abhorrent, & auertunt cum voluntate oculos ne videant veritatem.

Obiiciunt Cardinalem de Alliaco in 1. ſent. diſt. 40. & 41. vbi aſſerit, nullum prædeſtinari propter bona in ipſo præuiſa; itemque Deum aliqua dona gratiæ ſpecialis dare vni, quæ non dat alteri. Item illum cui Deus non vult graciam conferre & cuius non vult miſereri à peccato non reſurgere. In quibus tria ſimul iungunt argumenta ex iſto Doctore petita.

Ad quæ facile reſpondetur, Petrum Cameracenſem Epiſcopum loqui de de Prædeſtinatione ad gratiā & gloriam ſimul, ſicut ex ſtylo ſcholæ loqui ſolebant Doctores: hæc autem Prædeſtinatio pręcedit omnia merita. Quod vero dicit alicui dare gratiæ ſpecialis dona, non alteri, hoc ipſum etiam dicimus ſicut, hoc ipſemet eodem loco interpretatur de fide, & aliis donis infuſis, quæ ſolet diſtinguere ab adiutorio ſupernaturali actuali, vt patet in diſt. 191. Porro ſecundum dona illa magis ſpecialia non miſeretur horum qui à peccato non reſurgunt, id eſt vt ipſemet ſe explicat, miſericorditer vitam æternam non largitur. Licet in alio ſenſu eorum miſereatur in quantum alia dona magis communia elargitur, quibus ipſi non rectè vtuntur: ſi enim Deus dicitur miſereri eorum quos bonis tantum temporalibus afficit, quanto magis eorum quibus ſpiritualia dona concedit? nam vt in eadem diſtinctione ſcribit, Deus eſt agens vniuerſale in omnes, ſic quod dat omnibus aliqua dona gratiæ, ſcilicet eſſe, viuere, cognoſcere, &c.

& tamen aliqua dona gratia specialia, dat vni, quæ non alteri: nec ista patiuntur difficultatem. Cęterum mentem suam prodit aliis in locis Petrus de Alliaco, nam super primum lib. sent. inter primas quæstiones, disertè asserit diuinum velle ad nullum impossibile posse obligare, quia inquit, *nullum impossibile est in rationalis creaturæ libera potestate.* Vnde consequitur omnes qui obligantur ad mandata Dei, gratiam aliquam habere, qua sint in eorum libera potestate. Vnde in consequentibus asserit, nullum viatorem à legis Christi actuali fide excusari, vt eam habeant loco & tempore, præter paruulos ac mente captos, tanquam naturali impossibilitate prohibitos, & cnm idem Doctor velit omnes viatores exceptis prædictis ad vitandum peccatum teneri & ad rectè agendum, id tamen expressè docet fieri non posse ex puris naturalibus excluso adiutorio Dei supernaturali, ita circa distinct. 19. vnde sequitur adiutorium istud supernaturale, quod nos dicimus gratiam sufficientem, commune esse omnibus.

.Obiiciunt Dyonisium Carthusianum quasi à tramite D. Brunonis ipse recessisset, cum nihil minus cogitauerit: dicit, inquiunt, reprobationem esse Dei desertionem gratiam non conferentis, vnde licet reprobatus non possit gratiam finalem adipisci vsque ad mortem, tamen quod in illud peccatum vel in illud labitur, ex eius libero arbitrio contingit, vnde merito sibi imputatur ad culpam; *de Prædest.* art. 12. Dicit idem Carthusianus in cap. 9. epist. ad Rom. Origenem errasse asserendo gratiam con-

ferri vni, alteri ſubtrahi propter merita & demerita præcedentia in vita priori, quia ſi non præceſſiſſent, iniuſtum eſſet inæqualiter gratias diſtribui, vni conferri, alteri ſubtrahi; quæ ratio non conuincit, quia in his quæ liberaliter dantur iniuſtitia non intercedit. Item Deum eſſe cauſam cur indurantur peccatores, quia non confert illis gratiam cordis duritiam mollificantem, ſicut nauta per abſentiam eſt cauſa ſubmerſionis nauium & ſol per elongationem eſt cauſa frigiditatis: ex his conficiunt ſecundum mentem Carthuſiani gratiam omnibus non conferri.

Reſpondetur reprobum non poſſe gratiam finalem adipiſci ex hypotheſi quod ſit reprobus propter præuiſa peccata, abſolutè tamen poteſt melius ſapere ac gratiam illam conſequi & corrigi vt explicat Durandus in 1. diſt. 40. qu. 2. ex liberi ſcilicet arbitrij facultate, & aſſiſtente gratia Quod vero dicit etiam Deum non conferre gratiam quæ corda emolliat, ſicque derelinquere peccatores, id debet intelligi de derelictione & elongatione Dei per magis ſpecialia dona gratiæ, quæ pluribus ſubſtrahit, licet ſufficientia & communia donet omnibus etiam reprobis Quapropter ſicut ſol eſt cauſa frigiditatis in hyeme, quia tantum calorem non emittit, etſi aliquem non deſinat influere, ſed non adeo intenſum ſicut in æſtate: Ita ad mentem Carthuſiani Deus erit cauſa indurationis peccatorum, non quia totam eis gratiam mouentem ad meliorem frugem denegat, ſed quia tantam ac tam copioſam non impendit. Quod

probari posset ex pluribus tomis eiusdem authoris, qui numero non sunt impares voluminibus D. Augustini. Occurrit primo liber eius de *quatuor nouissimis* quem eo lubentius laudamus quod frequentius euoluerimus non sine fructu & sensu deuotionis. Ibi metuendum esse iudicium vltimum probat ex pluribus, maximè vero ex misericordia & benignitate Dei quam exercuit in reos eius tribunali tunc sistendos. Sic autem ait *art.* 24. denique non tantum piè tolerat Deus iniquos, sed etiam beneficia multa ipsis largitur, non sinens eos à Diabolo suffocari, sicut merentur, sed conseruans eos in esse, & præstans necessaria vitæ, ad conuersionem quoque & pœnitentiam multipliciter admonens eos sicque assiduè reddens eis bona pro malis. Quid responsuri sunt isti iudici summo, cum cœperit cum eis ponere rationem? qualiter indignabitur eis? vbi miserrimi se abscondent? *Quid respondebunt vnigenito Filio Dei, qui propter eos factus est homo, conuersatus in mundo, affixus patibulo, cui non solum substraxerunt seipsos vitiose viuendo, sed alios quoque ipsos varijs modis ad peccatum alliciendo, sicque fructum Passionis & Sanguinis Christi in seipsis ac alijs impediendo.* Hæc Carthusianus. Quibus verbis sensa sua satis expromit & de morte quam Christus subiit pro reprobis, & de medijs sufficientibus quibus confirmati ac corroborati sunt non vna specie admonitionis, sed multiplici, vt non omnino derelicti à Deo in hac vita censeri debuerint. Sed & idem piùs Auctor Rikelius in *Dialogo seu colloquio de iudi-*

cio animarum art. 9. narrat ex l. 4. capitulo 7. reuelationum Sanctæ Brigittæ vt ei in imaginaria visione, Angelus custos cuiusdam animæ multis sceleribus horrendis maculatæ, cum eam ante separationem à corpore vellet torquere Dæmon, sic eum continuit his dictis. *Misericordia Dei quam libet animam sequitur vsque ad mortem, & vsque ad vltimum punctum vitæ, & postea fit iudicium.* In isto autem adhuc coniuncta sunt corpus & anima, *& manet discretio.* Hæc eum dæmonis spiritum mitigarunt, quæ nequaquam eorum spiritus sedabũt, apud quos fixum est, sic confundere statum plurimorum cum damnatis in inferno, quibus nullum amplius superest remedium: quemadmodum gratiam huius vitæ cum cœlesti gloriæ lumine confundunt, cuius impetui velut torrentis nihil obsistat.

ARTICVLVS XXVIII.

An vltima tempora fæliciora sint pro Baianis.

Obijciunt pro decimo sæculo censuras facultatum Louaniensis & Duacensis, quæ propositiones Lessij de Gratia sufficiente improbarunt.

Respondetur frustra Iansenium Reuerendum l. 3. *de gratia Saluatoris* c. 1. ac eius asseclas in art. 31. suæ Apologiæ, has censuras in suæ doctrinæ confirmationem afferre, quoniam à Xisto V. Pontifice maximo reprobatæ sunt velut

iniustæ & contra sanam doctrinam latæ. Quare illudunt ignaris huius rei, dum eas velut autenticas obtrudunt, dissimulando imperitis earum reprobationem. Ita auctor Anti Iansenismi recens editi disp. 1. sect. 6. post Habertium in l de fide.

Quid quod optima pars Doctorum Louaniensium anno 1645 publico scripto requirente R. D. pronuntio Apostolico, declarauit, Bullam Vrbani VIII. qua confirmantur constitutiones Pij Papæ V. & Gregorij XIII ac prohibetur Augustinus Cornelij Iansenij, se reuerenter recipere ac ei per omnia parituros. Itemque Doctores Duacenses Epistola missa ad Serenissimum Archiducem Leopoldum an. 1648. Iulij 27 testantur nullum ex suis vnquam infectum fuisse doctrina proscripta Iansenij, quâ, inquiunt, nequaquam docetur mens D. Augustini. Illumque obnixè rogant vt pergat doctrinam illam extirpare. Extat vtriusque facultatis programma hoc ad calcem tomi 3. *de ente supernaturali* Martines de Ripalda Extatque eadem protestatio Duacensium in libro prænotato *veritas & æquitas censuræ Pontificiæ* Duaci edito, & in præcitata disput sect. 7. Anti-Iansenij

Obijciunt pro decimo septimo sæculo, Estium Cancellarium Vniuersitatis Duacensis. Respondemus innumeros in vniuersa Ecclesia Catholica illi contradicere merito & doctrina non inferiores, quorum testimonia nuper congessit Petrus à Sancto Ioseph Fuliensis. Sed & Estium falso ab ipsis in patronum assumi non dubitabit qui legerit eius antitheses cum Baio, vt in

paucis doctrinæ articulis cum illis consentiat, in plurimis dissentiat

Obijciunt in eodem sæculo librum quemdam Clementis octaui, quo gratia sufficiens ex principijs D. Augustini destruitur.

Respondetur Clementem VIII. istum librum non edidisse, nec eius haberi vllam mentionem in Biblioteca Pontificia Ludouici Iacob Carmelitæ, qui satis exactè librorum omnium Summorum Pontificum Catalogum texuit Verum est tamen cum eius tempore mota fuisset ea de re controuersia, quod consultores ab ipso congregati varias propositiones Molinæ adscriptas examinarunt, at nullum decretum tulit summus pontifex nec quicquam contra Molinam decreuit. Sed Paulus V. Clementis successor controuersiæ quæ inter Iesuitas & Dominicanos magnis studijs agitabatur de diuinæ gratiæ auxiliis & Libero Arbitrio, finem imposuit. Istud sanciens vt vtrique parti, dum aliud decerneretur liberum esset in Scholis suam sententiam modestè tueri sed sine damnatione alterius partis. Vt refert Spondanus in *prolusione* ad sæculum 17. anno M.DC. VI. ex quibus non leuiter conijci potest opinionem Molinæ non fuisse damnatam nec fidei aduersari, cum post tam diuturnum examen ac concertationes tam prolixas de eius opinionibus, dissimulare non debuisset Summus Pontifex si à fide Catholica alienæ aut Pelagianæ fuissent. At non ita se res habet, circa R. Iansenij Iprensis Episcopi Librum, cui Augustini nomen fecit, quem summus Pontifex Vrbanus VIII. prohibuit, vtpote opiniones damna-

tas, vt à se compertum asserit, continentem ac renouantem Bullâ datâ 1641. Quam Bullam Innocentius decimus confirmauit. Qui etiam nunc propositiones quinque ex præcipuis illius libri, eo Zelo qui decet Summum Pontificem, discuti prouidet, vt si Deus vitam illi proroget de controversijs istis è cathedra ferat iudicium, quo nihil vtilius ad bonum totius Ecclesiæ præstari potest ab ipsius supremo pastore.

ARTICVLVS XXIX.

Afferuntur sententiæ Patrum qui D. Augustinum antecesserunt.

Atque hactenus discussimus quæ obijciunt Baiani ex sanctis Patribus, quos ab Apologiæ erroribus liberos esse demonstrauimus. Quæ cum ita sint, satis perspicuum est, quam falso traditionis nomen tantum personent Apologistæ, quam cum verè non habeant, nec nisi mutilatam exhibeant, perfectius completam reddemus, si ordine retrogrado eam à posterioribus sæculis ad priora producamus. Atque vnum saltem Ecclesiæ Catholicæ patrem, ne longius excurreret oratio, si à pluribus testimonium quæreremus, in illis sæculis, quæ D. Augustini sæculum quod est quartum Ecclesiæ antecesserunt, producemus. Qua in re non multum nobis aduersabuntur, cum putent seruatum fuisse primum D. Augustino, vt mysteriorum gratiæ scientiam haberet, in qua valde rudes fuerint antiquiores, nondum illorum tem-

poribus exorta Pelagianorum hæresi : à quibus mota quæstio , de Gratia & Libero Arbitrio , discendi fuerit occasio Sed vt ista non curent, alij in pretio habebunt , apud quos persuasum est D. Augustinum nihil innouasse in Ecclesia, & si quædam nouè dixerit , cum stylo sublimiori , ac pluribus probationibus validissimis , nulla tamen noua dixisse ex fidei dogmatibus Itaut depositum ab antiquioribus patribus , doctrinæ seruans, idem quod illi , senserit , docuerit , scripserit ac tradiderit.

Igitur pro tertio Ecclesiæ sæculo , prodibit D. Cyprianus Carthaginensis Episcopus , totius Africæ primas , ac gloriâ martyrij illustris. Non ille agnouit distinctionem illam , qua secernunt ita prædestinatos à reprobis vt pro illis solis , Sanguinem Christus fuderit, ijsque solis, exclusis alijs , salutem exoptet. Scribens quippe ad Fidum tum suo nomine tum sexaginta sex Episcoporum collegarum , qui in concilio adfuerant in quo actum erat de Baptisandis paruulis ante octauum diem , sic loquitur. *Nam Deus vt personam non accipit , sic nec ætatem cum se omnibus ad cælestis gratiæ consequutionem æqualitate librata præbeat patrem* (vel vt alij legunt ,) *parem)* & in alia Epistola ad Antonianum directa , de relapso in peccata eadem loquens , hortansque vt benignè ad pænitentiam suscipiatur. *Iacet*, inquit, *ecce saucius frater ab aduersario in acie vulneratus. Inde diabolus conatur occidere quem vulnerauit. Hinc Christus hortatur ne in totum pereat quem redemit. Cui de duobus assistimus? in cuius partibus stamus? Vtrum ne diabolo fa-*

uemus vt perimat, & semianimem fratrem iacentem, sicut in Euangelio Sacerdotes & Leuites, prætérimus? An vero vt Sacerdotes Dei & Christi, quod Christus & docuit & fecit imitantes, vulneratum de aduersarij faucibus rapimus? Et post pauca. *Nam cum scriptum sit, Deus mortem non fecit nec lætatur in perditione viuorum, vtique qui neminem vult perire cupit peccatores pœnitentiam agere, per pœnitentiam denuo ad vitam redire.* Ponderanda ista verba. *Ne in totum pereat quem redemit.* Et hæc *qui neminem vult perire*, vt inde agnoscamus mentem D. Cypriani fuisse, Christum pro quolibet redemptionis prætium obtulisse, & neminem præterire, quem saluum non velit, vt nemini gratiam sufficientem ex parte illius deesse concludamus. Quo motiuo vult D. Cyprianus Sacerdotes duci vt pœnitentes duritia & inhumanitate sua non perdant. Quo motiuo cum illi non percelluntur, illum pœnitentiæ modum introducere voluerunt, in quo Sacerdotes non nisi sanos curare præsumant, nec nisi viuos resuscitare, eos scilicet quorum peccata iam deleta sint, tam per contritionem charitate perfectam, quam per opera cõpletæ satisfactionis. Contra quos in eadem epist. D. Cypriani verba hæc in trãscursu annotare ex occasione libuit. *Non est opus sanis medicus sed malè habentibus. Quam potest exercere medicinam qui dicit: ego solos sanos curo, quibus medicus necessarius non est: opem nostram medelam nostram vulneratis exhibere debemus.* Sed de his forsan alias agendum erit, interim transeamus ad secundum sæculum.

In hoc sæculo secundo floruit D. Irenæus Episcopus Lugdunensis, hic vnus pro multis in hanc arenam prodibit, & quod caput contorsit aduersus hæreses Valentini & similium quod est caput 91. l. 4. illud ipsum contorquebimus aduersus assertiones Iansenij & similium : *Aliud autem quod ait*, inquit, *quoties volui congregare filios tuos & noluisti. Veterem legem libertatis hominis manifestauit, quia liberum eum Deu fecit ab initio habentem suam potestatem sicut & suam animam ad vtendum scientiâ Dei voluntarie & non coactum à Deo ; vis enim à Deo non fit, sed bona sententia adest illi semper, & propter hoc consilium bonam dat omnibus semper. Posuit autem in homine potestatem electionis quemadmodum & in Angelis, &c. Dedit ergo Deus bonum quemadmodum & Apostolus testificatur in eadem Epistola, & qui operantur quidem illud, gloriam & honorem percipient, quoniam operati sunt bonum cum possent non operari illud : ij autem qui illud non operantur, iudicium iustum recipient Dei, quoniam non sunt operati bonum cum possent operari illud.* Hæc D. Irenæus, quæ quomodo quadrent cum Gratia Sufficienti, non est difficilis aut arduæ considerationis, at quomodo conueniant cum gratiâ illa Ianseniana, quæ paucis detur, cui refragari nullus possit, quis posset ostēdere ? certè non conueniunt inter se D. Irenæus Lugdunensis, & Iansenius Iprensis, vnum ergo ex Duobus in errorem lapsum necesse est, videant quâ æquitate sententiam suam proferent, & cui ius tribuent in hac controuersia : quâ de re dum inter se consulent, in primum sæculum ingrediemur.

In quo Theologus Maximus eluxit magnus Dyonisius Areopagita Episcopus primus Parisiensis, non enim alios ab Episcopis adducere intendimus, quod hi specialius patrum nomen mereantur, cum præter antiquitatem & doctrinam, patres ac pastores populorum fuerint. Magnus ille Dyonisius cap. 9. *Cœlestis Hierarchiæ*, quæstionem non absimilem ei quæ inter nos controuertitur, agitat. *Quod si quærat aliquis cur populus Judæorum ad diuinas illustrationes solus efferretur & excitaretur: respondendum est errorem quo aliæ nationes in eos, qui dij non sunt deflexerint, rectis Angelorum præfecturis non esse tribuendum, sed illis ipsis, qui procliuitate sua de recta ad Deum ferente via deflexerint amore sui, &c. neque enim vita nobis data est, cui vis illata sit aut imposita necessitas, nec eorum quæ prouidentur libertate diuini radij illustrationis, quæ à prouidentia manat vel obruuntur vel obscurantur: sed oculorum mentis dissimilitudo facit vt effluens paternæ benignitatis lucis largitio vel omnino communicari capique non possit, & propter eorum obstaculum ac repugnantiam infundi: aut communiones facit dissimiles paruas aut magnas obscuras, vel claras, cum vnus sit & simplex, eodemque modo semper habeat, & valdè explicatus fusus que sit diuini fontis radius: præsertim cum alijs gentibus (ex quibus nos quoque animum ereximus) non alienigenæ quidam dij, moderatores aderant ad immensum copiosumque; quod vero omnibus se communicandum aperit ex Deo nascentis lucis pelagus, sed vnum principium omnium & ad illud Angeli qui vnicuique nationi præfecti erant, se-*

quates deducerent.

In quibus D. Dyonisij verbis plura sunt consideratione digna, vt plura detegantur Gratiæ Sufficientis attributa propria, ac 1. illam gratiam quam monstrum appellare non exhorrent, varijs adornat elogijs, vocat siquidem, *diuinas illustrationes effluentem paternæ benignitatis lucis largitionem, immensum copiosumque quod omnibus se communicandum aperit ex Deo nascentis lucis pelagus*, Quod scilicet inexhausta sit illa gratia nec vnquam deficiat, sicut immensi oceani aqua, quæ numquam exsiccari, aut exhauriri posset. 2. Docet hominem non agere ex necessitate, cum nobis vita data non sit, cui sit *imposita necessitas*, vel per concupiscentiam ad malum, vel per gratiam ad bonum. 3. Resoluit ad illam illustrationem alios populos à Iudæis, non excitatos fuisse ad verum Dei cultum, etiàm si ad id adniterentur boni Angeli, propter eorum contumaciam, qua ipsi rebelles fuerunt lumini, cui Iudæi morigeros se præbuerunt. 4. Asserit hominum libertatem quorum Deus prouidentiam gerit, non posse efficere vt non sint aut omnino obruantur ac desinant huiusmodi illustrationes, quia nimirum velint nolint homines, gratia illa sufficiens illuminat & inspirat quoslibet, licet sit in eorum potestate cum illuminati, aut inspirati fuerint, sequi aut non sequi quo duceret. 5. Determinat has Gratiæ Sufficientis illustrationes in quibusdam omnino non capi, aut recipi propter eorum repugnantiam, puta in infantibus, aut adultis fatuis aut amentibus. 6. Explicat etiam dispares qualitates harum illustra-

tionum cum inæquali ſorte donantur hominibus ex mera Deliberalitate. 7. Denique cõmunes eſſe omnibus has illuſtrationes, cum eorum pelagus ſit immenſum, quod omnibus ſe communicandum aperit Hæc eſt vera Gratiæ Sufficientis Theologia, cui nos tradere haud equidem reformidare debemus cum illam à D Paulo acceptam tradat tantus vir D. Dyoniſius, quo alter non eſt maior Theologus. Neque vero nos primi aut ſoli iſtud aduertimus: nam & antiquus eius ſcoliaſtes S Maximus videns in iſtud collimare D. Dyoniſium ſic has ſententias concludit. *Quod Deus natura bonus exiſtens paratum ſeipſum omnibus præbet, vt participent de ſanctitate ipſius & in anima illuſtrentur, reliquum in nobis ſitum requiritur, nempe quomodo cupimus participes fieri eius cognitionis, vt oſtendatur Liberum Arbitrium.*

ARTICVLVS XXX.

Probatur Gratia Sufficiens ex libris Noui Teſtamenti.

AT non ſolum à patribus omnium ſęculorum probatur hæc veritas, ſed etiam omnibus fere Scripturæ Sacræ libris, vt non ſuperſit locus de ea dubitandi.

Ac primo probatur ex cap 3. Apocalypſis, *Ego ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis mihi aperuerit, intrabo ad eum.* Hic enim Dei impulſus fit per

Gratias Præuenientes seu excitantes quas nos sufficientes vocamus, quibus incitatur voluntas ad consentiendum bono operi. Quomodo vero diceret, *si quis aperuerit intrabo*, si non esset in potestate cuiuslibet aperire? ducta quippe est similitudo ab iis qui clausis foribus domi recluduntur, qui interdum pulsantibus aperiunt, nonnumquam dissimulant, ad quod alludens sponsa dixit, Cant. 5. *Pessulum ostij mei aperui dilecto meo* Sed si plura exoptas in hunc locum Apocalypsis, suppeditabit abundê Sherlogus in cap. 2. Canticorum *vestig. 22. in explanat. Mystica sect. vnica.*

Secundo probatur ex Epistolis Canonicis, ex cap 3. epist 2. D. Petri, *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant; sed patienter agit, nolens aliquos perire; sed omnes ad pænitentiam reuerti.* An expectat quispiam ab aliquo, quod probe scit eum præstare non posse? quomodo ergo excæcatos aut obduratos expectaret Dominus ad pœnitentiam, si non haberent auxilium sufficiens, quo possent ad pœnitentiam reuerti?

Tertio probatur ex Epistolis D. Pauli: ex cap. 2. epist. 1. ad Timothæum: vbi hortatur Apostolus vt orationes ad Deum fundantur pro omnibus hominibus, *Quia*, inquit, *hoc bonum est & acceptum coram saluatore nostro Deo, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, vnus enim Deus, vnus mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Quæ sententia pluries repetitur ab Apostolo, vt intelligamus

ligemus Christum omnibus auxilium sufficiens ad salutem impetrasse, quandoquidem pro omnibus redemptionem se obtulit, vt omnibus quantum est ex parte suâ salutem procurauerit, cupiens omnes saluos fieri, si non apponerent obicem. Quod etiam D. Augustinus sensit tractans hunc locum Apostoli, de Spiritu & littera cap. 33. & si alias variè philosophetur. Sed & Theophilactus versans similem locum Apostoli ad Hebræos 2. *vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem*: sic explicat eius mentem: Deus enim non ex debito, sed ex gratia filium suum nobis dedit in mortem, non pro fidelibus tantum sed pro vniuerso terrarum orbe: *etsi enim omnes non sunt seruati, ipse tamen quod sui officij erat impleuit.* Scilicet redemptoris omnium, cui incumbebat media sufficientia ad salutem omnibus acquirere, vnde connexæ sunt inter se assertiones de morte Christi pro omnibus, & de gratia sufficiente, vt qui vnam admittit alteri subscribat necesse sit: vnde nec induratos eximit Apostolus, quin auxilium à Deo sufficiens sibi paratum habeant, cum scribit ad Rom. 2. *Ignoras quod patientia Dei ad pœnitentiam te expectat?* Non enim aliter patientia exerceretur à Deo erga induratos, si non possent ad pœnitentiam gratiarum excitantium subsidijs se flectere, sicut non exercetur erga dæmones & damnatos, qui priuati sunt omni gratiæ subsidio, vt se ad Deum conuertant.

Probatur ex libro Actuum Apostolorum in quo D. Stephanus Protomartir, sic increpabat obduratos Iudæos, cap. 7. *Dura ceruice & in-*

ſtantiam immenſitatis ſuæ ſemper præſens eſt.

Probatur deinde ex Euangelijs ac primo ex præcitato proximè textu Ioannis cap. 1. *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Quia ſcilicet gratia illuminationis, non deſinit tenebroſos quoſlibet peccatores illuſtrare, etſi ipſi non intelligant nec ſciant donum Dei & quæ ſunt ad pacem illorum ac reconciliationem cum Deo: vnde in eodem capite dicit, *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum:* ad quem locum reſpiciens D Auguſtinus in libro *de Geneſi contra Manichæos*, dicit, omnes homines poſſe ſeruare Dei mandata ſi velint, quia *Dei lumen illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: ſed & apud eumdem Euangeliſtam cap. 7. *in die magno feſtiuitatis clamabat Ieſus & dicebat, ſi quis ſitit veniat ad me & bibat*, cui generali vocationi correſpondent ſimilia verba apud Matthæum, cap. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos: tollite iugum meum ſuper vos.* Quæ verba ſic commentatur D. Ioannes Chryſoſtomus hom. 39 in Matthæum. *Non autem dicit venite ille & ille, ſed omnes qui in ſollicitudinibus, qui in triſtitijs, qui in peccatis eſtis, Venite non quoniam indigeo veſtra gloria, ſed quia volo veſtram ſalutem.* Atque in eodem capite eadem veritas eluceſcit ex verbis quibus exprobrat ciuitatibus Corozain & Betſaïda. *Væ tibi Corozain væ tibi Bethſaida, quia ſi in Sydone & Tyro factæ fuiſſent virtutes quæ factæ fuerunt in te, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egiſſent.* Quâ exprobratione denotat & Corozain & Bethſaida

habuisse sufficientia media ad pœnitentiam amplexandam : cum si paria accepissent Tyrus & Sydon, satis superque illis fuisset ad eamdem pœnitentiam. Quod enim vni ciuitati infideli satis est, cur non esset satis alteri Iudææ ciuitati in qua iam notus erat? Sed nec sequitur Sydonem & Tyrum caruisse auxiliis internis ad pœnitendum sufficientibus, cum eorum conuersioni nihil defuerit præter auxilia externa miraculorum Christi, quæ sine internis vana fuissent & egena elementa, haud idonea ad conuersionem operandam. Quare supponuntur Tyrus & Sydon non caruisse auxilijs internis gratiæ interioris sufficientis, quæ plus virtutis habitura fuissent, si robore externorũ auxiliorum confortata fuissent.

Sed & si tantillum obscuritatis in his locis esse videatur alicui, põderet alia Saluatoris Christi verba quibus cum tanto affectu loquitur, eiusdem Matthæi cap. 23. *Quoties volui congregare filios tuos sicut gallina congregat pullos suos sub alas & noluisti*? Quibus sermonibus respondere potuissent ciues Ierusalem, si defuisset Gratia Sufficiens : quid mirum si noluerimus, nullum datum est nobis auxilium supernaturale, sine quo conuerti non poteramus : siue quomodo dicis tibi in votis fuisse congregare nos ne dispersi ab accipitre raperemur, cui nulla fuit cura, nulla prouidentia nostræ salutis, quam solis electis tuis impendere decreuisti, abiectis alijs, quasi non essent tui? Quare ergo misero data est lux, si remoues ab eo lumen tuum? cur faciem tuam abscondis, & arbitraris tot homines inimicos tuos? nonne omnia pacificasti per san-

ba illusoriè dicerentur à Deo, si non esset in potestate peccatorum ad eum sese conuertere, carerentque auxilio ad conuertionem sufficienti, quam consequentiam pij abhorrent, solus Caluinus admittit lib. 3. instit. cap. 24. his verbis. *Ecce vocem ad eos dirigit, sed vt magis obsurdescant; lumen accendit, sed vt reddantur cæciores; doctrinam profert, sed quâ magis obstupescant; remedium adhibet, sed ne sanentur.*

Alter textus est apud Isaiam vbi Deus conqueritur cap. 5. contra Israelitas, *quid vltra debui facere vinæ meæ & non feci: an quod expectaui vt faceret vuas & fecit labruscas?* quibus satis Deus demonstrat se ex parte sua non defuisse Israelitis præuaricatoribus, at quo pacto? si ne quidem auxilium sufficiens suppeditauit? hoc regerere possent Iudæi, caruimus omni auxilio sufficienti, quare non est æquum quod deficiente circa nos cultura sufficienti vuas expectares, & sterilitatem nobis improperes: an expectant sapientes de tribulis ficus, & de saxis oleum? quid sumus absque gratiâ tuâ nisi tribuli, & saxa durissima, expectasne vt quod nobis est impossibile præstemus, cum imperfectum nostrum videant oculi tui? Nec iuuat eos solutio ridicule asserentium auxilium istud sufficiens dedisse in Adamo, cum esset in statu innocentiæ, adquem Deus respexit hæc improperans Iudæis. Neque enim hæc exprobratio ad Iudæos magis attineret quàm ad barbaros quoslibet qui in Adamo eodem fauore & gratia donati sunt. Legi potest inter cæteros D. Basilius magnus in hoc caput Isaiæ.

In hoc sæculo secundo floruit D. Irenæus Episcopus Lugdunensis, hic vnus pro multis in hanc arenam prodibit, & quod caput contorsit aduersus hæreses Valentini & similium quod est caput 91. l. 4. illud ipsum contorquebimus aduersus assertiones Iansenij & similium: *Aliud autem quod ait*, inquit, *quoties volui congregare filios tuos & noluisti. Veterem legem libertatis hominis manifestauit, quia liberum eum Deu fecit ab initio habentem suam potestatem sicut & suam animam ad vtendum scientiâ Dei voluntarie & non coactum à Deo; vis enim à Deo non fit, sed bona sententia adest illi semper, & propter hoc consilium bonam dat omnibus semper. Posuit autem in homine potestatem electionis quemadmodum & in Angelis, &c. Dedit ergo Deus bonum quemadmodum & Apostolus testificatur in eadem Epistola, & qui operantur quidem illud, gloriam & honorem percipient, quoniam operati sunt bonum cum possent non operari illud: ij autem qui illud non operantur, iudicium iustum recipient Dei, quoniam non sunt operati bonum cum possent operari illud.* Hæç D. Irenæus, quæ quomodo quadrent cum Gratia Sufficienti, non est difficilis aut arduæ considerationis, at quomodo conueniant cum gratiâ illa Ianseniana, quæ paucis detur, cui refragari nullus possit, quis posset ostédere? certè non conueniunt inter se D. Irenæus Lugdunensis, & Iansenius Iprensis, vnum ergo ex Duobus in errorem lapsum necesse est, videant quâ æquitate sententiam suam proferent, & cui ius tribuent in hac controuersia: quâ de re dum inter se consulent, in primum sæculum ingrediemur.

In quo Theologus Maximus eluxit magnus Dyonisius Areopagita Episcopus primus Parisiensis, non enim alios ab Episcopis adducere intendimus, quod hi specialius patrum nomen mereantur, cum præter antiquitatem & doctrinam, patres ac pastores populorum fuerint. Magnus ille Dyonisius cap. 9. *Cœlestis Hierarchiæ*, quæstionem non absimilem ei quæ inter nos controuertitur, agitat. *Quod si quærat aliquis cur populus Judæorum ad diuinas illustrationes solus efferretur & excitaretur: respondendum est errorem quo aliæ nationes in eos, qui dij non sunt deflexerint, rectis Angelorum præfecturis non esse tribuendum, sed illis ipsis, qui procliuitate sua de recta ad Deum ferente via deflexerint amore sui, &c. neque enim vita nobis data est, cui vis illata sit aut imposita necessitas, nec eorum quæ prouidentur libertate diuini radij illustrationis, quæ à prouidentia manat vel obruuntur vel obscurantur: sed oculorum mentis dissimilitudo facit vt effluens paternæ benignitatis lucis largitio vel omnino communicari capique non possit, & propter eorum obstaculum ac repugnantiam infundi: aut communiones facit dissimiles paruas aut magnas obscuras, vel claras, cum vnus sit & simplex, eodemque modo semper habeat, & valdè explicatus fusus que sit diuini fontis radius: præsertim cum alijs gentibus (ex quibus nos quoque animum ereximus) non alienigenæ quidam dij, moderatores aderant ad immensum copiosumque; quod vero omnibus se communicandum aperit ex Deo nascentis lucis pelagus, sed vnum principium omnium & ad illud Angeli qui vnicuique nationi præfecti erant, se-*

quates deducerent.

In quibus D. Dyonisij verbis plura sunt consideratione digna, vt plura detegantur Gratiæ Sufficientis attributa propria, ac 1. illam gratiam quam monstrum appellare non exhorrent, varijs adornat elogijs, vocat siquidem, *diuinas illustrationes effluentem paternæ benignitatis lucis largitionem, immensum copiosumque quod omnibus se communicandum aperit ex Deo nascentis lucis pelagus*, Quod scilicet inexhausta sit illa gratia nec vnquam deficiat, sicut immensi oceani aqua, quæ numquam exsiccari, aut exhauriri posset. 2. Docet hominem non agere ex necessitate, cum nobis vita data non sit, cui sit *imposita necessitas*, vel per concupiscentiam ad malum, vel per gratiam ad bonum. 3. Resoluit ad illam illustrationem alios populos à Iudæis, non excitatos fuisse ad verum Dei cultum, etiâm si ad id adniterentur boni Angeli, propter eorum contumaciam, qua ipsi rebelles fuerunt lumini, cui Iudæi morigeros se præbuerunt. 4. Asserit hominum libertatem quorum Deus prouidentiam gerit, non posse efficere vt non sint aut omnino obruantur ac desinant huiusmodi illustrationes, quia nimirum velint nolint homines, gratia illa sufficiens illuminat & inspirat quoslibet, licet sit in eorum potestate cum illuminati, aut inspirati fuerint, sequi aut non sequi quo duceret. 5. Determinat has Gratiæ Sufficientis illustrationes in quibusdam omnino non capi, aut recipi propter eorum repugnantiam, puta in infantibus, aut adultis fatuis aut amentibus. 6. Explicat etiam dispares qualitates harum illustra-

tionum cum inæquali ſorte donantur hominibus ex mera Deliberalitate. 7. Denique cõmunes eſſe omnibus has illuſtrationes, cum eorum pelagus ſit immenſum, quod omnibus ſe communicandum aperit Hæc eſt vera Gratiæ Sufficientis Theologia, cui nos tradere haud equidem reformidare debemus cum illam à D Paulo acceptàm tradat tantus vir D. Dyoniſius, quo alter non eſt maior Theologus. Neque vero nos primi aut ſoli iſtud aduertimus: nam & antiquus eius ſcoliaſtes S Maximus videns in iſtud collimare D. Dyoniſium ſic has ſententias concludit. *Quod Deus natura bonus exiſtens paratum ſeipſum omnibus præbet, vt participent de ſanctitate ipſius & in anima illuſtrentur, reliquum in nobis ſitum requiritur, nempe quomodo cupimus participes fieri eius cognitionis, vt oſtendatur Liberum Arbitrium.*

ARTICVLVS XXX.

Probatur Gratia Sufficiens ex libris Noui Teſtamenti.

AT non ſolum à patribus omnium ſęculorum probatur hæc veritas, ſed etiam omnibus fere Scripturæ Sacræ libris, vt non ſuperſit locus de ea dubitandi.

Ac primo probatur ex cap. 3. Apocalypſis, *Ego ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis mihi aperuerit, intrabo ad eum.* Hic enim Dei impulſus ſit per

Gratias Præuenientes seu excitantes quas nos sufficientes vocamus, quibus incitatur voluntas ad consentiendum bono operi. Quomodo vero diceret, *si quis aperuerit intrabo*, si non esset in potestate cuiuslibet aperire? ducta quippe est similitudo ab iis qui clausis foribus domi recluduntur, qui interdum pulsantibus aperiunt, nonnumquam dissimulant, ad quod alludens sponsa dixit, Cant. 5. *Pessulum ostij mei aperui dilecto meo*. Sed si plura exoptas in hunc locum Apocalypsis, suppeditabit abundê Sherlogus in cap.2. Canticorum *vestig.22. in explanat. Mystica sect. vnica.*

Secundo probatur ex Epistolis Canonicis, ex cap 3. epist 2. D. Petri, *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant; sed patienter agit, nolens aliquos perire; sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* An expectat quispiam ab aliquo, quod probe scit eum præstare non posse? quomodo ergo excæcatos aut obduratos expectaret Dominus ad pœnitentiam, si non haberent auxilium sufficiens, quo possent ad pœnitentiam reuerti?

Tertio probatur ex Epistolis D. Pauli: ex cap. 2. epist. 1. ad Timothæum: vbi hortatur Apostolus vt orationes ad Deum fundantur pro omnibus hominibus, *Quia*, inquit, *hoc bonum est & acceptum coram saluatore nostro Deo, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, vnus enim Deus, vnus mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Quæ sententia pluries repetitur ab Apostolo, vt intel-
ligamus

ligemus Christum omnibus auxilium sufficiens ad salutem impetrasse, quandoquidem pro omnibus redemptionem se obtulit, vt omnibus quantum est ex parte suâ salutem procurauerit, cupiens omnes saluos fieri, si non apponerent obicem. Quod etiam D. Augustinus sensit tractans hunc locum Apostoli, de Spiritu & littera cap. 33. & si alias variè philosophetur. Sed & Theophilactus versans similem locum Apostoli ad Hebræos 2. *vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem*: sic explicat eius mentem: Deus enim non ex debito, sed ex gratia filium suum nobis dedit in mortem, non pro fidelibus tantum sed pro vniuerso terrarum orbe: *etsi enim omnes non sunt seruati, ipse tamen quod sui officij erat impleuit.* Scilicet redemptoris omnium, cui incumbebat media sufficientia ad salutem omnibus acquirere, vnde connexæ sunt inter se assertiones de morte Christi pro omnibus, & de gratia sufficiente, vt qui vnam admittit alteri subscribat necesse sit: vnde nec induratos eximit Apostolus, quin auxilium à Deo sufficiens sibi paratum habeant, cum scribit ad Rom. 2. *Ignoras quod patientia Dei ad pœnitentiam te expectat?* Non enim aliter patientia exerceretur à Deo erga induratos, si non possent ad pœnitentiam gratiarum excitantium subsidijs se flectere, sicut non exercetur erga dæmones & damnatos, qui priuati sunt omni gratiæ subsidio, vt se ad Deum conuertant.

Probatur ex libro Actuum Apostolorum in quo D. Stephanus Protomartir, sic increpabat obduratos Iudæos cap. 7. *Dura ceruice & in-*

ſtantiam immenſitatis ſuæ ſemper præſens eſt.

Probatur deinde ex Euangelijs ac primo ex præcitato proximè textu Ioannis cap. 1. *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Quia ſcilicet gratia illuminationis, non deſinit tenebroſos quoſlibet peccatores illuſtrare, etſi ipſi non intelligant nec ſciant donum Dei & quæ ſunt ad pacem illorum ac reconciliationem cum Deo; vnde in eodem capite dicit, *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum:* ad quem locum reſpiciens D Auguſtinus in libro *de Geneſi contra Manichæos*, dicit, omnes homines poſſe ſeruare Dei mandata ſi velint, quia *Dei lumen illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: ſed & apud eumdem Euangeliſtam cap. 7. *in die magno feſtiuitatis clamabat Ieſus & dicebat, ſi quis ſitit veniat ad me & bibat*, cui generali vocationi correſpondent ſimilia verba apud Matthæum, cap. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos: tollite iugum meum ſuper vos.* Quæ verba ſic commentatur D. Ioannes Chryſoſtomus hom. 39 in Matthæum. *Non autem dicit venite ille & ille. ſed omnes qui in ſollicitudinibus, qui in triſtitijs, qui in peccatis eſtis, Venite non quoniam indigeo veſtra gloria, ſed quia volo veſtram ſalutem.* Atque in eodem capite eadem veritas eluceſcit ex verbis quibus exprobrat ciuitatibus Corozain & Betſaida. *Væ tibi Corozain væ tibi Bethſaida, quia ſi in Sydone & Tyro factæ fuiſſent virtutes quæ factæ fuerunt in te, olim in cinere & cilicio pænitentiam egiſſent.* Quâ exprobratione denotat & Corozain & Bethſaida

ba illusoriè dicerentur à Deo, si non esset in potestate peccatorum ad eum sese conuertere, carerentque auxilio ad conuertionem sufficienti, quam consequentiam pij abhorrent, solus Caluinus admittit lib. 3. instit. cap. 24. his verbis. *Ecce vocem ad eos dirigit, sed vt magis obsurdescant; lumen accendit, sed vt reddantur cæciores; doctrinam profert, sed quâ magis obstupescant; remedium adhibet, sed ne sanentur.*

Alter textus est apud Isaiam vbi Deus conqueritur cap. 5. contra Israelitas, *quid vltra debui facere vinæ meæ & non feci: an quod expectaui vt faceret vuas & fecit labruscas?* quibus satis Deus demonstrat se ex parte sua non defuisse Israelitis præuaricatoribus, at quo pacto? si ne quidem auxilium sufficiens suppeditauit? hoc regerere possent Iudæi, caruimus omni auxilio sufficienti, quare non est æquum quod deficiente circa nos cultura sufficienti vuas expectares, & sterilitatem nobis improperes: an expectant sapientes de tribulis ficus, & de saxis oleum? quid sumus absque gratiâ tuâ nisi tribuli, & saxa durissima, expectasne vt quod nobis est impossibile præstemus, cum imperfectum nostrum videant oculi tui? Nec iuuat eos solutio ridicule asserentium auxilium istud sufficiens dedisse in Adamo, cum esset in statu innocentiæ, adquem Deus respexit hæc improperans Iudæis. Neque enim hæc exprobratio ad Iudæos magis attineret quàm ad barbaros quoslibet qui in Adamo eodem fauore & gratiâ donati sunt. Legi potest inter cæteros D. Basilius magnus in hoc caput Isaiæ.

guinem crucis tuæ, & ibi exauditus propter reuerentiam tuam, litem filiorum Adæ diremisti? nonne aſcendit ad Patrem tuum ſuauis valdè ſacrificii tui cruenti odor, quo cor patris tui æterni placatum eſt ad filios & filias vniuerſas Adam? fruſtra ne ergo pedes tui in altum ſublati ſunt, & manus tuæ, quæ captiuis libertatem reddunt, clauis affixæ? ſi ex innumeris animabus tamen paucas dilexiſti, hi quas deſcenderent miſerationes tuæ vt viuerent? O amantiſſime cuſtos hominum qui miſericors & ſuauis es ſuper omnia, maius fuit incendium cordis tui, dum puriſſimam & ſalutis humanæ auidiſſimam animam tuam inter manus patris benigniſſimi commendaſti, vt primi parentis inobedientiam morte tuâ reparares, & vbi abundauit delictum gratia ſuperabundaret, &c.

ARTICVLVS XXXI.

Probatur Gratia Sufficiens ex libris veteris Teſtamenti.

IMpugnatorum Gratiæ Sufficientis antiſtes R. Iprenſis, in titulo capitis 8. lib 3. tom. 1. ait ſtatum veteris Teſtamenti figuratiuum & propheticum non attuliſſe Iudæis Gratiam Sufficientem, ſed potius impedientem. Quaſi vero ſine iniuria Chriſti dici poſſit, vllam gratiam ab eo profluxiſſe, quæ fuerit impediens. Quod minus conuenienter dictum impulit nos, vt à nouo Teſtamento ad vetus procedamus, præſuppoſita

gis enim omnia quæ sunt & nihil odisti eorum quæ fecisti: parcis autem omnibus, quia tua sunt, Domine, qui amas animas. In qua sententia quot verba tot fere argumenta pro gratia sufficienti. Quid enim est misereri omnium, vt bene perpendit Lessius in tract. de Prædestinatione & reprobatione Angelorum & hominum sect. 6. nisi omnibus præbere opem vt à miseria resurgant, *& dissimulare peccata hominum propter pœnitentiam*, nisi non punire priuando vita, vt pœnitentiam agere queant, quam sine auxilio sufficienti agere nequeunt? *Diligis enim omnia.* Ad quid nisi ad bonum salutis &c. *& nihil odisti eorum quæ fecisti*, denegando eis illud sine quo necesse esset in perditionem abire. *Parcis autem omnibus quia tua sunt, Domine qui amas animas.* Potuissetne scriptura clarioribus verbis sinceritatem diuini amoris & viscera paterna erga omnes aperire, cum omnes creaturæ Dei sint, qui salutem animarum exoptat. *Ecce*, inquit c. Ezechielis 18. *omnes animæ meæ sunt, vt anima patris ita & anima filij mea est.* Vnde certè colligas Deum vnicuique animæ auxilium aliquod dare sufficiens ad salutem, quomodo enim aliter eius amor erga animas spirituales ad æternitatem paradisi creatas, patefieret?

Quod idem adhuc expresse denotatur c. 12. *O quam bonus & suauis est Domine spiritus tuus in omnibus: ideoque eos qui exerrant partibus corripis: & de quibus peccant admones vt relicta malitia credant in te Domine.* Nec istis obstat textus Ecclesiastes 11. *considera omnia opera altissimi, quod nemo potest corrigere quem ille despexerit.*

D. Augustinus dum Psalmos Dauidicos commentarjis suis illustrat. Sic autem Ruffinus. Vel sic potest intelligi *Non est qui se abscondat à calore eius, id est, qui non habeat aliquem calorem, vel aliquam gratiam Spiritus Sancti: cum omnes intellectum habeant & rationem.*

Nec ab isto sensu abludit Babtista Folengius Psalmorum interpres non ignobilis. Et ante ipsum Remigius Altisiodorensis Episcopus in eumdem Versum. *Non est qui se abscondat, id est, excusare poßit, à calore eius, id est, à cognitione vel à munere. Sicut enim magnus ignis calet & splendet, ita Christus calet, quia nullus est qui non habeat aliquod munus suæ gratiæ quo eum poßit agnoscere, nec etiam paganus aliquis* &c. Sed & hoc ipsum intellexit ipse D. Augustinus cum scribit l. de pastoribus c. 14. Non habebis quid respondeas iudici tuo quem non vis esse pastorem tuum. Non habebis inquam quod respondeas iudici tuo, non vidi, non audiui. Quid est quod non scisti? *Nec est qui se abscondat à calore eius.* Et in eumdem Psalmum D. Augustinus, cum autem verbum etiam caro factum est & habitauit in nobis non permisit vllum mortalium excusare se de vmbra mortis. *Ipsum enim penetrauit verbi calor.*

2. Eadẽ veritas cõfirmatur ex libris Sapientialibus quales sunt illi qui vulgo Salom. esse dicũtur. Ac maxime ex cap. 15. Eccles. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui: adiecit mandata ac præcepta sua. Si volueris mandata seruare, conseruabunt te.* vers. 18. *apposui tibi aquam & ignem ad quod volueris*

complere. Nec iuuat aduersarios, quod hic post Caluinum l. 2. instit c. 5. solent respondere, impotentiam seruandi præcepta non excusare à peccato, nec à peccati pœna, quia nimirum ex originali peccato deriuata est illa impotentia, & ex ea naturæ corruptela quâ vltro Adam se diaboli tyrannidi addixit, Dei mandatum in paradiso prætergrediens. Vnde factum est vt illa impotentia sit pœna peccati, nec à peccato excuset quemquam. Hæc pluribus Iansenius l. 2. 3. & 4. de statu naturæ lapsæ per plura capita. Sed cum nonobstante hoc Caluini effugio damnata sit propositio Caluini in Trident. sess. 6. c 11. vbi decretum est Deum impossibilia non iubere, per latus Caluini confossum est dogma Iansenianum quod omnino rationi repugnat. Nisi velit, Deum poste peccatum præcipere posse homini, vt nunquam ægrotet, nunquam senescat aut morti cædat, & his præceptis si non obtemperauit, æternis addicat supplicijs. Tam enim orta est impotentia hæc seruandi ex peccato, quam impotentia seruandi præcepta decalogi. Quare si iustè toties populus Israel in libro Iosue, Iudicum, Regum, & alijs, aduersariorum suorum potestati, fuso prius exercitu, traditus est, ob præuaricationem Legis diuinæ, si reges ipsi Israel ob eamdem causam toties à Deo mulctati sunt, & transgressionem Legis, & transgressionis pœnam cauere poterant, & cum id aliter fieri non posset etiam ex aduersariorum mente, quam per gratiæ auxilia, & hæc illis præsto fuisse, & his illos restitisse concludendum est.

Sed fortassis probationem istam generalem esse & conuenire posse omnibus fere scripturæ libris conquerentur, nec esse specialem ijs libris in quibus Historiæ Sacræ delineantur. Agamus ergo & pro eorum voto, aliquid specialius eis exhibeamus ex ijsdem libris depromptum. Mulier sapientis titulo donata Thecuitis nimirum, illud nobis suppeditabit 2. reg. c. 14. Quæ cum vellet fortissimo quodam argumento inducere Dauidis animum ad misericordiam erga filium Absalonem, Iampridem ab illo eiectum propter fratricidij crimen, *Omnes morimur* inquit ad illum & *sicut aquæ dilabimur in terram quæ non reuertuntur: nec vult Deus perire animam, sed retractans cogitat ne penitus pereat qui abiectus est.* Quasi diceret ad Dauid, tu Rex imago Dei es in terra, ad te spectat potissimum Dei virtutem & magnificentiam imitari. Ille non vult vel vnum ex omnibus mortalibus vitâ æterna priuari sed quantum est in se vellet omnes ad conspectum suum in æterna beatæ visionis requie aliquando admitti: cur ergo tu filium tuum Absalonem tamdiu exulem ab aulâ tuâ & à facie tuâ, non in gratiam recipis? Etenim verba illa, *qui non vult animam perire* intelligunt Angelomus & Tostatus ad illum locum de perditione animæ per damnationem æternam, à qua Deus vellet omnes & singulos liberari, si gratiæ eius ad pia opera vocanti obsequi vellent ex animo. At sapientis istius argumentum insipiens esset, si tunc temporis Iansenianum dogma viguisset. Ex illo enim respondere potuisset Dauid. Falsum est quod Deus

neminem velit perire, imo vero paucos admodum ad ſalutem promouet, eiectis cæteris à ſuâ curâ & prouidentiâ, quare ſi filium Abſalonem reduci non patiar, faciam quod Deus agit erga innumeros homines. Quod cum factum non ſit, non ſolum ſapientis illius Thecuitis, ſed & ipſius pii regis mentem fuiſſe hanc ſentire debemus, quod Deus erga ſingulas animas pia viſcera gereret ad eorum ſalutem, ſi ex parte ſuâ non deeſſent.

4. Probatur id ipſum ex libris legalibus id eſt ex Pentateuco & quinque libris Moyſi qui idcirco legales dicuntur, quod primarium eorum argumentum ſit lex data in monte Sinai. Etſi enim totus liber Geneſis ac fere media pars Exodi exordia mundi ac primorum hominum geſta delineent, id tamen in ordine ad legem ipſam ordinatur, vt ad eam audiendam ac ſeruandam præparentur homines ac excitentur, per exempla bonorum ac malorum, dum his vident bene ceſſiſſe ob exhibitum Deo cultum debitum: illis contra aduerſa omnia accidiſſe ob numinis contemptu: ſicut obſeruauit Guilielmus Pariſienſis *de leg.* Probatur autem ex Deuteronomio c.30. *Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te neque procul poſitum, vt poſſis dicere quis noſtrum valet ad cælum aſcendere vt referat illud ad nos, vt audiamus & opere compleamus?* Conuenio hic aduerſarios. Quâ viâ mandatum Dei toti populo facile eſt, ſi non habeat vim & in illo non ſupponatur gratia ſufficiens ad illud opere complendum. Sciunt enim ipſi quâ infirmitatis plaga percuſſum eſt genus

apud P. Ioannem *de la Haye* commentariorum in Genesim tomo 1. Non soluitur difficultas afferendo aliam interpretationem quorumdam patrum, illa enim quæ pluribus patribus arrisit legitima erit, nonobstante alia explicatione, cum plures sensus possint esse vnius & eiusdem loci Scripturæ sacræ, quod eiusmodi sensuum vbertas & Dei scripturarum conditoris maiestatem & ipsius scripturæ excellentiam supra cæteros libros summopere commendat.

Quare vanum est, quod Caluinus l.4. aduersus Pighium cum magno contemptu ac fastidio locum hunc & similes alios non multum negotij posse facessere etiam mediocribus ingenijs asserit, sub pretextu alterius explicationis, quæ textui etiam quadrare possit. Esto enim admittatur hæc explicatio, sed & propter hanc, illa non est repudianda, cui plures patres à Bellarmino laudati vbi supra, adstipulantur. Quibus addi potest Hugo de sancto Victore paruus Augustinus dictus, ad hunc locum Genesis, & Alcuinus interrogatione 84. in Genesim, & D. Thomas in expositione illa aurea in eamdem Genesim quæ inter eius opera adscribi solet, atque alij plures.

ARTICVLVS XXXII.

An argumentum ductum ab experientia destruat Gratiam Sufficientem.

Hic mihi statuendum esse signum deliberabam, cum occurrit 4. & 5. puncti articulo 27. & 28 difficultas non modica, quam doctus author Apologiæ istius proponit: asserens enim, non minori stultitia quam fatuos ob dementiam incarceratos, laborare eum oportere, qui sibi imaginaretur Tiberios, Caligulas, Nerones, & Domitianos motos fuisse secreto quodam instinctu ad implorandam Dei gratiam, cum corruptissimis suis passionibus ac desiderijs indulgerent, nec perditos homines experiri se habere piam intellectus cogitationem ac voluntatis affectionem, dum in scelera ruunt præcipites, inde etiam infert tanquam ex certa demonstratione, destructionem opinionis communioris & minus subtilis cæterorum Molinistarum de Gratiâ sufficiente. Quia plures non sentiunt se habere cogitationem ac affectionem illam: ergo carent gratiâ sufficiente. Quod firmat authoritate Bellarmini l. 2. *de Gratiâ & Libero Arbitrio* c. 6. Quod dicat *non semper, adesse auxilium sufficiens ad conuersionem, vt vel experientia ipsa testatur, non enim sentimus aßiduè nos illuminari aut immitti bona desideria quibus excitemur ad conuersionem.* Quod dictum Bellarmini ex pari-

tate rationis extendit ad destructionem gratiæ sufficientis in casu alicuius tentationis, quoniam neque tunc plures se sentiunt illuminari ac pio tangi desiderio. Tum prouocat quotquot in Vniuerso existunt Molinistas. Inquirant quantum voluerint, certus sum, ait, hoc argumentum infirmius non esse argumento Cardinalis Bellarmini, aut illo minus inuictum, nec vtriusque inueniri posse vllam solutionem rationi innixam.

Verum, cum non ita coerceamus intra limites solius orationis, gratiam sufficientem, quin etiam, cum Deo ita placuerit, eam extendamus ad quamlibet cogitationem ac affectionem mali alicuius vitandi ac boni exercendi, tota hæc ratiocinatio collabitur, si demonstremus quoslibet etiam deprauatissimos, non carere pijs istis cogitationibus ac affectionibus, etsi illas non sentiant, quia non reflectunt se super se. Prius tamen quibusdam præmissis de dictis à Bellarmino, qui ibidem expresse asserit auxilium sufficiens ad resurgendum à peccato nemini deesse loco & tempore, Licet non detur omni momento, quia scilicet præceptum resurgendi à peccato non obligat sub pœna noui peccati incurrendi, omni momento & tempore. Et satis est si detur eo tempore quo obligat præceptum pœnitentiæ: sicut datur cum est necessarium ad vitandum nouum peccatum in periculo grauis tentationis. Vnde etsi in vtroque casu auxilium Dei sit necessarium, non tamen in omni momento necessarium est: quia, vt non semper obligat præceptum pœnitentiæ ad resurgendum à peccato: sic in periculo ex tentationibus pro-

ueniente, satis est vt ijs non vincatur homo, si vires aduersarij minuantur, vel remoueatur occasio, vel aliquid magis alliciens auferatur. Absque eo quod extra casum necessitatis habeatur aut sentiatur inspiratio gratiæ sufficientis.

Quibus prænotatis progredimur ad caput primum, quod satis probatum est in hac tertia parte, eo enim tendunt quæcumque adduximus pro gratiæ sufficientis confirmatione. Sed ne quemquam terreat nomen Neronum, Caligularum, & aliorum huiusmodi perditissimorum hominum, qui non fuerunt deterioris conditionis quam Caini, Pharaones ac Sardanapali, in quibus gratiam sufficientem non defuisse iam diximus; etiam ipsum Antichristum hominem peccati & filium perditionis vt vocatur ab Apostolo 2. ad Thesalon. 2. in medium producimus, cui Deus committet Angelum custodem, qui eius salutis curam habeat, & si ad bonum aliquod inducere non possit propter exquisitam eius malitiam, à malis tamen pluribus deterreat. At credi non potest Angelos custodes eos velle ad salutem promouere, quibus id esset impossibile ob inopiam auxilij sufficientis. Vnde non leue argumentum est Deum eorum salutem curasse quibus Angelos custodes destinauit. At Angelum custodem ipsi Antichristo delegaturus est. Id testatur D. Thomas 1. p. q. 113. art 4. ad 3. Dicendum, inquit, quod sicut presciti & infideles non priuantur interiori auxilio naturalis rationis: ita etiam non priuantur exteriori auxilio toti naturæ humanæ diuinitus concesso, scilicet custodia Angelorum, per quam, etsi non

iuuantur, quantum ad hoc quod vitam æternam bonis operibus mereantur, *iuuantur tamen quantum ad hoc quod ab aliquibus malis retrahuntur*, quibus & si ipsis & alijs nocere possent. Idem sentit D. Bonauentura in 2. sent. dist. 11. art. 2. q. 1. asserens bonum Angelum nec obstinatos nec Anti-Christum deserere, quantum ad actum custodiæ, qui respicit malum, quia semper retrahit hominem, ne labatur in peius.

Consentit Tostatus Abulensis in c. 18. Matthæi q. 62. vbi ob varias rationes Angelum custodem dandum esse Anti-Christo demonstrat, præcipuè vero quia licet Anti-Christus nunquam assentiret Angelo custodi ad hoc quod bonum agat; aut ad hoc quod malum caueat, saltem in desiderio, impediet tamen Angelus custos Anti-Christi Sathanam, ne ad tanta mala sollicitet Anti-Christum immitendo ei prauas cogitationes, incendendo ad malum: & dato quod interdum permittat istas cogitationes immitti: non permittet eas exequutioni tradi &c. etiam ipsi Anti-Christo indirectè proderit custodia Angeli, *quia suadente Diabolo plura mala committeret Anti-Christus, nisi custos Angelus impediret Sathanam vt dictum est*: & tamen quanto pauciora fuerint peccata eius, tanto minus punietur. Si autem sine Angelo custode relinqueretur, committeret plura mala & puniretur grauius. Subscribit Suares to. 2. ad 3. partem D. Thomæ disp. 54. sect. 3. Vbi & addit Deum non denegaturum Anti-Christo gratiam suam sufficientem quantum est ex parte suâ, quamuis

propter malitiam vix vnquam det ipse locum alicui bonæ inspirationi aut effectui spirituali custodiæ Angelicæ aut diuinæ gratiæ. At si ita est de Anti Christo, quanto magis de alijs?

At, inquiunt, sentirent id peccatores ac experirentur se illuminari & accendi. Sed hoc magis non est necessarium, quam vt sentiatur operatio custodiæ Angelicæ. De qua loco præcitato sic Doctor Seraphicus. Credendum est quod multis modis Angeli qui nos custodiunt, & studeant promouere ad bonum & studeant retrahere à malo, quamuis hoc non percipiat hebetudo spiritus nostri; propter quod multi superbiunt, multi sunt ingrati, & frequenter sibi attribuunt quod est ex beneficio Angelico, & ex hoc minus efficiuntur digni, vt ab Angelis adiuuentur. Quæ non incongruè de Gratiâ sufficienti dicerentur, quæ tot modis operatur circa hominẽ, vt mirum sit aliquem qui attendat, de ea nihil experiri. Quis enim est, etsi Nero (de quo testis est Suetonius) sit insigni aliquo crimine se polluens, qui continuò Synderesi remordente, non torqueatur, si supra semetipsum sese reflectat? Iusit enim Dominus, & sic est, vt sibi ipsi pœna sit omnis animus inordinatus. Et de semetipso testatur D. Augustinus l. 7. *Confessionum* c. 8. dum vitam nefandam duceret, inter ipsas voluptates conscientiæ stimulis lancinatum pectus habuisse. Quod refert ad misericordiam diuinam *& placuit in conspectu tuo reformare deformia mea & stimulis internis agitabas me, vt impatiens essem, donec mihi per interiorem adspectum certus esses.*

Quod alibi luculentius asserit idem D. Augustinus vt cum in Psal 3 . . concione 2. scribit malum hominem in conscientia nullum habere solatium. Cum in Psal. 33. & 35 malam conscientiam malam vxorem vocat, litigiosam scilicet cum qua nulla est pax. Cum in Psal 45. conscientiam tribulationem vocat qua nulla maior, ei adaptans verbum regij Prophetæ *adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis* & cum in Psal. 57. ait, iudicis tribunal est in mente tuâ, sedet ibi Deus, adest accusatrix conscientia, tortor timor. Quod ipsum magno consensu firmant patres Ecclesiæ, nec non etiam ipsi infideles, quibus ita aperta fuit ista veritas vt propterea crederent quasdam esse furias quibus scelerati quique post admissum crimen torquerentur.

Nec eiusdem veritatis obscura est aut dubia in scripturis sacris probatio, quid enim aliud denotat scriptura Genes. 3. cum postquam primi parentes peccauerunt dicit *& aperti sunt oculi amborum*? quid aliud cum Deus Cain alloquitur Genes. 4 *Nonne si bene egeris recipies, sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit?* ac si diceret, actutum delicti admissi pœna te dies noctesque immani quadam carnificina lancinabit. Aderit enim conscientia criminis, & suo tuam mentem satellitio circumdabit, supplicium à te patrati sceleris exposcens; tanquam Cerberus pro foribus excubans animæ oblatrabit, dentes exeret, morsum minabitur: at tu miser nec intus in mentis secessum ingredi poteris, quin in tuorum facinorum furiales pœnas inci-

das. Vt Paraphrastice & eleganter in c.4. *Genes.* sect. 7. exagerat Benedictus Fernandius. Qui & in c. 3. eiusdem Genesis sect. 18. in remedium peccati admissi datam esse conscientiæ carnificinam ait Quare Procopius sic optime disserit in Genes. c.3. si quis vel parum se peccato dederit redarguitur clam à communibus animi conceptibus, quos Deus animo hominis impressit. Hi enim semper insonant sic volente Deo: *homo quid fecisti quod fœdissimo te mancipasti peccato?* Quibus addit D. Ioannes Chrysostomus in catenâ Barbari Achileiensis ad versum 15. Psalmi 7. *Simul ac quispiam de malo cogitauit etiam, priusquam in cogitatione concreuerit; tumultus ac perturbatio est in cogitatione.*

Atque in eam rem plura suppeditat Celada in Iudith. c. 11. versus 5. § 16. tum ex scriptura tum ex patribus, quæ hic congerere non libet, cum res sit manifestior quam quæ pluribus elucidari debeat. At obmurmuratio ista conscientiæ improbæ & partus peccati vipereus erat in Nerone & Heliogabalo & alijs hominum monstris velut auxilium quoddam saltem remotum, ad illud detestandum & de eo pœnitendum, & erat quædam bona mentis cogitatio, simulque voluntatis aliqua motio diuinitus immissa: atque in hac vita possent illi dicere Dei gratiam profitentes, *adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis.* Non igitur omni auxilio interiori destituti censendi & si solum istud habuissent. Sed & aliud habuerunt, etsi semper non aduerterint.

Nam & probi homines, vt ad hominem hic argumentemur, gratia medicinali, qualem solam

pro fficaci gratia admittit R Iprensis l 4. *de Gratiâ Christi Saluat.* non sunt priuati, etsi non sentiãt delectationem cœlitus immissam, in qua illam totam constituit, dum benè quidpiam operantur. Namque & mysticorum Theologorum doctrina est, qui pœnitius res spirituales discutiunt, perfectissimas animas vix supra suos actus se reflectere, imo & hanc reflectionem quamdam esse in vita eminentiori spiritualium speciem imperfectionis, qua anima à Deo vnicè dilecto auertit se, dum actui suo creato inspiciendo incumbit. Sic quippe delicata est eminentioris vitæ spiritualis perfectio, vt distractionem reputet hanc introuersionem, qua aliud quam Deum ipsum respicit. Et tamen cœlestes illæ animæ inter cæteras gratiâ Christi abundant, etiam inter ipsas sterilitates quibus omni solatio sic sibi destitutæ apparent, vt cum Christo moriente exclament gemebundæ, *Deus Deus meus vt quid me dereliquisti*? Si igitur inualida est consequtio quod probæ animæ gratia medicinali careant, quia non experiuntur suauitatem cœlestem in qua illa sita sit tota, vt putant: & iners erit illa ratiocinatio, qua similiter concludunt, flagitiosorum maximos carere sufficienti gratia, quia non sentiunt se illuminari aut moueri ad bonum.

Quod si pertinacius contendant se experiri cœlestem illam delectationem, omni concupiscentiarum delectatione maiorem in omnibus operibus bonis, hoc inter prætensa eorum priuilegia numerabimus, quod adeo felices sint horum dogmatum sectatores, non solum quod nun-

quam gratiæ Spiritus Sancti resistant, quod vt Filij Dei aguntur, quod in illis nunquam Dei gratia vacua sit. Non solum, quod si forsan peccauerint, statim excusationem paratam habeant, mandatum Dei sibi fuisse impossibile, vt qui gratiam suam medicinalem non haberent, qua vinceretur insuperabiliter concupiscentia. Non solum, quod vix præ alijs à se, Christus Sanguinem fuderit, cum à se diffidentes Pelagiani, sint aut ad minus Semi-Pelagiani, id est hæretici, qui nequaquam à massa perditionis segregati dici possunt, sicut ipsi qui ortodoxi sunt. Sed etiam quod suauitatem quamdam cœlestem in omni bono opere habeant & sentiant, in qua ex hac vita prægustant delitias vitæ cœlestis. Atque hæc sola sit Christi gratia, nam si quidpiam agatur ex motiuo timoris aut doloris aut alterius cuiuspiam à dulcedine illa & delectatione distincti, ex gratia non fit nec verè bonum dici potest.

Sed vt tales sint ac tam splendidæ hæ prærogatiuæ, putamus quod futuro sæculo stupori erunt, cum eas legent aut ab alijs eas narratas audient, qui tunc erunt, diceturque etiam viros doctrina illustres ac pietatis nomine insignes sic ijs dogmatibus adhæsisse vt in iis fidem Catholicam ac doctrinam cœlestem D. Augustini constituerent, quam nisi quisque integram inuiolatamque seruaret, saluus esse non posset, vt qui ad Pelagianorum sortem pertineret. Sed fateor me non posse fidem ijs accommodare, etiam si D. Thoma Apostolo magis incredulus ab ipsis haberi debear: quare iuxta Apostolum 2. *Timot.* 4.

arguo obsecro, increpo in omni patientia & in eâ doctrina quam mihi Deus dedit, vt ab ista mente auertantur.

Ne vacet pagina, addita est sequens quæstio in curia Ecclesiastica Parisiensi inter plures alias, agitata nuper, coram venerando Domino Andræa Saussæio Officiali eiusdem curiæ; in causa cuiusdam religiosæ, quæ de magiâ accusabatur.

Quæritur an dæmonibus, cum inter exorcismos aliquam accusant personam, fides adhibenda sit in Iudicio.

VIderi poterat quibusdam fidem ijs adhibendam esse, quia hæc virtus est exorcismorum, vt adigant dæmonem ad vera dicendum. Quod firmari potest ex pluribus antiquorum patrum testimonijs, in quibus asserunt dæmones, cum exorcisantur, ad veritatem fatendam coactos fuisse, nec potuisse obluctari. Idipsum ab exemplis corroborabatur, quod ex similibus dæmonum accusationibus, quidam rei inuenti fuerant & condemnati.

In contrarium proponebatur, vita huius religiosæ tota plena operum charitatis & misericordiæ. Vnde factâ inquisitione de eius vita ac moribus, nihil iniqui deprehensum, Sed luculentum redditur testimonium de eius probitate à virginibus, quæ à pluribus annis sub eius modera-

mine vitam religiosam instituerant. Et cum Duplex sit maleficium: vnum veneficum quo detrimentum ac ruina procreatur alijs, aliud amatorium, quod datur ad inflammandum corda, igne carnalis amoris: nec venefici maleficij illa potest rea agi, cum instituerit ac ædificauerit plures domas religiosas Hospitales in quibus calamitas beata recensetur, vt de quodam xenodochio loquitur Nazianz orat. 20. cum in illis ægrotæ pauperes puellæ ac mulieres recipiuntur, fouentur, nutriuntur, curantur & sacramentis Ecclesiæ pascuntur, vt si ex fructibus arbor cognoscenda sit, bona arbor dicenda sit ex qua fructus vtilissimi ac sine cuiusquam detrimento, nascantur assidue. Nec etiam maleficij amatorij argui potest. Quandoquidem nusquam auditum, quod poculum amatorium cuiquam propinauerit aut suaserit, nullique extent ea de re conquestus.

Ad solutionem quæstionis, supponendum est non esse vana ac fabulosa omnia quæ dicuntur de sagis ac earum congregationibus in quibus dæmon præsidet, quas vulgo dicunt, *Sabbatum*. Id quippe diuturna experientia, & multorum exemplis sic confirmatum est, vt nullus de ea re supersit dubitandi locus. Et quamuis canon *Episcopi* 15. q. 1. ex Concilio Ancyrano, reuocet ad imaginaria phantasmata illas congregationes; perpendi tamen potest, Concilium id determinare in particulari casu, de quibusdam mulierculis dumtaxat, quæ dicebantur per aera equitare super diuersa animalia cum Herodiade & Dianâ. Quæ verè Phantastica haberi de-

bebantur, cum Diana & Herodias non amplius essent in rerum natura. Deinde canon iste fictitius videtur, cum Binius eum non agnoscat vt legitimum canonem Concilij Ancyrani, nec reperiatur in collectione Cresconiana, nec in nouissima Coriolani. Nec plus habeant virtutis ea quæ scripta sunt à Gratiano in decreto, quam illa ex quibus desumpta sunt ab eo.

Quamuis autem realia sint aliquando huiusmodi sagorum sagarumque conuenticula, non tamen credendum est dæmonibus, cum inter Ecclesiæ exorcismos accusant quempiam ijs interfuisse, aut aliquod aliud crimen perpetrasse. Quod probatur rationibus, & authoritatibus.

Primo quidem rationibus, quia dæmon pater est mendacij, fallax & subdolus hostis humani generis, & ideo omni fide indignus.

Secundo quia est calumniator, qui maximè sanctorum famam impetit: vt eos odio prosequantur omnes ac de ijs male sentiant, vt cum eorum vitam despexerint, eorum quoque doctrinam ac exempla pro nihilo habeant.

Tertio quia potestas data Ecclesiæ super energumenos, extendit se ad eos à corporibus humanis eijciendos cum potestate & imperio, non vero ad sciscitandam rerum occultarum veritatem: quare si quid verum dicat diabolus non est id attribuendum virtuti ordinariæ exorcismorum, sed magis eius voluntati, quia aliquando vult aliqua vera dicere, vt sub eorum pallio falsum quid insinuet, quod intendit persuadere propter fines illos quos sibi proponit, seu ad infamandos pios homines, seu ad con-

citandas turbas, aut quidpiam aliud mali dissseminandum inter mortales.

Vnde non est consultum vt tam multiplici quæstionum congerie pulsetur dæmon ab exorcistis, sicut factum est in vltimis Galliæ exorcismis, quorum plura extant volumina: sed magis vt ieiunio & oratione, ac adiuratione eum cogant discedere, quod vix aut parumper obseruatum est.

Hoc autem probatur varijs authoritatibus, tum antiquorum tum magis recentium.

Primo enim sic censet Origenes in c. 17, Matth. tract. 4. Si ergo, inquit, oportuerit nos circa curationem tale aliquid patientium permanere, non adiuremus, *neque interrogemus, neque loquamur quasi audienti spiritui immundo, sed abigamus ieiunijs & orationibus nostris spiritus malignos.* Quæ Origenis verba referuntur à D. Thoma in catena super Euangelia c 17. Matthæi. Vbi & hæc nota marginalis additur (*notate exorcistæ*) vt scilicet discant, non multa inquirere à dæmone, ne fallantur perpetuis eius mendacijs.

Deinde sic Theophilactus super c. 11 Marci. Porro *non sinebat dæmonia loqui* sicut dixi, docens nos, *ne credamus eis, etiam si vera dicant.* Nam dum quosdam, dum mentiuntur, inueniunt credentes sibi: quid non fieret si & veris falsa permiscerent? Ita & Paulus prohibuit spiritum Pythonicum dicentem homines illos seruos esse Dei altissimi (act. 16.)

Idem Tostatus Abulensis qui stupor est mundi qui scibile continet omne in c. 10. Matth. q. 60,

Quæritur, inquit de poteſtate data Apoſtolis ſuper dæmones. Et dicendum quod iſta non fuit abſoluta: itaut poſſent quicquid vellent ſuper dæmones, *ſed tantum vt poſſent eos eiicere.* Sic etiam ſupra in littera, *dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum* vt eiicerent eos, imo non poterant facere quod dæmones non tentarent ipſoſmet Apoſtolos, nam ſæpe eos tentabant. Fauet etiam Gerſon Cancellarius Pariſienſis *de erroribus circa artem magicam, tertio dicto.* Nunc perplexis ſermonibus inuoluit ſententias, vt Tullius loquitur, nunc ſemitas tortuoſas ſuæ fraudis mille modis tegit. Nobis propter hoc interdicta eſt ſocietas ſua. *Ne quæramus ab eo veritatem* quia mendax eſt, ſicut Chriſtus & Apoſtolus, ipſum etiam vera loquentem obmuteſcere præceperunt.

Conſentit Delrio iſtarum rerum ſcriptor maximè gnarus *in Anacæphaleoſi* l. 6. *diſquiſ. Magicarum, monitione decima* aſſerens dæmonem diffamare innocentes, dum peculiaribus ritibus & diuerſis à communibus Eccleſiæ, fiunt exorciſmi, monetque vt exemplo Chriſti paucis iubeant dæmonem tacere & exire, nec garriendi præbeant vel cauſam vel poteſtatem.

Atque hoc ipſum pluribus inſignis notæ authorum ſententijs confirmari poſſet. Sed pro pluribus erit authoritas facultatis Pariſienſis, quæ in comitijs ordinarijs Sorbonæ anno 1623. die 2. Ianuarij & iterum die 2. Martij, librum de *Vocatione Magorum* &c. tanquam impium, nefarium, horrendum, blaſphemijs & obſcenitatibus plenum, ſcandaloſum, bonis moribus

aduersantem, etiam in fide & Religione periculosum, reiecta omni approbatione, censura afficiendum iudicauit. Qui liber primum latino idiomate editus fuerat, cum hoc titulo, *vera & memorabilis Historia de tribus energumenis in partibus Belgij.* Deinde linguæ gallicæ redditus fuerat cum altero titulo *de la vocation des sorciers.* Causas autem censuræ reuocantur in actis facultatis ad hæc quatuor capita.

1. Quod vellet Author & contendat Dæmonem, si certis rationibus quas profert se sacramento obstrinxerit, non posse fallere eique fidem esse adhibendam. Quod omnibus dolis & deceptionibus viam sternit, cuius generis est quod de nato Anti-Christo proponit ex testimonio magarum & dæmonum atque adeo sui ipsius dum mente captus esset. Idque pro certo haberi vult.

2. Si hoc præstito iureiurando assereret dæmon se tanquam Ministrum Dei accepisse Prouinciam enuntiandi aliqua ad Dei gloriam & fidelium institutionem, ei auscultandum & obediendum censet. Quod aliquo Pacto Idololatriam sapit, quasi scripturæ sacra totaque Ecclesia cum Pastoribus & Doctoribus ad hoc non sufficerent.

3. Nouas & insolentes, ab vsu Ecclesiæ alienas & Erroneas exorcismorum rationes inuehit.

4. Execrandas magorum & sortilegorum blasphemias propalat omnibus, horrendaque omnia illorum scelera aperit idiomate gallico, quæ quantum periculi curiosis & infirmis mentibus creare possint, nemo satis pensare potest.

Ex quibus infertur ex sententia facultatis,

nullam

nullam omninò fidem adhibendam esse dæmoni in exorcismis, in quibus author ille intendebat dæmonem non posse fallere & si ad verum dicendum se Sacramento obstrinxisset.

Quod adeo mihi certum videtur, vt nequidem propter quaslibet huiusmodi dæmonum accusationes, personam aliquam in corpore visitari debere existimem, si caractere aliquo in signum Magiæ, insignitam esse dixerint. Vt enim caracter iste dæmonis valde dubiæ fidei est, nihil insuper potest certò colligi si appareat quæpiam nota in cuiusdam corpore. Quid si enim ex casu aliquo pueritiæ aut iuuentutis id acciderit? Quid ergo si corruptam esse quamdam Virginem dixerit, posset ne propterea experimentum fieri de integritate sigilli virginitatis? quot inde absurda? Neque vero illa accusatio dæmonum vel pro semi-probatione aut adminiculo aliquo haberi potest, quoniam si fiat ex virtute exorcismi, qui vim habet à Deo, non dimidiata solum, sed integra fides ei habenda esset. Nam tunc dæmonum dicta ex virtute exorcismorum prolata, opus forent diuinum: & cùm Dei perfecta sint opera, nihil desiderari posset amplius ad conuincendum & condemnandum pro arbitrio dæmonum, quaslibet personas. Quod quam iniquum sit, quilibet prudens diiudicare poterit. Nos sanè Christiani sumus, satanæ nuntium remisimus in Baptismo, ei penitus abrenuentiauimus, vt magis Christianum sit in nullâ re minima illi cædere. atque hoc exemplum habemus à Christo, qui cum in deserto variis tentationibus à dæmone pulsaretur, nec in licitis nec in illicitis vllo

modo cessit. Generoso itaque pectore Christiani dignum est, vt nullius probitatem suspectam habeat propter dæmonum dicta, seruetque quod monet sapiens Ecclesiastes 10. *Si spiritus potestatem habentis super te adscenderit locum illi ne cedas*, Sicut est in Theologia affectiua 3. p. tract. 1. medit. 33. puncto 3.

Sed in presenti lite duæ sunt singulares circumstantiæ, ob quas frustranea videtur talis visitatio, quamuis inuenirentur satis oculati visitatores ad discernendam in sexagenariæ Virginis corpore dæmonis notam, si forsan inueniretur. Prima est quod propter diuturnitatem temporis, à quo nefanda sagarum opera illi affinguntur, iure præscriptionis gaudeat, ne ob ea accusari possit: Et si enim in foro animæ, prescriptio nulla detur quoad peccata, quæ tanto grauiora sunt, quanto diutius infœlicem animam detinent alligatam: attamen vt obseruat Valerus de *differentiis vtriusque fori* verbo *præscriptio: differentia* 4. & 7. in foro contentioso diuturnitas temporis minuit pœnam peccati l. *si diutino ff. de pœnis*. Vbi Modestinus ait. *Si diutino tempore aliquis in reatu fuerit, aliquatenus pœna eius subleuanda erit*. Vnde dicit Nauarrus in cap 1. in *principio*. num. 125. de *pœnit*. distinct. 5. eum qui occidit hominem ab hinc decem annis, non esse decapitandum: quia pœna ordinaria homicidæ est mors: imo eadem temporis diuturnitate, multa crimina prescribuntur, vt non possit quisquam de iis accusari. Vt de adulterio post quinquennium l. *adulter* c. *de adulteriis* & de

quolibet alio crimine post 20. annos l. *querelam* c. *de falsis*.at præfata Religiosa non est accusata de operibus Magicis, nisi post elapsum tempus 20 annorum ab huiusmodi delicto, si tamen eius vnquam conscia fuerit Secunda circumstantia est, quod à tempore huius pretensæ cum dæmone conspirationis, professionem religiosam emisit coram illustrissimo Archiepiscopo Parisiensi, nec ante illam professionem lis à quoquam illi intenta est de Maleficio; Est autem Decretum Pij V. in suâ constitutione quàm refert Suarez to. 3. de *religione* l. 5. c. 7. contra personas religiosas, si criminosæ aliquando fuerint, non competere facultatem iudicibus ac curiis sæcularibus procedendi nisi cum actis publicis constiterit ipsos iudices & curiam sæcularem ante susceptionem habitus de ipso crimine aduersus eas accusationem suscepisse vel inquisitionem instituisse. Quod minimè aduersus illã factum est, sed tantum post emissa vota, vt sic vtroque iure Cæsareo & Pontificio iuuari possit, vt sine vlteriori inquisitione absoluta omnino dimittatur.

Ad oppositum dicendum est in primitiuâ Ecclesiâ quædam miraculosè & extraordinariè facta fuisse, seu ob eximiam sanctitatem exorcisantium dæmonem, seu ad corroborandam fidem, sicut arbusta cum plantantur rigari solent. Non est autem hæc potestas ordinaria exorcismorum. Quod vere aliqui rei sint reperti, quos dæmon accusabat, esto: multo tamen plures innocentes ab iisdem notati sunt, minimè tamen rei: vnde nulli propter Sathanæ testimonium

damnari debuerunt, et si forsan ita factum sit: cum acceperit tempus Deus iustitias indicabit.

FINIS.



Errata Typographiæ sic corrige vbi sensus deesse videbitur.

Pagina 8. linea 15. aliæ *lege* alia. pag.9.li.19. hæreses *lege* hæresis p.17 l.14 genium *lege* ingeniun p. 18.l.17 ex sintilla *lege* sint ex illâ. p.41. l.2. & si liber *ita supplendum est* l 1. de doctr. Christ. c.38. fide titubante charitas ipsa languescit. p. 92 l. 5. *adde* Gerson in sequentibus se corrigit vt lect. 4. non Baius. p 100. l. 20. *adde* supernaturaliter infusam, *orationes tuæ & eleemosynæ &* c p.101 l.24. q.2.2.10. *lege* 2.2. q.10. p.131. l.6 elicitus *lege* eliciti. l. 7. relatus *lege* relatum. p. 137. l. 10. Deum *lege* cum p.151. l.20. voluntatem *lege* voluntarium p. 210. l.10. ea *lege* eas. p.224. l.12. *post* superstitibus *adde* asseruerunt. p.225 l 11. *adde* sed & quod ait glossa decreti parte l. ad dist. 19. præsumitur quod sit decretalis si reperitur inter decretales ad instar illius quæ reperitur inter moniales quæ præsumitur ex hoc monialis. pag. 229. li.6. nullo *lege* nulli. pag. 303. l. 10. exarescent *lege* exarescente. pag. 322. l. 4. Tridentini *lege* Trithemii. pag. 371. l.12. habeant *lege* habeat. p 374. l.21. decimo *lege* decimosexto p.389 l.8. tamen *lege* tam. l. 9. ni *lege* in. p.390. l. 24. *dele* ex p. 397. l.23. contemptu *lege* contemptum p. 403. l. si ipsis *lege* sibi ipsis.